FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum à Festo || Pascæ vsque ad Aduentum in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the Head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150413

Visual Library

POSTILLÆ SIVE CONCIONES REVEREND. D. IOANNIS FERI,

Metropolitanæ Moguntinæ Concionatoris absolutiss.

In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum à Festo Paschæ vsque ad Aduentum in Ecclesia Catholica celebratur memoria,

Iam primùm latinitati donatæ, per M. Ioan. à Via.

PSAL. 33.

Venite paruuli, audite me, timorem Domini docebo vos.



ANTVERPIÆ,

In ædibus Ioan. Steelsij.

1559.

Cum Gratia & Priuilegio.

CAesarea Maiestas permisit Ioan. Steelsio vt homilias Reuerend. Patris Ioan. Feri, impunè imprimat, perq; omnes hæreditarias regiones suas distrahat, veluti latius patet in literis eidem concessis & subsignatis

Baue.

Franckesche Stiftungen Haupt-Bibliothek Halle/Saale

PIO ET CHRISTIANO LECTORI PHILIPPVS AGRICOLA THEOlogiæ Doctor, gratiam Dei per Iesum Christum precatur.

SEcundam hanc, siue æstiuam Postillæ partem, candide Lector, quã fieri potuit accuratissimè in breues conciones ex relicto authoris archetypo redegimus: non quidẽ eo consilio, vt te reliquis illius Sermonibus priuaremus, aut eos immeritò supprimeremus: sed vt ad tempus vsum quoque Sanctorũ qui per æstatem celebrantur haberes, donec opportunitatem nacti maiorem, reliquos etiam Sermones in lucem proferamus. Quamuis autem præsens huius exulcerati seculi status ab hoc labore deterrere aliquẽ facilè possit: in quo nimirum animi hominum vsqueadeò exacerbati sunt, vt si fieri posset, Sanctos Dei ipsos, quorũ vitã & passiones ludibrio habent, de cœlo quoque deiecturi essent: spero tamen Deum æternum & benignum Patrem in tanta malorum colluuie, aliquem sibi piorum cœtum seruaturum esse, qui à recto tramite non aberrent, nec sequantur, vt Petrus ait, viam Balaam filij Bosor, qui mercedem iniquitatis dilexit, neque genua etiam curuaturi sint ante Baal: sed quibus Ecclesiæ vnio iuxta Apostolicũ vsum magis placeat, quàm contentiones & schismata, 2. Pet. 2. 3. Reg. 19

per quę diſcinditur miſerè & dilaceratur Chriſtiana charitas. Quibus, cùm norint externa exempla rudioribus neceſſaria eſſe, hæc ſcripta parari debent. Noſter quidem hic Author tempus ſibi à Deo conſtitutum, non aliò, quàm ad ſalutem & vtilitatem Eccleſiæ conuertendum
2. Tim. 5. duxit, non ignarus Pauli præceptum ad Timotheum, iubentis opus Euangeliſtæ facere, ad alios etiam verbi miniſtros pertinere. Quamobrem in eam curam per totam vitam diligenter incubuit, vt in hac ſua vocatione gregem ſibi commiſſum ſedulò admoneret, inſtaret opportunè, importunè, in ditionibus, ciuitatibus, villis: nec contentus doctrinam purè tradidiſſe, exempla etiam Sanctorum ſuis propoſuit, vnde perſpicerent, quomodo ſancti Patres ſynceritate doctrinæ & integritate vitæ nobis præluxerint. Quæ res Euangelium in primis, præcipuè verò in doctrina & conſolatione crucis promouet: cùm afflicti intelligunt, ſe non ſolos eſſe qui perſecutionem ferant, ſed habere eam cum multis millibus communem, quorum pars magna præceſſerint, alij comitentur, alij verò adhuc ſecuturi ſint: imò verò Chriſtum per fidelium cruces & tormenta gloriam & potentiam ſuam tam magnificè mundo patefeciſſe ſemper, & adhuc patefacere quotidie. Quæ doctrina longè ſaluberrima, ſi omnibus in locis & Eccleſijs, ita vt par eſt retineretur & ſeruaretur in vſu: proculdubio maiore cum fructu appariturí eſſemus in die Domini, quàm vt nunc fieri poſſe de nobis ſperandum ſit. Si enim

enim leuem hũc & sceleratum mundum cum natura et fructu suo rectè contemplemur: haud abs re cogitabimus, imò etiã palàm fatebimur illud iam tempus adesse, quod Christus vnà cum Apostolo suo sancto venturum prædixit: 2. Tim. 4. quo nimirum sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores ij, quibus pruriunt aures, & à veritate quidem aures auertent, ad fabulas verò conuertentur.

Iniuria autem afficiunt Ecclesiam catholicã, qui iudicant eam honorem Christo seruatori debitum, illi detrahere, & ad Sanctos, in quibus tam potenter opus suum exercuit, transferre. Nunquam enim hæc Ecclesiæ mens fuit, & absit ab omnibus pijs isthæc cogitatio. Est autem hæc Ecclesiæ voluntas, vt vnà cum Dauide Dominum in Sanctis, & per Sanctos suos laudibus celebret, vt in quibus gratia Dei tam abundè habitarit. Deinde vt nos post acceptam fidem ad vitæ quoque pietatem & modestiam, illorum exemplo perducat, vt in gratia & cognitione Dei proficiẽtes, ad salutem ęternam crescamus: quales sanctus Petrus vult esse Christianos. Et si autem nostri seculi sanctuli, si dijs placet, obiecturi fortasis nobis sint superuacua esse Sanctorum exempla in Ecclesia, cùm Christi nobis in ea repræsentetur imago, ad quam vitam nostram, tanquam filij sui quàm proximè formare debeamus: tamen quia piæ matri nostræ Ecclesiæ non incognita est humanæ conditionis fragilitas, & explora-

tum habet, ne minimam quidem filiorum suorum partem ad eam, quæ in Christo est, perfectionem crescere & peruenire posse: vtiliter nobis Sanctorum quoque exempla proponit, vt qui vnà cum Christo metam perfectam nō possit contingere, cum Paulo saltem & sanctis
2. Tim. 4. eius collegis dicere queat: Certamen bonum decertaui, cursum consummaui, fidem seruaui: quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona. Ita & discipuli Christi nos docent. Pau-
1. Cor. . lus Corinthijs præcipit, vt imitatores sui sint, quemadmodum & ipse Christi imitator est: & tamen adhuc alio loco infirmitatem suam
Roma. 7. deplorat. Item, Hortatur Hebræos ne sint imbecilles, sed imitatores eorum, qui per fidē ac patientiam hæreditatem accipiunt promissionis: Iisdem postea capite duodecimo Patriarchas proponit ad fidei, spei, & charitatis exemplum. Quamobrem Sanctorum etiam memoria in Ecclesia CHRISTI vnà cum doctrina Euangelij, ad imitationem meritò conseruanda est: vt quemadmodum ipsi Christum secuti sunt, ita nos illorum vestigijs insistentes, pariter cum ijs Christo adhæreamus, & iucundū hoc melos SANCTVS SANCTVS,
Ioan. 15. & cætera absoluere conemur. Sic eos DEVS
Phil. 2. in omnem terram emisit, vt fructum asserāt, & maneat fructus ipsorum. Ad eundem modum Paulus Philippensibus præcipit, vt in medio nationis prauæ ac tortuosæ luceant, tanquam luminaria in mundo. Porrò quid veteres Ecclesiæ scriptores de sanctis Dei & festis ipsorum

rum senserint, doctis obscurum non est. Athanasius certè inter recentiores minimè numerandus, tanti facit Sanctorum festa, vt ex eorum obseruatione manifestè indicium sumat, num Spiritu sancto præditus quis sit, nécne. Ait certum & euidens signum Sancti spiritus esse in homine, si de festis Sanctorum vehemẽter lætetur, & hoc tempus quo eorum celebratur memoria, simplicitate, deuotione & obedientia præcipuè transigat. Similia & maiora etiam apud alios extant testimonia, quæ omnia vt hoc loco recensẽantur pij necessum non habẽt, malis verò tædio ac fastidio futura essent: quemadmodum & Paulus Euangelij prædicationẽ aliis stultitiã alijs ad scandalum, vocatis verò, Dei potentiam & Dei sapientiam esse asserit. Quę ingeniorũ disparitas & nostro seculo inuenitur, in ijs etiam, qui Euangelij doctrinam, & sanctorum exempla præ cęteris meritò sequi deberent, vt vehementer admiranda sit Dei lenitas, qua hanc malitiam tam diu tolerare potest. Quod sanè ideo fit, quia, vt Propheta ait, Benignus & misericors est Dominus, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia, nimirum vt ad pœnitentiam & emendationem conuertamur. Quemadmodum & Paulus testatur: Bonitatem Dei ad pœnitentiam nos inuitare. Vtinam hanc nobis Deus gratiam largiatur, vt his diligenter expensis, ita vitã & mores nostros instituamus, vt è peccatis ad iustitiam, è tenebris ad lucẽ, è mendacio ad veritatẽ Domini & Seruatoris nostri Iesu Chri

1. Cor. 1.

Iohe. 2.

Rom. 2.

sti euigilemus. Quam ad rem & Sanctorũ exempla adiumẽto nobis essent, si sequi eos vellemus, siq́ue tempestiuè nos ad illorum vitam, legendo, audiendo, meditando, fide, charitate, spe & similibus exercitijs Christianis, componeremus. In hunc enim finem celebris & sancta est in Ecclesia memoria illorum: Hanc ob causam nobis & ad doctrinam & ad exemplum proponuntur. Hoc est quod Patres docent.

Quod ad me attinet, hoc opus ex officio suscepi, non vanæ gloriæ, aut priuati commodi causa, sed ad permouendam Ecclesiæ vtilitatem, ne otiosus planè in forum prodirem, sed Dei benignitate adiutus, pro mea quoque portione in vinea Domini vsque ad vesperam, & hoc tempus quod Deus mihi & omnibus pro sacrosancta sua voluntate statuit, laborans inueniret. Oro autem Lectorem beneuolum, vt isto qualicunque initio pro hoc tempore contentus esse velit: neque quidquam de nobis sinistrè interpretetur: quòd (cum in priore opere Dominicali ab Authore ipso, felicis memoriæ, promissi fuerint Sermones decem in singulas Dominicas & festa Sanctorum, nec tamen hactenus id per omnia præstitum sit) Authoris id, aut mea, aut Typographorum Franciſci Behemi & Theobaldi Spengelij conciuium nostrorum, culpa acciderit: neque alium quenquam hoc nomine suspectũ habeat. Nõdum enim perficiendi huius promissi occasio vel opportunitas data fuit. Quam simulatq́ue

nacti

nacti erimus, dabitur à nobis opera, vt qui ad supplendum hunc numerum denarium Sermones desiderantur, tam in Dominicis, quàm Sanctorum festis, eos in vnum volumen coniectos Auctarij vice seorsim non sine piorum fructu in lucem edamus: vt ne quid emptores horum operum grauentur.

Deus gratia ac misericordia sua omnibus nobis præstò esse, & collapsam ac profligatam propemodum Ecclesiam suam, quasi postliminio reuocare & erigere rursus dignetur, Amen.

Moguntiæ. 16. Februarij, Anno 1557.

HOMILIARVM PARTIS HYEMALIS Index.

IN die S. Andreæ Euangelium. Ambulans autẽ Iesus Matth. 4. folio. 1.
Epistola. Fratres corde creditur. Rom. 4. fol. eo.
In die S. Nicolai Euangelium. Sint lumbi vestri præcincti. Lucæ 12. fol. 10.
Epistola. Enoch placuit Deo Ecclesiast. 44. fol. eodem.
In die Conceptionis Mariæ Euang. Liber generationis. Matth. 1. fol. 16.
Epistola. Dominus possedit me. Prouerb. 8. fol. eodem.
In die S. Thomæ Euangelium. Thomas autẽ vnus, Ioan. 20. fol. 36.
In die S. Stephani Euangelium. Dixit Iesus Iudæis: Ecce ego mitto. Matth. 23. fol.
Epistola. Stephanus autem plenus. Act. 6. & 7. fol. 42.
In die S. Ioannis Euangelistæ Euangelium. Dixit Iesus Petro. Ioan. 21. fol. 54.
Epistola. Qui timet Dominum. Ecclesiast. 15. fol. eodem.
In die Innocentum Euangelium. Ecce Angelus Domini Matth. 2. fol. 66.
Epistola. Ecce vidi. Apocalyp. 14. fol. eod.
In die Purificationis Mariæ Euang. Post quam impleti sunt dies. Lucæ 2. fol. 71.

Epistо-

Epistola. Ecce ego mitto angelum. Malach. 3. fol. 72.
In die S. Mathiæ Apost. Euangelium Respondẽs Iesus dixit Confiteor. Matth. 11. fol. 105.
Epist. Exurgens Petrus. Acto. 1. fol. eod.
In die Annunciationis Mariæ. Euangel. Missus est Angelus. Lucæ 1. fol. 112.
Epistola. Et adiecit loqui Dominus ad Achas Isa. 6. fol. eodem.

Homiliarum Partis Hyemalis finis.

HOMILIARVM PARTIS Æstiualis Index.

IN die Sanctorum Philippi & Iacobi Euangelium. Non turbetur cor vestrum. Ioan. 14. fol. 1.
Epistola. Stabunt iusti Sap. 5. fol. eod.
In die S. Crucis Euang. Erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine. Ioan. 3. fol. 7.
Epistola. Hoc enim sentite in vobis. Philippen. 3. fol. eodem.
In die Ascensionis Domini Euang. Recumbentibus vndecim apparuit. Marc. 15. fol. 16.
Epistola. Primum quidem sermonem. Act. 1. fol. 17.
In die Sacrosancti corporis Christi Euange. Caro mea, verè est cibus. Ioan. 6. fol. 58.
Epistola. Conuenientibus vobis in vnum. Corinth. 11. fol. eodem.
In die S. Bonifacij Epist. Lingua Sapientũ ornat scientiam. Prouerb. 15. fol. 101.

Euang.

Euang. Ego sum vitis vera. Ioan. 16. fol. eod.
In die S. Albani Euangel. Nisi granum frumenti. Ioan. 12. fol. 129.
Epistola. Senectus venerabilis est. Sapient. 4. fol. eodem.
In die S. Ioannis Baptistæ Euang. Elizabeth autem impletum est tẽpus pariendi. Luc. 1. fol. 139.
Epist. Audite Insulæ. Isaiæ. 49. fol. eodem.
In die Apostolorum Petri & Pauli Euang. Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Matth. 16. fol. 159.
Epi. Misit Herodes rex manus Act. 12. fol. 160.
In die Visitat. Mariæ Euange. Exurgens Maria Luc. 1. fol. 168.
Epist. Ecce iste venit saliens. Cant. 2. fol. 169.
In dedicatione Ecclesiæ. Euangel. Ingressus Iesus perambulabat Ierico. Luc. 9. fol. 179.
Epist. Et ego Ioãnes vidi. Apocalyp. 21. fol. eod.
In die S. Margaretæ Euang. Simile est regnũ cælorum thesauro abscondito. Matth. 13. fol. 190.
Epist. Qui gloriatur in Domino. 2. Corinth. 10. fol. 191.
In die S. Mariæ Magdalenæ Euang. Rogabat Iesum quidam de Pharisæis. Luc. 17. fol. 194.
Epist. Fidelis sermo. 1. Timoth. 1. fol. eodem.
In die S. Iacobi apostoli Euangel. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi. Matthæi. 20.
Epistola Benedictus Deus & Pater. Ephes. 1. fol. 196.
In die Assumptionis Mariæ Euang. Intrauit Iesus in castellum. Luc. 10. fol. 198.
Epistola. In omnibus requiem quæsiui. Ecclesiast.

siast. 24. *fol.eodem.*
In die S. Bartholomæi Euang. Facta est cõtentio. Lucæ 20. *fol.*212.
Epistola. Ergo iam non estis hospites. Ephes. 2. *fol.eodem.*
*In die Natiuitatis Mariæ. Liber generat. Matt.*1. *fol.*214.
Epistola. Dominus possedit me. Prouerb. 5. *fol.*215.
In die S. Matthæi Euang. Et cum trãsiret inde Iesus. Matth. 9. *fol.*221.
Epistola. Vnicuique nostrum data est gratia. Ephes. 4. *fol.*222.
In die S. Michaëlis Euang. Accesserunt discipuli ad Iesum. Matth. 18. *fol.*222.
Epist. Et factum est prælium magnum in cœlo. Apocalyp. 12. *fol.*223.
In die Sanctorum Simonis & Iudæ Euang. Hæc mando vobis. Ioan. 15. *fol.*225.
Epistola. Scimus quoniam diligentibus Deum. Rom. 8. *fol.*226.
In die omnium Sanctorum Euangelium. Videns Iesus turbas ascendit in montem. Matthæi 5. *fol.*227.
Epistola. Vidi alterum angelum. Apocalyp. 7. *fol.*228.
In die animarum Euangelium. Omne quod dat mihi pater. Ioan. 6. *fol.*236.
Epistola. Fortilissimus Iudas. 1. *Machab.* 12.
In die S. Martini Euangelium. Sint lumbi vestri præcincti. Lucæ 12. *fol.*239.
Epistola. Ecce sacerdos magnus. Ecclesiast. 40. *fol.*

fol.eodem.
In die Præsentationis Mariæ Euangelium. Liber generationis. Matth. 1. fol.243.
Epistola. Ego quasi vitis. Eccles. 24. fol.244.
In die S. Catharinæ Euangelium. Simile regnum cœlorum decẽ virginibus. Matth. 25. fol.245.
Epist. Confitebor tibi Domine. Ecclesiast. 51. fol.246.

Finis Indicis Homiliarum Partis Æstiualis.

IN DIE SANCTORVM PHILIPPI ET IACOBI APOSTOLORVM EVANgelium Ioannis. xiiij.

ET ait discipulis suis: Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum? & in me credite. In domo patris mei, mansiones multæ sunt. Si quo minꝰ dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsũ, vt vbi sum ego, & vos sitis, & quò ego vado, scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimꝰ quò vadis, & quomodò possumus viã scire? Dicit ei Iesꝰ: Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. Si cognouissetis me, & patrem meum vtiq; cognouissetis, Et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostẽde nobis patrem & sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem. Quomodo tu dicis: ostende nobis patrem? Nõ credis quia ego in patre, & pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso nõ loquor. Pater aũt in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in patre, & pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet: Quia ego ad patrem vado, & quodcunq; petieritis patrem in nomine meo hoc faciam.

EODEM FESTO EPISTOLA SAP. V. CAP.

STabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum, videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustia spiritus, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus, gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.

SERMO PRIMVS.

SI quis ignoraret quæ Apostolorum apud Deum æstimatio sit, quid nos de ipsis credere æquum sit, tum quæ eorundem dignitas, quæ maiestas, quæ beatitudo. hoc vnũ sileger & Euangeliũ: facilè cõsideraret. In eo enim tanta dicendi suauitate, tam blandis verbis loquitur Christus, vt mirum sit, si non omnes cum Regina Saba nõ iam ad Salomonem, sed ad ipsum Regũ Principem Christum cum admiratione dixerimus: Beati viri tui, & beati serui tui, ij, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Si, inquam, cum diligentia hanc Euangelij lectionem cogitauerimus, verè dixisse Ieremiam Prophetam inueniemus. Bonus est dominus, inquit ille, omnibus sperantibus in eum, animę quęrẽti eũ. Vis aũt quę Apostolorũ sit dignitas scire? Cuius ipsi sint Apostoli cogita. Vis quæ ipsorũ priuilegia sint discere? Quid præsenti illis lectione tribuatur, animaduerte: ipsa nimirũ dñi verba perpende. Non turbetur cor vestrum, neq; formidet. Creditis in Deum? & in me credite. Et: Quò ego vado, scitis, & viam scitis. Sic porrò maiestatẽ ipsorum ex eiusdem domini verbis colligere licet. Qui in me credit, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horũ faciet. Et quicquid petieritis patrẽ in nomine meo, hoc

Thren. 3.

Quę Apostolorum dignitas sit.

Quę ipsorũ Maiestas.

hoc faciam. Sed & beatitudinē eorū cognoscimus, quod ait: Accipiā vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Et quomodo conuenientius eorū vel dignitas, vel maiestas, vel beatitudo quàm hoc Euangelio, ostenditur? Ea ergo propter in Apostolorum festis illo vtimur in Ecclesia, vt si cui minus satis fecerint vitę eorum historię, hinc hauriat, quod piè dignoque cum fructu secum cogitet. Quanquam & priuatæ Apostolorū historiæ minimè sint respuendæ, vt quæ multa & egregia de ipsis, planeque eiuscemodi testantur, quibus non immeritò ad amandū & suspiciendum eos, tanquam summi Dei eximios amicos, commoueremur. Nec hoc solum, verùm etiam vt sermones prædicationesque ipsorum diligentius audiamus, vt à Deo Legatos eos studiosius sequamur, vt datos nobis duces ad præcedendū in via salutis. Et denique, vt beatitudinem ipsorum, quos toties dominus beatos pronunciauit, appetamus. His meditationibus præsens occasionem ministrat lectio: imò vero dextrè, vt æquum est, examinata ostendit vnde tam illuminatum diuinarum rerum intellectum, tantam in omni pietate sedulitatem, tāque admirandam in persecutionibus patientiam concepe rint Apostoli: in quibus omnibus cum excellentes, tum etiam laudatissimi fuerunt. Nec mirum, quando doctori tam fido tam cupidas ac diligētes aures præbuēre, eaque, vt verba vitæ æternæ animis reposuēre. Facilè autem cō fiderare licet, nihil in hoc Euangelio à Christo præter missum esse, quod fidum doctorem deceat, maximè earum rerum quę Christianismus noster exigit, vt doctrinæ puritatem, vitæ pietatem, & in persecutione constantem patientiam. Hæc enim omnia Christus quàm perfectissimè tradit. Principio enim ipsam Christianę Philosophiæ summam vno verbo complectitur, cum ait: Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. Quo verbo, inquam, ipsa Christianæ ac Euangelicæ doctrinæ summa comprehensa est. Ipsum enim se atque adeò solum nostræ salutis principium, medium, finemque apertè pronuntiat. Id quod, ita esse, multa demonstratione non eget. Est enim salutis nostræ principium, à peccato ad iustitiam, ex ira Dei in ipsius transire gratiam: medium, veritatem agnoscere: finis, vitam æternam

Quæ beatitudo.

2. Cor. 5. Lu. 6. & 10.

Ioan. 6. Doctrina Christi perfecta.

Ioan. 14.

nam apprehendere. Quæ quidem omnia per vnum Chri
ſtum conſequimur, qui vnum & eſſentiale verbum Dei,
apprehenſus ad Deum ipſum, hoc eſt, à peccato ad iuſti-
tiam, à mendacio & errore ad veritatem, à morte tandem
ad vitam, à damnatione ad ſalutem ducit. Præter Chri
ſtum, quicquid vſquam eſt, peccatum eſt, error eſt, mors
& perditio eſt. Propriè ergo ipſe dixit: Ego ſum via, ve-
ritas, & vita. Via incipientium, veritas proficientium,
vita ſum ego perfectorum. Sum via quæ ducit, veritas
quæ lucet, vita quæ nutrit. Via ego ſum vitæ, veritas do-
ctrinæ, vitaq; ſalutis æternæ. Via ego ſum exemplo, veri
tas promiſsione, vita remuneratione. Via ſum ego quæ
non ſeducit, veritas quæ non fallit, finem non habens vi
ta. Ego via quæ credentem duco, ego veritas quæ confi-
dentem me veracem facio, vita ego quę credentem & cō
fitentem me ſaluo. Et quid multa? Nemo venit ad patrē
niſi per me. Hęc ſumma Chriſtianę philoſophię eſt. Chri
ſtus enim fundamētum eſt, in quo ſuperędificandum eſt.
1. Cor. 3. Chriſtus lapis angularis eſt, qui nos in ſpirituali ſtructu-
Matth. 21. ra conſeruat. Et quidē in nullo alio ſalus, nec vllū aliud
Acto. 4. nomen datum ſub cœlo hominibus, in quo ſaluari poſſu
Matt. 17. mus. Hic eſt, inquit pater, filius meus dilectus in quo mi
hi bene complacuit: ipſum audite. An non hoc eſt totam
Chriſtianę doctrinæ ſummam breuibus comprehēdere?
Simili compendio hic Chriſtianæ vitæ ſummam per-
ſtringit dicens: Quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis. ac ſi
dicat: Quòd ad patrem ego vadam & ad regnum ſempi
ternum properem, ſcitis. Vidiſtis exemplum meū: quòd
Ioan. 8. ſi ſalutem vultis, ſequimini. Qui enim me ſequitur, in
tenebris non ambulat. Hoc verò dicere, ſummam Chri-
Col. 3. ſtianę vitæ complecti eſt: vt non quæ ſuper terram ſed
quæ ſurſum in cœlo ſunt quæramus, vbi Chriſtus eſt in
dextra Dei ſedens. Tum vt eadem via qua Chriſtus præ
ceſsit, nos ſequamur. In his enim duobus vniuerſa Chri-
ſtianorum vita conſiſtit. Hoc ergo ſecundum quod Chri
ſtus hic docet.

Iam tertio tolerantiam in aduerſis ſuadet. Et hac parte pluribus vtitur, quandoquidem carni nihil inſuauius, imò nec difficilius quicquam videtur, quàm patienter aduerſa perferre. Diuerſis igitur cōſolationibus hìc nos erigit.

erigit. Primum cum ait: Creditis in Deum? & in me credite. Vt enim nulla Deum potestas aut vis deijcit, ita nec me nec meos in me credētes vlla franget aduersitas. Non ergo cruce aut tentatione inuadēte deseri vos à Deo arbitremini: ecce enim ipse ego crucem baiulo, filius ille dilectus Dei nihilominus permanens. Hoc solum cauete, ne quis vestrum tanquam homicida, aut maleficij conuictus patiatur. Si verò præter meritū vestrum quid, aut pro 1. Pet. 4.
pter iustitiam patimini, beati estis. In Deum ergo creditis? & in me credite. Deum munificum & beneuolum patrem habetis, talem me quoq; habebitis: ne quid addubitetis. Agite ergo cum Paulo gloriantes dicamus. Si Deus Rom. 8.
pro nobis, quis contra nos? DEVS est qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus est qui etiam interpellat pro nobis, quis accusabit aduersus nos? Secundum, quo nos consolatur, est quod ait: In domo patris mei, mansiones multæ sunt. ac si diceret: Ne persecutionem formidetis: pro vita æterna certamen subitis. Complacuit patri Luc. 12.
vestro, dare vobis regnum suum. Et non sunt condignæ Rom. 8.
passiones huius vitæ, si conferantur ad illius regni gloriam. Tum & momentanea huius temporis est tribulatio: parat sempiternam & omni comparatione maiorem gloriam. Non est ergo quod desperetis. In domo patris Matt. 25.
mei mansiones multæ sunt, vbi abundè omnia refundentur vobis, inquam, quibus regnum illud paternum iam inde ab origine mundi præparatū est, quiq; ad illud ab Ephe. 1.
æterno prædestinati estis. Nihil igitur vobis timendum est. Nemo enim vos de manu patris mei potest rapere. Iā Ioan. 10.
verò quo tertio nos consolatur, est: Iterum autem veniam ad vos, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. An non ingens hæc consolatio est? Cui non absimile est, quod in Isaia dominus loquitur: Ad Isa. 54.
punctum, & in momento dereliqui te, & in magnis miserationibus congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Hoc modo & hic loquitur: Accipiam vos ad meipsum: hic in gratiam & tutelam meā, illic in æternam gloriam. Ita planè vt confidenter cum Paulo liceat dicere: Siue viuimus siue morimur, domini sumus. Quod si cum Christo sumus, quod nos malum

solicitabit, quod bonum desiderabimus? Imò quid boni sine Christo, aut quid omnino mali cum Christo erit? Quarto quo nos afflictos consolatur, est: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Quibus sanè verbis ineffabilis virtus ac maiestas fidei describitur: fidei, nimirum, quæ omnibus fortior,
1. Ioan. 5. mundo, morte, ipsoque adeò diabolo deuicto, se ex omni persecutionum genere eripit. Christo attestante
Marc. 17. cum ait, omnia possibilia esse credenti. Sicut & alibi di-
Matth. 21. scipulis loquitur: Si habueritis fidem, dicetis huic monti, tollere & mittere in mare, & fiet. Vnde & Paulus con-
Philip. 4. stantissimè loquitur: Omnia possum in eo qui me con-
Rom. 8. fortat. Et: In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Et quid mirum, si tam multa ac tanta credenti in Christum possibilia sint? Per fidem enim Christo vnitur, & incorporatur. Vnitus Christo Spiritum ipsius concipit, qui omnipotens est ipse, & hominem in quo est, fortem ac potentem facit. Id quod clarè in Apostolis videre est, quos idem ille Spiritus tam fortes atque magnanimos effecit, vt gaudentes à Iudeorum Concilio discederent, ac pro voluptate ducerent, pro nomine Iesu contumeliam pati. Eadem fortitudine & Martyres fuêre induti, qui in maximis etiã ac vehementissimis cruciatibus, præter laudem & gratiarum actiones vix quicquam sonabant. Nimirum hoc illud est, quod Da-
Psal. 93. uid cecinit: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, domine, consolationes tuæ lętificauerunt animam meam. Cum ergo tantum fortitudinis robur in se credentibus promittit Deus, nemo fidelis à persecutionis facie timeat. Postremo & quintam consolationem addit, dicens: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Et quæ homini in angustijs posito validior esse queat consolatio? Scire preces suas exaudiri, nec vlla se omnino petitione fustrarier? Ex quibus omnibus considerare licet, quanta cum diligentia Christus docuerit, quàm nihil quod ad spiritualem & æternã salutem nostram facit, prætermiserit. Vnde nõ im-
Ioël. 2. meritò in Ioële Iustitiæ doctor dicitur. Pari ergo diligentia ipsum Apostoli audiuêre, ab eius ore, tanquam à Deo dati doctoris, pendentes, si cubi minus dicta percipe-

rent,

rent,interrogauére. Vt hic in Thoma primum, deinde etiã in Philippo videre est. Et quid miramur eos in omni spirituali sapientia scrẽtia & cognitione tantũ profeciſſe? Ecce quomodo planum fit,par illud Apoſtolorum Philippũ & Iacobum edoctos fuiſſe tribus ijs partibus,quarum memini:nec nouiſſe ſolùm quid credendum, quomodo viuendum,quo affectu in perſecutionibus perſtandum ſit,verùm etiam eadem alios doeuiſſe. Iacobus quidem id præſtitit Ieroſolymis, vbi primus Epiſcopatum tenebat:Philippus vero in Syriæ & Aſiæ partibus. Vterque piè vixit,hic inter Gentes, ille in Iudæis:vterq; fortiſsimè ſuccubuit, cùm hic præcipitatur à Templo, ille crucis ignominiam ſuſtinet. Et hæc illa ſunt,quæ credentes hodie admiramur atque prædicamus: laudanda profecto,& pro meritis extollenda. Verùm quò excellentior eorum laus eſt,eo pudor noſter maior eſt,qui eodem licet,quo ipſi,docemur magiſtro,nihil tamen proficimus. Inuenias enim, qui ne quidem norint ad religionem pertinentia,& ſi qui norunt,quod norunt faciunt minimè. Norunt alij (concedam) & faciunt quod æquum & iuſtum iudicant: ſed hi tum in perſecutione infirmi tolerantiæ atq; fortitudinis laborant penuria. Minima pars reſtat,quę quid credere,quomodo viuere,qua æquanimitate aduerſa perferre deceat,norint. Eò igitur diligentius hoc Euangelium cogitemus:eò etiam ſtudioſius horum duorum exempla imitemur. Nam ſi porrò in ignorantia perrexerimus,à Deo ipſi ignorabimur. Et qui voluntatem domini ſui nouit,non autem fecerit, vapulabit plagis multis. Gratia Dei nobiſcum,Amen. 1.Cor.14 Luc.12.

SECVNDVS SERMO.

EVangeliũ hoc non ſolum duorum Apoſtolorũ, Philippi,inquam,& Iacobi feſtiuitati,verumetiam hiſce noſtris Paſchæ ſolennijs conuenit. Primũ enim nouiſsimi illius ſermonis Chriſti quo ad Apoſtolos vſus eſt,non infima pars eſt. Deinde à capite vſque ad calcem lætis perſonat vocibus,quibus libenter, nec incongruè ijs ſolennijs vti conſueuimus. Poſtremò peculiaris in eo quædã Philippi Apoſtoli fit mẽtio. Vndè ſingulari quadã prudẽtia antiquitus in hanc illud feſtiuitatẽ ordinatũ eſſe intelligimus. Simul enim hæc tria proponũtur. Si quẽ

ergo vel de Apostolorũ dignitate in genere, vel de Philippo priuatim, vel deniq; lætũ & magnæ illi solennitati dignum sermonem audire iuuat: hoc ipsum in manus sumat Euangelium, & triplici dignam desiderio delectationem sentiet. De Apostolorũ dignitate alibi dixi, quando eorum in Ecclesia frequens habetur memoria. Scriptura enim vbiq; eorum honorificam mentionem facit.

Matt.10. 19. Apostolos siue Dei legatos vocat, & pastores, & patres, & principes, & iudices, & dispẽsatores mysteriorũ Dei.

Psal.44. Et hç quidẽ egregię atq; honorificę appellationes sunt.

1.Cor.4. Est tamen vnicum quid in hoc Euangelio, quod omnia cætera excellit, nempe quod amici Christi intimi fuerint ac sint modò: & tales, quibus cum arcana sua omnia manifestauit, tum seipsum etiam impertijt. Et hæc maxima hominis dignitas, excellens omnia alia. Fallere enim possunt reliqua nomina, cum impijs etiam sunt obuia. Vt in proditore Iuda, in Caypha, Pilato & alijs videre est. Iudas enim Apostolus, Cayphas pastor, Pilatus Iudex erant: nihilominus tamen Dei hostes, atq; maledictionis mancipia fuerunt. Dei autem amicitia non fallit: neq; cuiim in impium aliquem potest cadere. In Apostolos igitur, vt amicos Dei hodie respice: quæ dignitas quisue honos sit, Dei amicum esse, cogita. Vide vt tanquam Dei amicos existimes, ac reuerere eos, atq; imprimis hoc age,

Amicitia Christi dignitas Apostolorũ maxima.

Ioan.16. vt ipse quoque amicus Christi sis atq; permaneas. Id quod fiet si ipsi arctissimè per fidem coniunctus, strenuè sequaris. Et hoc iam primo circa Apostolos cogitandum venit in genere. De Philippo priuatim innuitur,

Ioan.14. quod subito præter omnium expectationem dicit: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Magni hæc ponderis quæstio. At nunc dicere, quo animo hæc Philippus quæsierit supersedeo, eò quod in Ioannem abundè satis hac de re conscripserim. Nunc verò id dico, nullam in hoc orbe meliorẽ esse orationem, quàm qua Christum precamur, vt patrem nobis ostendat. Et tamen nihil rarius hac petitione auditur. Multi quidem vt pacem, vt sanitatem, vt diuitias largiatur orant: sed vt patrem nobis ostendat perpauci. Ita peruersè omnia agimus, & quod postremo debuimus, primo loco dignamur: quod primum merebatur, totum obliuioni tradimus. At Philippus

lippus ordine procedit digno, qui cum temporaneum quid potuisset petere, æternũ & spirituale cogitat: Domine, inquit, ostende nobis patrẽ & sufficit nobis. Hunc tu quoq; precandi modum imitare, & in nullo deficies. Fons enim omnis boni Deus est, quem qui videt & agnoscit, quicquid vsquam boni est, possidet. Per ipsum enim, & in ipso sunt omnia. Peculiare quid considerandum hoc Euangelium offert, cum effectus illos lætæ resurrectionis Christi indicat. In his autem primus est, pax & gaudium. Propterea credentibus suis ait: Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Creditis in Deum? & in me credite. Secundus est, futuræ salutis spes. Propterea ait: Quò ego vado scitis, & viam scitis. Quartus est, cœlestis auxilij præsentia. Propterea ait: Ego sum via, veritas, & vita. Quintus, amicitia cum Deo est. Propterea ait: Qui videt me, videt & patrem meum. Sextus est, virtus in afflictione & cruce. Propterea ait: Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet. Sextus est, exauditio precum. Propterea ait: Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Hos omnes fructus sua Christus passione nobis meruit, suaque resurrectione contulit. Quur ergo miramur omnium credentium in his diebus gaudium? Vtinam autem hæc dignè cogitaremus, profecto & alacriores in labore, & æquanimiores persisteremus in afflictione. Id quod cùm in his duobus, tum etiam in omnibus Apostolis videmus, qui ideo gaudentes exultarũt, quòd pro nomine Christi contumeliam pati, essent digni habiti. Et hæc in genere de hac festiuitate atq; hoc ipso Euangelio dixisse sufficiat. Illud nunc porrò quod sermonis huius exordio dictum est, altius inuestigemus. Permultum enim commodi adferet. Principio cum non eadem morborum causa est, non vna eademq; medicina medetur omnibus, ipsa experientia docente. Sua quisq; medicamenta requirit morbus. Idem autem de ægrotationibus animorum dicere licet, in quibus inordinatum gaudium & lætitia annumeratur, confidentia, inquam, & pusillanimitas, Aegrotationes nimirum planè contrariæ, eaq; propter vna aliqua medela curari nequeunt. Dissoluus enim & insolentibus amara & tristia propinanda

Rom. 8.

Resurrectionis fructus.

Ioan. 14.

Acto. 5.

Diuersitas morborũ diuersitatẽ medelæ exigit.

sunt, vt est humana imbecillitas,& peccatum, & mors, & Dei iudicium. Deiectis verò & humilibus mitiora & suauia porrigenda sunt, quibus erigantur, ne indespera-
Prou. 31. tionum barathrum incidant. Id ipsum enim & Salomon monens,date,inquit, siceram mœrentibus,& vinum his qui amaro sunt animo. Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius. Quomodo ipse etiam Christus, verus animarum medicus, Iu-
Matth.21. dæis quidem nimium sibi confidentibus & tumidis,tristia denunciauit, quod excæcati, à Deo derelicti, à re-
Lucæ.19. gno Dei excluſi, adhuc etiam in mundi partes dispergendi forent:discipulis verò & electis suis vt humilibus ac pusillanimibus,læta atq; Euāgelica pdicauit. Id quod cùm alibi tum hic etiam considerare licet, maximè quod ait, in domo patris mei mansiones multæ sunt. Tria nimirum innuens cognitu perneceſſaria. Primo, quæ huius vitæ sit miseria:deinde,quo anhelandum: ac tertio,qua via pergendum sit. Et hæc ipsa plenissimè in his duobus Philippo atque Iacobo Apostolis videmus. Primo igitur miseriam huius vitæ insinuat, cum ait, in
Hebr. 13. patris sui domo mansiones plures esse.Nēpe hoc vult dicere: In terreno hoc incolatu firma sedes nulla est, non manens locus:nihil certum,aut stabile.An autem non est misera,sine vlla stabilitate vita?Nulla id eget demonstratione, quando ipsi videmus, ac quotidie quę sit omnium rerum,etiā spiritualium hic vicissitudo experimur.Quis enim tam sanctus aut perfectus est, qui certò sciat, se nō aliquando casurum? Et quid nobis tribuimus? Quid in operibus quę fecimus nos confidimus? Infirmum fundamentum est, ruinosa commoratio est, cum Pharisęo illo
Lucæ.18. dicere: nō esse nos sicut cęteri sunt,sanctiores purioresque omnibus alijs velle videri, diuites nullius q; egētes, cùm re vera miseri simus.Nā quod in nobis est bonum,
Lucæ.3. admodum vile,perexiguú mq; est,&(is nisi conseruet in nobis,qui dedit)citò perditur.Ne igitur securum te dixeris,quando non in mansione, sed in tugurio moraris:
Rom. 11. magis vero qui fide stas,Paulo monitore,ne fortè cadas, time: & illi soli innitere, qui solus refugium nostrum
Psal.90. & susceptor est omninm.Ille conseruare stantes,ille potest erigere lapsos. Si quando igitur tentationum procellas

cellas imminentes pręuideris, huc accurre, huius refugij auxilia quærito: sin verò illa iá obruit te, si deiecit, si labi fecit, idem facito, huc ſuppetias petitũ aduola. Hoc ipſo enim pij ab impijs differunt. Vterq; iuſtus & iniquus labitur, proſtratur, cadit: hic ſurgere non curat. Aut enim peccato excuſationem prætendit, aut pertinax frontem perfricat, nec Deum veritus nec hominem. Ille verò & ſi ceciderit, non tamen collidetur: quia dominus ſupponit manuũ ſuam, vt etiá ipſa peccata ipſeq; lapſus illi cooperentur in bonũ. Humiliatur enim lapſus, ac magis timet. Sic Dauid de ſeipſo loquens ait: Impulſus euerſus ſum vt caderem, inquit, & dñs ſuſcepit me. Ex his ergo omnibus manifeſtum fit, nihil in terris firmum eſſe, nihil ſtabile. Verùm enimuero in domo patris mei, inquit Chriſtus, manſiones multæ ſunt. Huc ergo tandem aliquando cõuertamur, vbi vera atq; tuta nobis eſt habitatio. Et bene manſiones, hoc eſt, domus manẽtes dicuntur: illic enim verè libereq; ab hoſtium incurſibus cũ ſecuritate viuemus: illic tentoria & vmbracula ad auertendos turbines & æſtum tentationum. Vbi autem ſecuritas, illic gaudium. Sapiens ille noſter expectationem iuſtorũ lætitiam eſſe aſſerit. At quæ lætitia quódue gaudium erit, vbi fruemur tandem quod hic expectamus? Non oculus vidit, nõ auris audiuit, quę pręparauit Deus electis ſuis, teſte Iſaia. Illic ergo in domo patris noſtri, ſempiterna vita erit. Quam enim modò viuimus vitam, conuenientius mortem dixerimus quàm vitam: quod quotidiè magis magisque iam inde ab incunabilis in mortem inclinamur. Adde, hos dies & breues & malos eſſe, illic cõtra in domo patris noſtri æternos atq; bonos. Et hoc ipſo adhuc Dei bonitatem conſideramus apertius, qui illic breuem vitã eſſe voluit, vbi dies mali ſunt. In illam ergo domũ Dauid Propheta aſpirabat, cum diceret: Quis dabit mihi pennas ſicut colũbæ, & volabo & requieſcã? Et: Vnam petij à Domino, hanc requirã, vt inhabitẽ in domo tua Domine. Et Iob: Omnibus diebus vitæ meæ expectabo, inquit, donec veniat immutatio mea. Illuc verò non niſi per medios hoſtes trãſire licet. Hoc ergo tertio ex Chriſti verbis cõſiderare licet: via qua pergendũ eſt. Hæc via ſemita crucis eſt, tentationum obicibus ſtructa eſt.

Pſal. 36.

Roma. 8.

Pſal. 117.

Iſaiæ. 64

Pſal. 54.

Pſal. 26.

Iob. 14.

Acto. 14. est. Per multas enim tribulationes, Paulo teste, oportet
Lucæ.14. nos intrare in regnum Dei. Per passionē Christus hinc in suam transijt gloriam, per medios hostes nobis etiam sequendus est. A leua enim dextraq; densissimas cōspicimus hostium turmas, eiusmodi nimirum, qui vndique nos & anima atque corpore infestant. Impij enim homines corpus, nequam verò Spiritus animam conātur occidere. Et quid hic facto opus est? Qui in mundo militiam exercent, scuta sinistra gestant: & hunc morem plurima Christianorū turba imitatur: cum qua ratione corpus & quæ corporis sunt, nulla dextræ, hoc est, animæ, cura tacti, tueri possint cogitant. At longè diuersa Pau-
2. Tim. 2. lus nos monet. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. Idemq; alibi iustitiæ armatura, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, per
1. Cor. 6. mortem & vitam, per diuitias & egestatem iubet perrūpere. Sed vtraq; parte conuenientibus armis instructis opus est. Quod si corporis vita in periculum adducitur, vtendum est patientia, non malum pro malo rependendum est. Ast à dextris nostris contra animam si insurrexerit hostis: hic armis opus est, repugnandum atq; certandum est. In primis verò serpentina vtamur prudentia: summam rei, ipsum caput, mentem, inquam, atq; fidē
Psal. 15. galea salutis muniamus, Dauid sequentes qui ait: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne cōmouear. Quæ autem & quid tandem à sinistris, in secularibus, nocebit aduersitas, si Dominus ipse à dextris vitam animæ contegens, cōseruet? Via igitur ad paternam sedem, crucis & afflictionū est semita. Hoc est quod dicit: In domo patris mei, māsiones multæ sunt, ac si diceret: In tribulationibus afflictionibusq; fluctuantes, spei vestrę ancoram in cœlestis patriæ littus proijcite. Tumidum hoc mundi mare sæuiat licet, spes tamen futuræ gloriæ omnia mitigabit aduersa: sedatisq; fluctibus cūcta tranquilla videbitis. Qua certè Domini sui promissione Paulus Apostolus ita recreatus fuit, vt gloriari etiam in ipsis tribulationibus, ijsque vehementissimis, potuerit. Non ergo quæ ante
1. Cor. 6. oculos modo sunt, sed futura prospiciamus. Id quod idē Paulus vult, cùm vt Deū glorificemus, eumq; corpore atq;

atque adeò in hac mortali carne portemus, monet: non irrationabilium animãtium in morem quasi impositum contra voluntatem nostram portemus iugum, sed sponta- Matth. 27
neè, Dei nostri in ipsa tribulatione agnoscentes voluntatem, illi obsequantur. Hac voluntate Philippus ait: Ioan. 14.
Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis. Sic Iacob Apostolus suadet: Omne, inquit, gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis, scientes Iacob. 1.
quòd probatio fidei vestræ patientiam operetur.

IN DIE S. CRVCIS
EVANGELIVM
Ioannis III.

ERat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorũ. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest hęc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnũ Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatꝰ fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quià dixi tibi, oportet vos nasci denuò. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat aut quò vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israël, & hęc ignoras?

ras? Amen amen dico tibi, quia quod scimus, lo quimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cœlestia credetis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descēdit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam ætenam.

EODEM FESTO EPISTOLA. PHILIP. II.

HOc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum: & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestriū & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria Dei est patris.

SERMO PRIMVS.

IVdæi signa petunt, gentes sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum, Dei virtutem & Dei sapientiam. Testantur acta Apostolorum, quòd Paulo aliquando fidei suæ ac doctrinæ rationem coram Agrippa rege reddenti, magnáque spiritus vehementia de Christo Iesu differenti, Portius quidam festus Syriæ procurator incontinens suorum

1. cor. 1.

Acto. 26.

affectuum, coram omni multitudine ac Rege magna voce insaniam obiecerit. Insanis ô Paule, multæ te literæ ad insaniam conuertunt. Eam Paulus à mundi amatoribus laudē consecutus est, vt insaniæ argueretur. Idem nobis etiam vsu venit. Neque enim aliud Iudæi, Gentes, Turcæq; si (quod hodie fit) nos crucis festa celebrare, Crucis laudes personare, Crucem visitare ac sequi conspicerent, de nobis iudicarent, quàm quod de Paulo clamauit Festus: dementiæ nos omnes arguerent, qui in re cōtemptibili, omnibúsque formidabili triumphamus. Nec id mirū, si ita de hoc festo increduli iudicant, quando, vt nunc sunt tēpora, & in nobis inuenias non paucos, qui hæc subsannent, ac rideant. Sed quā Paulus defensionē adfert? Non, inquit, insanio, optime Feste, sed veritatis Ibidem.
atque sobrietatis verba loquor. Et mox ad Agippā conuerso sermone: Opto, inquit, apud Deum, non tantum te, sed omnes etiam qui audiunt hodie, fieri tales qualis ego sum, exceptis his vinculis meis. Iisdem verbis hūc crucis triumphum ridentibus respondeo: Non hæc insania est, quod gerimus. Crucis virtutem nouimus. Sit licet Iudæis scandalū, Gentibus autē stultitia: nos tamē crucem Christi Iesu erubescimus minimè. Nec vlla id ratione possumus. Verùm enimuero constanter atq; 1. Cor. 2.
intrepidè Christum crucifixum prædicamus, & gloriamur in cruce Dñi nostri Iesu Christi: vtique electis hoc Dei Galat. 6.
virtutē atque sapientiā esse didicimus. Atq; ô vtinā omnibus hominibus ea crucis esset cognitio. Summa enim atq; extrema hæc cęcitas nostra est, tam citò crucē Christi obliuioni tradere. Neq; verò tot erroribus fides Christianorū, nec tot detestandis criminibus vita nostra fuisset labefacta, si non à Christi cruce auertissemus oculos. Hæc vt cauerēt Apostoli, quacunq; potuerunt ratione, Christi crucis mysteria nobis inculcarunt. Mōstrant id oēs eorum Epistolæ, sermones, actus. Quid enim Petrus Acto. 2.
duobus prioribus aliud laborat sermonibus, quàm vt &. 3.
crucē hanc doceat? Apertè Paulus præter Cristū, eumq; 1. Cor. 2.
crucifixū nihil se scire iudicat. Idem etiā pseudoprophetis omni virtute resistit, ne crux Christi euacuetur. Alibi 1. Cor. 1.
etiam quosdā crucis huius inimicos defleuit. Nec vult, Philip. 3.
nisi in Christi Iesu cruce gloriari. Quæ certè oīa magnū aliquod

aliquod in hac cruce mysterium latère conuincunt. Id quod non ignorátes ij qui ante nos fuere Patres nostri, tot signa vbique erexère, tot festos dies memoriasq; instituerunt, ac celebrauerunt. Certè quod ad externos ritus, etiamnũ videas obseruari. Cæterùm, fides, deuotio, pietas, dignaq; memoria maxima ex parte à multis euanuerunt. Proinde amplius mihi nunc quid de Cruce dicendum est. Nulla huius festiuitatis vtilitas præter emẽdationem nostram est. Tria autem, ne nos longiore mora teneam, indicabo tantũ. Primo, quid sit ipsa crux, quã tanta gloria Christianus orbis celebrat. Secundo, qua ratione posit fide apprehendi ac teneri. Postremò, quomodo ea ad vitæ emendationem vti conueniat: quæ tria necessario cognoscimus, si tamen hoc crucis festum dignè celebrare volumus. Principio, inquam, quid sit illa crux (neque enim id pauci ignorant) quæramus. Vulgus quidem hominum, cùm crucis appellationem audit, solum illud lignum, in quo Dominus suspensus est, aut (si quid præterea) alia quædam signa, quæ forma illa Crucis repræsentantur, cogitat. At longè diuersa Pauli est sententia. Nam vbique crucis mentionem faciens, non lignũ illud, sed eum qui pependit in ligno, imò totam illam actionẽ crucis intelligit. Et ita quidẽ nos de ea & cogitare & dicere conuenit. Quando ergo crucis imaginem vides, aut crucis eulogia audis, Christũ cruci affixum cogita, sitq; is tibi tanquam ob oculos positus crucifixus. Hoc faciẽs, sanctam crucem, in qua Christiani gloriamur & triũphamus, certissimè tenes. Sed hic dupliciter laboramus. Primò, quo externarum in Ecclesia cæremoniarũ institutum pertineat, cogitandũ erat: & ecce in his externis inhæremus tantùm. Deinde etiã qui hos ritus circa externum signum crucis simpliciter idolatriam dicant, inuenies. Vtrobique error. Procul dubio enim quicquid hodiè circa hanc crucem fit in Ecclesia, quasi digito in Christũ in ea passum & mortuum commõstrat. Et hoc ipsum intelligere licet ex parte prima statim acclamatione: Nos aũt gloriari oportet in cruce domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus. Attendite quid verba velint. Non dicimus, in qua, vel per quã: sed

Galat. 6.

in

in quo,& per quem,scilicet Christum. Ecce quomodo credentesnon crucis lignum sed crucifixum Iesum venemur ac colimus.Et rectè id quidem. Neq; enim lignũ viuificare, aut saluare potest. Potest aũt Christus Iesus: eoque merito illi salus nostra attribuitur. Nullus igitur hac parte idolorum cultus in Ecclesia cernitur. Nemo igitur quod nõ intelligit,iudicet:aut tanquã reprehẽsione dignum condemnet.Sumus enim,nescio quo facto,hoc seculo adiudicandum damnandumq; propensiores.Vndè fit, vt non nulla quæ antè nostra sententia damnauimus,postea pœnitentia ducti reuocemus:quod eiusmodi res ad virtutem & eruditionem hominum necessaria esse serò agnoscamus. De qua re alibi sæpe multa. Hoc nunc ago, vt credentes circa crucem hanc nihil præter Christum eiusq; passionem cogitemus. Sitque hoc primum & fundamentum negotij. Nunc porro quod de eadem S.Cruce sentiendum,hoc est,quid de crucifixo Iesu credendum sit. Et primo quidem ipsa fide apprehendenda est.Neque enim si in parietem depingas,aut collo appensum circunferas: nisi etiam fide apprehenderis & pectori tuo inclusum serues,imò ipsi tota mente adhęseris,satis est.In cruce enim ac passione Christi, salus nostra & vita est:imò crux & passio Christi, Dei virtus & sapientia nobis est.Id quod in veteri etiam Testamento figuris multis adumbratum fuit. Est enim crux ac Christi passio,ipsum vitæ lignum,quod Deus in medio orbis Christiani,tanquam in paradiso plantauit.Et in ipso præsentissima nobis vita est. Tantum ne vitæ lignum aspernati,ad boni malique scientiæ arborem infausto nimium pede curramus,vt Adam:hoc est, necessarium negligamus,ac sciolos sequamur. Deinde & arca Noë ipsa est, in qua sola turbidum huius mũdi Oceanum tranare,cui etiam nos,nostráque animas rectè ac tuto credere possumus.Iudæi propriæ iustitiæ trabe tranare volebant. Græci sapientiæ & scientiæ remigio vti volebant:sed vterq; populus submersus est. Ac in Cruce ac Christi passione liberè,sepositio omni metu,omnia pericula possumus euadere.Est tertio Crux nostra,scala Iacob, per quã angelos ascendere atque descendere, imò cuius summitati ipsum Deum innixum insomnis S. Patriarcha vidit. Per crucẽ

1. Cor.5. Figuræ S. crucis.

Gen.2.3.

Gene.7.

Gene.28.

enim ac Christi passionem, cœlũ nobis reseratũ est, De-
Gene.22. us ipse reconciliatus est, angeli confœderati sunt. Est
quarto & baculus ille in quo idẽ ille Iacob Iordanẽ trã-
sijt. Christi enim passio hic in itinere cõfirmat nos, ne
Exodi.7. defatigemur: reficit nos, ne succumbamus. Est quinto
Mosi virga miraculorũ, inquã, instrumentũ est, & causa.
Est denique baculus, siue funda Dauid & gladius, quo
1.Reg.17 Philistæũ percussit. Vnde Christus passionis suę tẽpore
Ioan.12. ait: Nunc iudiciũ mundi huius incipit: nũc princeps hu-
ius mundi eijcietur foras. Et: Consummatũ est. Est sexto
lignum, quo Moses amaras aquas dulces fecit. Passionis
Ioan.19. enim Christi dextra meditatio, omnẽ cuiuscunq; perse-
Exod.15. cutionis amaritudinem suauem ac leuem reddit. Simili
ratione Christi hanc crucem ligna dicimus, quæ vidua
3.Reg.17 in Sarepta, vt ignem construeret, collegit. Per iugẽ enim
passionis Christi meditationẽ diuini in nobis amoris i-
gnẽ accẽdimus. Ad hęc eadẽ & æneus ille serpẽs est, quẽ
Num.21. Moses in deserto erexit, vel ipso Christo testãte, qui ait:
Ioan.3. Sicut Moses exaltauit serpentẽ in deserto, ita exaltari o-
portet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non
Ezec.9. pereat, sed habeat vitã æternam. Facit enim sedula Chri-
Apoc.7. sti crucifixi cõsideratio, vt omne in nobis peccati vene-
nũ pellatur. Postremo crux Christi signũ illud est, quod
scriptũ in frontibus hominũ, à perditione conseruat. Et
quid multa? Crux Christi tegmen est sub quod oĉs verè
Psal.35. credentes cõfugiunt, vt Dauid ait: Filij hominũ sub te-
Psal.16. gmine alarum tuarũ sperabũt. Et: Custodi me Domine
sub vmbra alarũ tuarũ. Quisquis enim sub his alis cõse-
derit, ab impetu Satanæ securus habitabit. Et vt in sum-
ma dicam, est crux sancta signũ quo reuocãtur errantes,
reconciliantur peccatores, docentur ignorãtes, custodi-
untur morientes. Videte ergo quàm conuenienter Pau-
lus Dei eam nobis virtutem atque sapientiam esse dixe-
1.Cor.1. rit. Hanc igitur fide & spirituali animositate apprehẽda-
mus, & sic fortiores nos omnibus hostibus nostris, sapiẽ
tiores toto hoc mũdo intelligemus. Hoc Isaias volebat
Isaiæ,11. dicẽs: Leuabit Dñs signum in nationes, & congregabit
profugos Israël. In die illa erit radix Iessæ, qui stat in si-
Isaiç.66. gnum populorũ, ipsum Gentes deprecabuntur. Et iterũ:
Venient Gentes & videbunt gloriã meam: & ponam in

eis

eis signum,& mittam ex eis qui saluati fuerint ad Gētes. Et hic quidem Sancti Crucis primus vsus est: vt eam fide apprehendamus. Sed minus sufficiens, nisi & in humeros nostros susceperimus. Hinc est quod Christus ait: Qui nō accipit crucē suā & sequitur me, non est me dignus. Et iterū: Qui vult me sequi, tollat crucē suam & sequatur me. Et Petrus: Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum vt sequamur vestigia eius. Et Paulus: Si Christo compatimur,& cōregnabimus. Nec hic necesse est longe quæsitam crucem tibi compares. Apud temetipsum, ac intra domus tuæ parietes abūde satis erit. Quis enim sine cruce erit, aut quis diuersitatis eius numerandæ sufficit? Priuata crux menti cuiq; est: habet & suam corpus quodlibet: latent & in externis sæpe rebus, quarum quæ cuique nostrum portanda porrigitur, cum æquanimitate ferenda est. Dicendum est: Domine, fiat voluntas tua. Et cum Iob: Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? Et cum Michæa: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei. Et cū Machabæis: E cœlo ista possideo: sed propter leges Dei, nunc hæc ipsa despicio: Et mox: Et si nobis propter increpationem & correptionē Dominus Deus non modicum iratus est, sed iterum reconciliabitur seruis suis. Et deniq; cū Dauid: Ecce ego: quod bonū videtur Dño, faciat. Paratum cor meū Deus, paratum cor meum. Hoc esset crucem post Christum portare. Quanquam nec hoc satis est. Laborandū est adhuc, vt vetus ille homo in nobis crucifigatur, vt non nos, sed Christus viuat in nobis. Quemadmodum de seipso Paulus testatur: Ego, inquit, cum Christo crucifixus sum, propterea viuo iā non ego, sed in me Christus. Ita ergo peccata cæteraq; vitia in nobis mortificabimus, si eas per contrarias ipsis virtutes diluerimus. Hoc est, dextram tuā clauo iustitiæ cruci affigas, ne quid iniquē agas, sed vnicuiq; quod suum est reddas. Sinistram verò eidem cruci clauo temperātiæ annectas, vt à carnalibus vitijs abstractus, sobrietatem modestiamq; apprehēdas. Dextrum pedem clauo prudentiæ cruci affigas, vt futura porrò præuideas atque cogites. Sinistrū verò cruci configas clauo fortitudinis, quo in finē vsq; perseueres.

Matth. 10
Matth. 16
1. Petr. 2.
2. Tim. 2.
Matth. 6.
Iob. 2.
Mich. 7.
2. Mac. 7.
2. Reg. 15
Psal. 107
Gala. 2.

Hoc si feceris, tum demum dicere licebit: Viuo iam non ego, sed in me Christus. Hic ergo conuenientissimus S. crucis vsus esset, eam cordi penitus infigere, patienterque ferre, atque peccatum in nobis ipsis crucifigere ac conficere, sicque crucifixum Christum spe gloriæ futuræ à tergo sequi.

SERMO SECVNDVS.

TAntam dicendi vbertatem hodiernum mihi cùm Euangelium tum festum ministrant, vt vnde exordiri hunc debeam sermonem vix sciam. Neutrum enim volens prętermittere, vtrunque (vt video) vna vice non possum expedire. Euangelium per se excellens est, præcipium doctrinæ nostræ continens articulum: sed breui aliqua enarratione elucidari non potest. Festum etiam ipsum: quod tot tantisque acclamationibus nobis loquitur, nullo modo credentibus nobis prætermittendum est. Vbiq; enim hortamur Pauli verbis: Gloriari oportet in cruce domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus. Sed adhæc quis idoneus, intquit Paulus, quis pro dignitate propositi loqui aliquid sufficit? Imò verò quis est, qui de his dicentem patienter audire non grauatur? Hæc enim illa tempora sunt, in quibus pro multorũ impietate ita Dei diuinarumq; simul rerum refriguit ardor, vt nullius nos penè rei pręter Euangelij sermonem tędeat. Quicquid aliàs agimus, tempus deficit, in solis animę negotijs nos tempori deficimus. Et quidem de Iudęis, quos tamen scriptura ab initio malos duręque cernicis fuisse testatur, legimus, quod ipsi, mulieres atque liberi ipsorum vnà dimidiatos dies Esdram audierint, Legis, inquam, alioquì per se plurimis in locis inamœnę, interpretem immitem. Licet enim huius vitæ promissionẽ habeat, maxima tamen ex parte grauia mandata, hísque additas comminationes continet. Audierunt tamen, & longo tempore. Verùm longè melior nobis conditio est, quorum Euangelium, pauculis mandatis, maximus verò cùm huius, tùm futurę vitæ promissionibus grauidum est. At quî fit, vt ille spiritus ardor, quem Esdras in suo populo vidit, in nobis considerari non possit? Sed hæc volens transeo. Neque enim hic longo sermone

Gala. 6.

2. Cor. 2.

Exodi. 32.

Nehem. 8

mone vestras grauare aures animus est, qui hoc summis votis oro, vt vel breuissimum sermonē memoriæ possimus commendare: hoc Deum Optimum Maximum precor, vt vel ex quoquo aliquid possumus discere, & indies magis magisq; infantiū more proficere in ijs, quę ad Religionis nostræ negotium pertinent. Profecto id si vno tantum anno assueſceremus, haud contemnendum thesaurum coaceruaremus, quo in multos annos deinde possemus vti. Breuibus igitur de vtroque, primò de Euangelio, deinde etiam de festo cōferentes sermonem concludamus. Non me nunc Euangelium hoc diu remorabitur, quando nuper quinto ab hinc aut certè sexto Dominico die in omnibus Parochijs illud personuit. Summatim verò quędam perstringamus tantùm. Quod reliquum suo quisque tempore perficiet. Pulcherrimus autem, nec parum prolixus in eo Christi & Nicodemi Iudæorū principis habetur Dialogus, qui ea in re versatur, in qua minimè Iudæis cum Christianis conuenit. Est enim de iustificatione hominis articulus. Et Iudæi quidem certissimè sibi persuadent, sufficere legem ad iustificationem, vt præterea nullius indigeant rei. Nec quicquam à Messia præter corporalem redemptionem expectant, vt restituti in Palestinam dominentur populis. Nullum præter hunc Messiæ vsum norunt: Iustitiam & cœli beatas sedes pro sua opinione Legis obseruationi tribuentes. Hæc illorum hac in re fides est: hæc firma stat menti sententia. Qua quidem opinione & Nicodemus hic noster ductus est. Sed ex deprauato legis atque scripturæ intellectu hic error ortus est, vt alibi solidis argumentis ostensum est. Propterea Christus in hoc Dialogo, illi opinioni contrarium defendit summo studio, nactus nimirum illius rei defensorem, Scribam & Pharisæum. Est autem verborum Christi hæc summa: Turbari te ô Nicodeme meis sermonibus nunc non obscurè in obscuro licet veneris; intelligo: cupidum te veritatis almæ, qua tandem ratione iustificetur homo, considero: hactenus hæc firma tibi stetit sententia mentis, idemq; tuos edocuisti discipulos, circuncisionem ac legē iustos ac beatos Deoq; adeo gratos facere. Huius ex me contrariū audiuisti, ac defen-

do etiamnũ. Ratio est: qa oēs vos ex carne estis, hoc est, ex peccatore dānationiq; obnoxio Adā procreati: natura est caro, hoc est, dānationis & maledictiōis rea creatura. Et quæ Deo vel in vobisipsis, vel in operib⁹ vestris volũtas erit? Nullo igitur modo Deo placere aut iustitiā cōsequi poteris, nisi denuò nouus homo renascaris. Quodcunq; enim ex Adā est, Deus propter peccatũ dānationi subiecit. Deinde nou⁹ homo esse nequis, nisi denuo renatus fueris. Postremò renascētia illa nō carnis aut sanguinis est (nihil enim à priore diuersa esset) sed aquę & spiritus. Iā verò nec spiritũ sctm̃ suscipies, nisi Deo donante. Sed nulli eũ largitur ille, nisi mea prius morte impetrauero. Secus erga atq; vos Pharisęi, de hoīs iustificatione loquor. Nec concedo per legē vos, ac opera ꝓpria iustificari, qui ecce ipse venio, vt adiutē vos ad verā iustificationē consequendā: hęc mei vel maxima causa aduētus. Sicut Moses exaltauit serpentē in deserto, ita exaltari oportet filiũ hoīs, vt oīs q̃ credit in illũ nō pereat, sed habeat vitā æternā. Imò sic Deus dilexit mundũ, vt filiũ suũ daret vnigenitũ, vt mũdus saluetur per ipsum. Hic tibi iustificatio quærenda est. In me vnigenitũ Dei, qui pro te omniq; populo mori paratus adsum, credas. Per ipsam enim fidē, spiritũ sanctũ cōcipies, qui te in baptismi lauachro in nouũ hominē trāsformet, & q̃ ex Adam mali est abluet, & deniq; oīm meritorũ meorũ participē faciet. Sic Deo & notus, & gratus & iustificatus, legē cómodius adimplebis. Et hæc pura atq; vera de hominis iustificatione doctrina est. Vnica hæc ad salutē via est. Ecce hic Christi verborũ in hoc euāgelio sensus est. Quod reliquũ est, nũc prætermitto. Quisquis enim quæ modò dicta sunt didicerit, summā hui⁹ negotij tenebit.

Num.21. Ioan.3. Galat. 6.

Quod vero ad festiuitatē hāc, quā vnanimi consensu frequentamus attinet, licet crucis nomen gerat, qđ Iudęi scandalũ, Gētibus aũt stultitia est: vnicus tamē ille Paul⁹ noster satis magnā eius occasionē offert suis verbis, quibus hodie) quanq̃ mutatis nōnullis) in Introitu Missę vsi sumus. Sic enī ait: mihi aũt absit gloriari, nisi in cruce dñi nostri Iesu Christi, per quē mihi mũdus crucifixus est, & ego mundo. Hoc modò Paulus ꝑ semetipso de cruce dñi loquitur: & certè vix integro sermone Pauli in his verbis

verbis sensum explicare possem. Ecclesia verò succinctius aliquato atq; apertius, cùm oēs in vniuersum credētes affatur. Nos, inquit, gloriari oportet in cruce Dñi nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita & resurrectio nostra, p quē saluati & liberati sumus. His verbis summā festiuitatis huius cōprehensam videsnēpe quid sit, qd illa velit, & quis eius fructus sit. Principio quidē hæc solēnitas crucis noīe designat, sed tñ nō cuiuslibet crucis, sed sanctæ, imò Christi crucis. Isthæc em̄ Crux sola est sancta. Relique cruces oēs maledicte sunt, que nō p Christi crucē sanctificātur. Ait enī lex: Maledictus oīs qui pēdet in ligno. Hoc iudicīū est mūdi huius, crucis ignominia affectū, aduersitatibus pressum, iniquū & à Deo spretū putam⁹. Exemplū eius Iob est, cui vxor ait: Maledic deo & morere. ac si diceret: Nil tibi iustitiæ proderūt tuę, ne scit te, qui tamē hæc mala mittit in te. Est & Christus exēplo, quē cruce suspēsum à Deo percussum & maledictū clamabāt, dicētes: Cōfidit in Deo, liberet eū nūc si vult. ac si diceret: Dei filio nō cōuenit suspēsum esse patibulo. Quin & in afflictiōibus positos, quib⁹ idē videatur inuenias, qui se cùm patiūtur à Deo derelictos ac dānatos clamitent. Hęc est nimirū aqua illa amara, in deserto à filijs Israēl inuēta, quę tñ missō in eā per Mosen ligno, qd Deus monstrauerat, amaritudinē suā linquit, redditurq; suauior. Et hęc differentia est Christi crucis atq; nostræ. Amara aqua, & natura promouēs nauseā, nulliq; potabilis crux nostra est. Vnde ad Petrū Christus loquitur: Nō potes me modo sequi. At vbi Christi lignū in nostrā aquā mittitur, fit suauior: ita vt cū Paulo dicere libeat: Sicut abundāt passiōes Christi in nobis, ita etiā p Christū abūdat cōsolatio nostra. Et iterū: Tribulationē, inqt, patimur, sed non angustamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionē patimur, sed nō derelinquimur: deijcimur, sed nō perimus. Sēper mortificationē Iesu in corpore nostro circūferētes, vt & vita Iesu manifestetur in corporib⁹ nostris. Et iterū: Tota die mortificamur ꝓpter te, ęstimati sumus sicut oues occisionis: sed in his oībus superam⁹ ꝓpter eū qui dilexit nos. Et iterū: Aestimati sum⁹ vt seductores, & veraces: Sicut q incogniti, & cogniti. Quasi moriētes, & ecce viuim⁹: vt castigati, & nō mortificati.

Deutr. 18

Iob. 2.

Matth. 27

Exod. 15.

Ioan. 3.

2. Cor. 1.

2. Cor. 4.

Roma. 8.

2. Cor. 6.

tificati. Quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes. Tanquam nihil
Roma. 5. habentes, & omnia possidentes. Et iterum: Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Ecce quomodo Christi Crux, nostræ aquæ & Crucis amaritudinem vertat in suauitatem. Cùm aût crucem nomino, nõ lignũ illud in quo Christus est passus intelligo. Neque etiam Paulus illud vult. Est enim externum quid, vita, sensúque carens: eóque ex se nec vitam nec salutem dare potest: & hac sola ratione nobis honori est quod Christi sanctissimo corpore attactum, illúsque S. sanguine conspersum fuit. Illa verò crux, in qua nimirum & Paulus & Ecclesia triumphamus, tota Christi domini passio est, hæc salutem nobis, vitam atq; resurrectionẽ cõtulit, hac redẽ
1. Cor. 1. pti atq; saluati sumus. In hanc ergo commodè respiciẽdum est. Nos autem, inquit Ecclesia, gloriari oportet in cruce domini nostri Iesu Christi. Et hoc quidẽ principio docemur, ne quẽ crucis Christi pudeat. Sit licet Iudæis scandalum, atq; stultitia Græcis: nobis tamẽ & virtus & sapiẽtia dei manet. Et cur nos eius pudeat, maximè quia non pro se sed pro nobis in ea passus est Dñs? Quod si culpa sua tantã sustinuisset pœnã: nec ipsi nec nobis vllus hinc venisset honos. Quia autem innocẽs ipse passus est, profectò est cur nõ pudeat eius. Imò quia tãtus pro nostris delictis tãtas exoluit pœnas, nemo quid magnum sue crucis ignominia effecerit, dubitare potest. Quod cũ ita sit, indubitatò creditur. Ex virtute enim passiõis Christi redẽpti ac saluati sumus, nõ vnus aliquis nostrum, sed
1. Ioan. 1. oẽs: non ab vno aliquo delicto, sed ab oĩbus in vniuersum. Ex virtute passionis Christi, per baptismũ ab originali peccato mundamur, ab actuali etiã per pœnitentiam manumittimur, ita planè sanguis Christi emundat nos
Matth. 12 à peccatis nostris, vt ipso testante, omne peccatum dimittatur, etiã in ipsam Christi personã factum, sicut ipse quoque pro persecutoribus suis atq; crucifixoribus oraLucæ. 23. uit: Solo in spiritũ sanctũ excepto delicto, quod nec hic nec in futuro seculo dimittitur: quod fit, quando agnita veritas blasphematur, à misericordia Dei desperatur, &

in

in pecatis impœnitẽte atq; obdurato corde pertinaciter perseueratur. Hæc enim sunt in Spiritum sanctum irremissibilia peccata. Non quod insufficiens Christi sanguis ea delere: sed quod talia rarò agnoscuntur, imò etiam quod iusto Dei iudicio ne possint agnoscere homines excæcantur. Quod si agnoscerẽtur, certè Christi sanguis ad delenda ea sufficeret. Ecce hæc nobis ex Christi Cruce cõsolatio manat, hæc hodierni instituti causa est, propterea ergo ad nos isthæc acclamatio pertinet: Nos autem gloriari oportet in cruce domini nostri Iesu Christi. Huc Crucis processiones, eiusq; in omni loco, maximè verò in templis obuia imago pertinet. Nempe vnica hæc nostra fiducia est, cum Paulo dicere: deus proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Si Christus pro nobis mortuus est, & interpellat pro nobis, quis est qui nos condemnet? Hæc summa est, nulla tam grauis tentatio est, quin Cruci huic cedat, quãdoquidem hic per Crucem suam mundum cum suo principe deuicit. Confidite, inquit, ego vici mundum. Nec vlla tam dura egestas est, quæ ex huius Crucis thesauro diuite non soluatur, quandoquidem per illam Christus omne bonum impetrauit. Agite ergo in omni tentatione nostra, in omni miseria atq; tristitia ad ipsum Deum precemur dicentes: O Domine Deus, O pater misericordiarum, respice in nos filios tuos familiamq; tuam, pro qua dominus noster Iesus Christus filius tuus non dubitauit manibus tradi nocentum & crucis subire tormentum. Hoc vnum si didicerimus precari, piè sanè ac vtilissimè hanc festam diem peregimus. Gratia domini nobiscum, Amen.

Gal. 6.

Rom. 8.

SERMO TERTIVS.

VErbum Crucis pereuntibus quidem stultitia, ijs autem qui salui facti sunt, id est, nobis Dei virtus & sapientia est. Quod hodiernũ & præclarum Euãgelium his explicare supersedeo, ideo fit, quod non nunc tantum in Ecclesia legitur, & quod alibi ipsum verbotenus explicui, maximè verò ea Christi verba quæ huius festiuitatis instituto seruiunt: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari

1. Cor. 2.

Ioan. 3.

Ioan. 3. oportet filium hominis, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Hoc solùm verbum causa fuit, vt hodiè totus iste dialogus legeretur. Seruit enim huic festo quàm maximè, admonens nos Crucis Christi, & quid sit illa, quisque eius vsus ostendit. Quę res Christianis scitu sunt perneceſſarię. Cum enim omnis nostra salus, vita, resurrectio in Christi cruce est posita, vtiq; semper eā ob oculos versari, inq; memoria habere necesse est. At cū hodie eius peculiaris quædam habetur per omnes Ecclesias mētio, vulgus verò hominum, cùm crucis vocabulum audiunt, pręter lignum in quo exaltatus fuit Dominus, nihil cogitant: neceſſariò quid ipsa sit nunc ostēditur. Et quādo toties per anni circulum S. Crucis recordamur, pauci verò admodū conuenientē eius vsum norūt, id quoq; docebitur neceſſariò, quod ad vsum eius pertinet. Hæc ergo hodierni instituti causa est. Ideóque huc conuenimus. Huc Christi verba de exaltato serpēte æneo pertinent. Quam historiam cū alibi latius explicauimus, nunc circa Pauli verba, huius sermonis exordio posita explicemus. Verbum crucis, inquit ille, pereuntibus quidem stultitia, nobis autem, imò credentibus omnibus Dei virtus & sapientia est. De his, inquam, verbis paucula dicam. Ac principio quidem (quod nemo rectè ignorat) Paulus hic non de eo, in quo Christus pependit, ligno loquitur. Quanquam & illud sanctum lignum, arborque sancta dicitur, Christi nimirum sancti sanctorum attactum corpore, & conspersum cruore, meritóque ac respectu huius à nobis veneratur: non tamen illa crux est, quę Dei nobis virtus & sapientia est. Deinde nec de illa Apostolus loquitur, quæ in templis posita videtur, aut alibi sequentes antefertur: multóque minus, quas collo aut precarijs nodis pensiles ornatus causa circumferimus. Signa hæc sunt illius Sanctæ Crucis, quod crucifixum Christum repręsentent nobis, eiúsque passionis admoneant, non res ipsæ, nec in ijs aut spes, aut salus nostra consistit. Verùm enimuero Paulus atq; alij verè credētes, si quando Crucis mentionē faciunt, passionem, mortem adeóque crucifixum Iesum intelligunt. In hoc enim verè est quod Pau

1. Cor. 1. lus: ait Verbū Crucis pereūtibus quidem esse stultitiam, elc-

electis verò, Dei virtutem ac sapientiam. Id iam demonstretur, maximè quod postremo dixit. Nam quod prius posuit, demonstratione non eget, eò quod experientia doceat Iudæis simul & Græcis hanc esse stultitiam, quum in Cruce Christi gloriantes nos insipientiæ arguunt, quod Crucifixum diuino honore dignamur. Conniuendum hoc illis est. Quid enim nobis illorum illusio incommodat: tantum vt per se infallibili veritate Christi Crux virtus & sapientia Dei est, ita nobis virtutem & sapientiam conferat studeamus. Quod enim esse possit, clarissimè comprobatur. Sed quod huius rei argumentum adferam, quæris? Hoc igitur paucis indicemus, eoque libentius, quod his infaustis nimium temporibus non minima hinc proficiscitur fiducia: sepositáque impatientia & desperatione cõfidentius ad Deũ properemus. Principio igitur certum est, omnes homines siue bonos siue malos in Christi Cruce habere posse, quod suæ cuiq; saluti seruiat. Boni, cõsolationẽ inueniunt: mali, (vt merentur) terrorem: nescij, eruditionẽ: infirmi, virtutem. Viuus enim liber, Christi Crux est: in quo non solum legitur, verumetiam tanquam in tabula dedictum videtur, quæ mundi sæuientis cõtra iustitiam, veritatẽ, & innocentiã pugna sit. Tum quid Satan moliatur, quídue quærat, in Christi cruce ostẽditur: nẽpe quã tũ in ipso est, Dei, & quicquid diuinum est, semel vnoq; momẽto extirpare. Ac tertio quidem, quid sit peccatũ in eadem cognoscimus, res nimirum tam grauis, adeóq; in uisa Deo, vt ne quidẽ vnigenito vnice sibi dilecto filio manumisisset peccatores, nisi ipse nostras vices pœnásq; subiens immanissima turpissimæ mortis tormenta solus pro omnibus sustinuisset. Quarto denique quid nos simus, & quid: sine cruce hac Christi, in æternum mansuri eramus: nimirum, inopes, maledicti, à Deo omnibúsque creaturis derelicti, haud secus atque Christus in passione sua omnium erat ludibrio expositus. Sed in primis considerare licet in passione Christi philantropiam, & pietate propensissimum Dei in nos homunculos affectũ. Sic enim Deus dilexit mundũ, vt filium suum daret vnigenitum. Et quomodo non omnia simul cum ipso donauit? Qui quod charissimum habuit, dedit: quomodo

Rom. 8.

Matth. 27

Ioan. 3.

Roma. 8.

do quæ viliora sunt negabit? Hoc ergo primum & præcipuum quod in Cruce Christi discendum est, atque idē illud perneceſſarium, prę ſertim hac tēpestate. Cum enim in toto mūdi huius theatro nihil præter miſerias exiliją; ærūnas, atq; extremam perditionem videmus: nullū vero consilium, nullū auxiliū, consolationē nullam, ab vllo homine aut creatura ſperamus: nihilq; tandem ſupereſt,
2. Par. 20. quàm oculos noſtros cū Ioſaphat ad vnum Deū attollamus: qua id audacia faciemus, aut qua fiducia ad eū accedemus, niſi ante reconciliatum illum nobis certò ſciuerimus? Quod verò firmius recōciliati nobis Dei argumentū eſt, ipſa paſsione Chriſti? Huius ergo o homo crucem, huius paſsionem reſpice, nec vnquam de Dei patris in te
Ioan. 20. charitate dubitabis. Vade, inquit ipſe Chriſtus, & dic fratribus meis, aſcendo ad patrē meū, & patrem veſtrū, Deū meum, & Deum veſtrum. Ac ſi diceret: Vade annuncia illis, ne poſthac vnquam de charitate Dei dubitent: quod pro ipſis mortem ſubierim: filius ecce ego vnicus patris Dei, argumentum ſit, eum qui hactenus mihi ſoli pater & Deus fuit, idq; natura: etiam ipſorū iam patrē & Deū eſſe, & id gratia. Et quid hinc expectandum erit? Nempe cum Dauid deinceps in omnibus tentationibus gloriari
Pſal. 45. ac dicere: Dominus refugium noſtrum & virtus in omni aduerſitate: propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Et iterum:
Pſal. 79. Non recedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Ecce hæc omnia licet ex Chriſti paſsiōe addiſcere. An verò non magnum quid eſſet, tantum conſolationis, tantum fidei, fiduciæq; hinc domum referre? Quod periculum, quæ aduerſitas ſolicitare nos poſſet, ſi iſthæc Dauidis verba, Dauidica fiducia loqui hinc didiſſemus? Eadē fiducia Paulus dicit: Deus pro nobis, quis
Roma. 8. contra nos? Aut: Quis ſeparabit nos à charitate Dei? Certus ſum quod neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; præſentia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Sed vnde hæc Paulo confidentia, vnde hæc illi certitudo, quod ita ſepoſita omni trepidatione, Deū ſecum eſſe, eumq; ſibi nullius poſſe creaturæ vim ſurripere? Illinc

nimi-

nimirum,quod paulò ante dixerat:Iesum Christum pro nobis mortuum,pro nobis eundem apud patrem interpellare.Intelligitis,opinor, vnde hanc Paulus fiduciam conceperit,nimirum ex Cruce,passione, ac morte Christi, eiusdemque resurrectione hæc omnia defluxerunt. Quod si nos quoq; eo modo Christi hanc crucem contueri possemus,profecto non solum cum Paulo verumetiam cum Dauid gloriaremur dicentes: Deus refugium nostrum & virtus, propterea non timebimus dum turbabitur terra,& transferentur montes in cor maris. Et quid nobis beatius? Intendat animum quicunque pius, oro,quid isthæc verba velint examinet:haud dubiè mecum confirmabit,his temporibus maiorem certiorémq; spem dari nobis non posse. Et id quidem ita esse fusiore tractatione declarabimus.Ac principio quidem inconsideranter prætereundum non est,quod Dei nomen exordio psalmi posuerit. Non leuitatis hoc psalmistæ indicium est,vt seculi huius solent filij,qui nihil ferè dicunt sine nominis diuini attestatione,omnia sine causa, contẽptus ratione,& frustra. Dauid verò sicubi nominis huius appellatione vtitur(vtitur autem sępissimè)fidem,dilectionem,pietatémq; suam ostendit.Memor, inquit, fui Dei,& delectatus sum.Et iterum:Quid mihi est à te, aut quid volui super terram?Deus pars mea in æternum.Certẽ pijs omnibus singularis quædam dulcedo in hoc nomine propinatur.Nostra,id est, Germanica lingua,Deus à bono nomen habet,quia ipse solus bonus, ac fons omni scatens bonitate. An verò non ingens gaudium parit summi boni cogitatio?maximè verò quando ipsum bonum coràm videtur,imò possidetur? Et quæ egestas erit illi,qui ipsum videt ac possidet? Vis hominis Deũ habentis videre diuitias? Deus nostrum refugium & virtus. Nos ita legimus: Deus noster refugium, & vera virtus est.Id quod maiorem habet emphasin. Solent enim & Gentes in idolis suis confidere, eosdémq; virtutis ac refugij dignari appellationib. Quemadmodum in Ochosia Rege videre est,cui Beelzebub refugium erat. Sic Hieroboam vituli aurei,sic Moabitis Moloch, sic Ammonitis Chamos,sic Philistæis Dagõ 1.Reg.5.Sic Achab Regi Baal,sic Sidonijs Assertes 3.Reg.11.Sic Babilonijs Bel.

Psal.66.

Psal.72.

4.Reg.1.

3.Re.5.11.

4.Reg.23

Bel. Sic porrò cuique Genti suũ refugium & virtus, idõ-
lon erat. Omnes dicere poterant: Ille atque ille, refugiũ
nostrum, Deus est: sed nulla Gens dicere potuit: hic aut
ille Deus vera virtus, refugium nostrum certum est. Ita
enim illa dictio (noster) intelligenda est, si spem & fidu-
ciam adferet. Nam & homo hominem virtutem & refu-
gium suum alhâs dicere potest, at hic mihi certa virtus, ve
rũmque refugium est, non potest. Fallit enim sæpe hu-
Psal. 107. mana virtus: & vt Dauid ait, Vana salus hominis. No-
lite confidere in principibus, in filijs hominum, in
Psal. 145. quibus non est salus. Quale enim refugium homo e-
rit alteri, qui sibiipsi non constat, auxilióue esse po-
Isa. 31. terit? Aegyptus homo non Deus est, equi eius caro
sunt, non spiritus, vt Isaias testatur. Et maledictus ho-
mo qui confidit in homine. At beatus homo ille cuius
Hier. 17. Deus est dominus eius, spes eius in domino Deo ipsius.
In hunc enim solum omnis fiducia humana reponen-
Psal. 145. da est. Fidelis est enim in veritate sua, & veritas eius in
æternum manet: adiutor eorum qui oppressi sunt fortis:
dat escam esurientibus, soluit vinctos, illuminat cæcos,
erigit elisos, diligit iustos, custodit aduenas, pupillum
& viduam suscipit. Hoc ergo Dauid vult cùm dicit: De-
us noster refugium & virtus vera est. Sed hic confide-
randum est, quod tria epitheta Dauid Deo attribuat, eós
que honorificos Deo, pijs verò omnibus plena conso-
lationum. Refugium nostrum, virtutem nostram, &
adiutorem nostrum dicit. Et quidem talis omnino no-
bis necessarius erat Deus. Væ autem omnibus est, qui
eiuscemodi Deum vel non habent, vel non norunt.
1. Pet. 5. Semper enim Diabolus nos insequitur, vt aut planè de-
uincat, aut fatiget, aut labefactet. Aduersarius noster (ait
Petrus) tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem de-
uoret. Qua in re multis vtitur artibus. Potest quidem per
Exod. 2. se, tum etiam per impios homines tentat. Sic Israëlem
persequebatur per manum Pharaonis in Aegypto, vt de-
Exod. 5. stituti æquitate in terris, cogerentur Deo supplicare in
cœlis, eóq; res deduxerat, vt Domino tardante, Mosen
conuenientes dicerent: Videat dominus & iudicet, quo-
niã fœtere feciſti odorem nostrũ corã Pharaone. Eadé vi
1. Reg. 10 Dauid inuasit Prophetam, vt loquẽte sibi Ionatha dicere

coge-

cogeretur: Viuit dominus & viuit anima mea, quia vno tantum (vt ita dicam) gradu, ego & mors diuidimur. 3. Reg 19.

Sic & Eliam Prophetam per Iesabel angustauit, vt tandem precaretur Dominum auferre animam suam, eò quod melior patribus suis non esset. Sic Iob persecutus est, eóque modo tractauit, iam per amicos, iam per propriã etiã coniugẽ, vt tandẽ vitæ pertæsus diceret: Tædet animã meã vitæ meæ. Similiter & Ieremiã Prophetã solicitauit, vt tandẽ natiuitatis suę maledicés diei, in hæc verba prorũperet: Vę mihi mater mea, vt quid me peperisti? Plena est sacra scriptura huiusmodi exemplis, sunt vbique obuia. Quæ igitur pijs mentibus spes reliqua est, quando hostis ille tot tamq; diuersis machinis cõtra eos insurgit, mentẽ atq; corpus impugnat? Illa nẽpe, quæ Dauid dicẽti: Deus noster refugiũ & virtus, adiutor in tribulationib⁹, quę inuenerũt nos nimis. Id quod nõ in hoc solũ Psalmo, verumetiam multis alijs cecinit. Exẽplo sunt 17. 30. 35. & 90. Psalmi, quibus magna fiducia Deum suum refugium atque virtutem dicit. Hæc igitur pijs mentibus consolatio restat, scire quod tale ipsis supersit refugium, vtut solicitentur & coangustentur. An autem non est consolationis plenum verbum, quod nihil nos vanè laborasse ostendit, qui illi Deo ac virtuti, refugióque nostro toties supplicauimus? An non incitamento erit desidiosis, vt ea apud Deum iam nunc iterum quærant, quæ prius neglexerunt? Sed nemo nouit, quanta sit consolatio habere refugium, nisi qui aliquando multo discrimine coangustatus & exercitatus fuit. Nouerunt Dauid, Moses, Elias, Paulus, & alij quidam, quod sit solatium afflictæ menti vbique & semper ad Deum recurrere, apud ipsum certum asylum inuenire, refugio tuto atque virtute inuicta frui, in illius fortitudine ac adiutorio quiescere. Hos enim titulos idem Dauid Deo tribuit, vt sit fortitudo atque adiutorium nostrum, non in vna aliqua tribulatione, sed in omnibus, quæ inuenerunt nos nimis: cum hic corporis, illic vitæ, liberorum, facultatisque periculis solicitamur, omnibus malis expositi ingemiscimus: quibus internæ illæ sæpenumero accedunt periclitationes, quibus anima & conscientia coangustantur, illis certè multo grauiores. Tamen in his omnibus Iob. 10. Ierem. 15.

certis-

certissimum nobis restat refugium, solus nimirum omnipotens. Noster Deus, inquit Dauid, certissima virtus est, firmum refugium, & adiutor omnipotēs. Quid ergo timebimus, etiāsi turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris? Et horum quidem omnium Christi passio ac Crux certissimum argumētum & pignus est. Hoc ipso enim quod filium dedit pater, etiam solatium, spem, adiutorium & tutelam promisit. Crucifixū ergo Iesum tenentes, inque eum intuentes, de Dei in nos amore vt dubitare nec possumus, ita nec debemus. Conuenienter ergo Paulus Christi crucem credentibus nobis Dei esse virtutem & sapientiam scripsit. Rectè etiam atque oportunè Ecclesia, vt in sola Cruce Christi gloriemur, monet. Hoc restat vt verum ipsius vsum teneamus. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE ASCENSIONIS CHRISTI EVANGELIUM Mar. xv.

NOuissimè autem recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia ijs qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò nō crediderit, condēnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dęmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ęgros manus imponent, & bene habebunt. Et dominus quidem Iesus postquā locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerūt vbiq;, domino cooperante & sermonem confirmante, sequentibus signis.

Eo-

EODEM FESTO EPISTOLA, ACTORVM I.

PRimum quidem sermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere, vsq; in diẽ qua præcipiẽs Apostolis per spiritũ sanctũ quos elegit assumptus est. Quibus et præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et conuescens, præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris, quam audistis, inquit, per os meũ: quia Ioãnes quidem baptizauit aqua, vos aũt baptizabimini spiritu sancto nõ post multos hos dies. Igitur qui conuenerant, interrogabant eũ dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem superueniẽtis spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & in omni Samaria, & vsque ad vltimũ terræ. Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumq; intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlũ? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlũ, sic veniet quemadmodũ vidistis eũ euntem in cœlũ.

PRIMVS SERMO.

ADest rursus dierum magnæ solennitatis præteritæ vltimus, hodie enim quadraginta illi dies, quibus manifestus post passionem suam discipulos suos consolatus est, consummantur. Faxit Deus Opt. Max.

vt quemadmodũ tẽporis & cauſæ cõmoditas data fuit: ita cùm fructu tranſegiſſe id tẽpus exultemus. Apoſtolorũ ſuorũ infirmitati neceſſario cõſuluit Chriſtus, quod viuũ ſe & manifeſtũ, poſtquã reſurrexiſſet à morte, ipſis aliquot diebus exhibuit nẽpe vt quos præcedẽs paſsio ac crux penè in deſperationẽ adegerat, corporea preſentia erigeret denuo ac cõfirmaret. Quæ vna aſcẽſionis domini in quadrageſimũ vſq; diem dilaræ cauſa eſt. Interea verò toties totq́ue modis apparuit, quo omnem dubitationem penitus è ſuorum mentibus eximeret. Et certè conatui reſpondit effectus. Ita enim multiplici apparitione animis confirmati ſunt, vt planè prioris quod ex cruce hauſerãt ſcandali obliti, indubitatò Chriſtũ reſurrexiſſe, verumq́ue ipſum Dei filium eſſe crederent. Vnde aſcendente eo, nullo (vt anteà) timore perteriti, flexis genibus, vt Lucas habet, adorauerunt eũ: reuerſiq́; in Ieruſalem gaudentes & aſsidui mox in templo Deum laudauerunt. Illud nimirum Apoſtoli per quadraginta hos dies didicerant: quo certè factum eſt etiam, vt aſcenſionem Domini maiori pietate & feruentiores celebrarent. Iam verò & nos quadraginta numero dies à reſurrectione hucusq́ue tranſegimus, vnaq́ue cùm Apoſtolis eaſdẽ de reſurrectione Domini cõſolationes audiuimus cum prẽtereà ferè nihil aliud Eccleſia nobis illo tempore propoſuerit. Quod ſi eadem ratione iſthæc omnia exemplo Apoſtolorum mentibus noſtris inhærent, nulla nunc demum admonitione opus erit: ſed quod in ipſis videmus, idem nos, pro ſe quiſque aſcendente domino factitabit: hoc eſt, genibus flexis, oculis mãibusq́; in cœlũ ſublatis in Chriſti aſcẽdentis gloria exultabimus, præuolãtemq́; ſeruuli dominum, vnanimi, voce ſequemur: O rex gloriæ, Domine virtutũ, qui triumphator hodie ſuper oẽs cœlos aſcẽdiſti, ne derelinquas nos orphanos: ſed mitte promiſſum patris in nos ſpiritũ veritatis, Halle luiah. Hoc modo Apoſtoli aſcenſionẽ Domini celebrarunt, eodẽ etiã qui eos ſecuti ſunt Chriſtiani, vti in eorũ monumentis & hiſtorijs traditum legimus. Idẽ & hodiè Chriſtiana facit Eccleſia: & quid in his terris degẽs homo fructuoſius ageret? Quantũverò tẽporis poſtulatur, ſi omnia quę in hac Aſcẽſionis feſtiuitate cõtigerunt, ri-

Acto. 1.

mari

mari voluerimus: quo honore regnū suum Christus ingressus est quanto triumpho à cœli ciuib. exceptus, qua gloria cœlū omne fulserit? Non hęc humana ratione intelligi, nedum nostro sermone dici possunt. Neq; enim vllus ea perscribere Euangelista ausus fuit. Intuebantur quidem cœlum Apostoli, & Christū ascendentē oculis secuti sunt: nec dubiū, finē tanti videre spectaculi desiderasse oēs: sed nubes eū ab oculis ipsorū suscepit, ac duo angelici ordinis viri iuxta stātes responderunt: Viri, inquiunt, Galilæi, quid statis aspicientes in cœlū? ac si dicerent: Vidistis in cœlum ascendentē, quid porrò desideratis, qd vultis? Quod vidistis, memoria tenete, hoc credite cętera carnalibus nō sunt obiecta obtutibus, maximè hoc tēpore, alia verò expectatur dies, quando immortalibus vobis hęc cuncta patebūt. Hic enim Iesus, qui nūc assumptus est à vobis iterū veniet ad vos, suscipietq; vos in regnū suum, vt videntes congnoscatis honorem quē ab initio habuit. Interea hac spe & fiducia viuite, vt veniens vos agnoscat suos. Ecce his duorum verbis, quæ hic credentes meditatio deceat satis significatur apertè. Tenendum est fide, Christum cœlos ascendisse, eundemq; ad iudiciū suum reuersurū esse. Agite ergo in ipso capite nostro, quod cœlos ascendit, exultemus: vt membra ipsius facti, capiti nostro inhæreamus, studiosè inuigilemus. Hęc enim duo præsens festiuitas postulat. Equidē nō possum nō fusius aliquid de hoc festo dicere. Licet enim superioribus annis docuerim quid Christus de ascēsione sua dixerit, quid Euāgelistæ de ea cōscripserint, quid passim Apostoli de ipsa etiā docuerint: tā multi tamen, tāq; præclari Psalmi, qui Christi ascendentis gloriā ac honorem prędicant hodie decantantur, vt grande existimem piaculum, si nihil inde de Christi glorificatione in medium adduxero. Et nequis hoc quasi nouum contemnat, quomodo ipse Christus in Psalmis de se scriptū esse testetur agnoscite. Nam & quosdam signatè dicit de se scriptos: vt, 8. 10. 109. alios q; plures id genus psalmos. Id quod & Paulus nō vno in loco consueuit facere, vt in ea quam ad Romanos scripsit epistola, Cap. 15. ad Hebręos 1. 2. 3. 4. 5. Cap. Denique & in Actis idem 15. Cap. Et quid multis? Nihil tam exiguum de Christo testan-

Ioan. 17.

Lucæ. 24 Mat. 21. & 12.

tur Euangelistæ, quin idem in Psalmis longo tempore antè sit vaticinatum. Sed hæc nunc omittamus, quando in sola ascensione & glorificatione Christi occupari nos magis decet. Quod si diligenter perueſtigare psalmos libet, inueniemus non vnum aliquem, sed multos Christi gloriam prædicare, idque tam manifestè, vt ne Apostolis quidē apertius facere licuerit facilè. Quod si quis hæc in controuersiam vocare voluerit, 20. 44. 46. 67. 88. 92. 96. 98. 109. 117. 131, psalmos legat & Dauid Regem non tam Prophetam, quam Euangelistam, fatebitur. Quanquam autem omnes hi psalmi ascendentis Christi gloriam & honorem personent: sunt tamen in eo aceruo tres (meo iudicio) præcipui, qui manifestè quid potius hodie meditandum sit, proponūt. Sunt autem 92. 96. & 98. quorum etiam exordium idem est, & quisque tamen peculiare aliquid in hac domini solennitate pensandum porrigit. Primus enim simpliciter gloriam & honorem Christi, vti per se est, enarrat. In secundo verò ad pios sermone conuerso, quis ascēsionis vsus atque fructus sit ostendit. Tertius verò contra impios dirigitur: prænuncians, quæ mala ipsis Christi ascensio minitetur. Et hæc omnia digna cōsideratione pēsanda sunt hodie. Propterea enim ter dicit Psalmista: Dominus regnauit: semper tamen noua additione. Primo enim cū dixisset, Dominus regnauit, addit: decorem indutus est. In secundo verò postquam posuisset, Dominus regnauit, subdit: Exultet terra, lætentur Insulæ multæ. Sed & in tertio, cùm dixisset: Dominus regnauit, subiungit: Irascantur populi. De vnoquoque ergo singillatim mihi nonnihil dicendum est. Principio igitur considerandum est, quod sæpius Psalmista posuit: Dominus regnauit. Longè enim diuersum est ab eo, quod passim in Regum libris legimus, hic vel ille Rex tot annis præfuit regno: nimirum potiti sunt illi rerum in præterito, regnumque ipsorum finem habet, Christi verò imperium manet in ęternum. Potestas eius ętęrna, inquit Daniel, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrūpetur. Et Gabriel: Regnabit, ait, in domo Iacob in æternū, & regni eius nō erit finis. Quod enim hic prēteriti tēporis positū est, Regnauit, nō ita intelligēdū est qua

Dan. 7.

Luc. 1.

si iam

si iam præterierit Christi regnũ: sed hoc potius intelligit propheta: Dominus suscepit regnum, incœpit regnare, aut designatus est rex, hoc est, regni gubernacula illi tradita sunt. Nam cùm cœlos, quos descenderat, ascenderet: morte, cui se volens subiecerat, deuicta: maiestatem, qua antequàm mundus fieret, apud Patrem claruit, cum omnis carnis potestatem accepit, vt credentibus omnibus vitam largiretur æternam & excelsior factus super omnes principatus & potestates à dextris considet. Omnia etiam subiecta sunt ei: sortitus nomen quod est super omne nomen. Tandem etiam potestas illi in cœlo & in terra data est. Quæ omnia Propheta significat, cùm ait: Dominus regnauit. Sed & eadẽ Marci verbis cõprehenduntur, dicentis: Et dominus quidem Iesus postquá locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Et hæc iam de gloria atque honore Christi dicta sunt. Sũt autem & alia quædam à Propheta expressa nominatim, quæ ad eandem gloriam & honorem Christi pertinent. Non enim nudè posuit: Dominus regnauit, sed addidit etiam dicens: decorem indutus est. Quid hoc sit, quæris? Iam antè pro nobis formam serui assumpserat, in similitudinem hominum factus, vt homo, nobis fratribus suis per omnia assimilatus erat: Peccatum semper excipio. In tantum, inquam, se humiliauerat, vt inter discipulos, non vt Dominus, sed vt seruus obambulans conuersaretur, tandem etiam ludibrium hominum factus, & despectio plebis, vt vermis non homo æstimaretur. At nunc contrà serui forma seposita, decôrem, gloriam & honorem indutus est, & mortalitatis dissuto sacco, immortalitatis indumento amictus est. Quemadmodum ergo aliorum Regum vestimentum est aurum & purpura, ita etiam Rex noster gloriam & honorem indutus est. Hunc verò decôrem non assumpsit tantum, verùmetiam indutus est: quo verbo Scriptura abundantiam quandam & superfluitatem cõsueuit innuere vt Dauid ait cùm de Impijs loquitur: Induantur, qui detrahunt mihi, pudore: & induantur sicut diploide confusione sua. Et: Induet quasi vestimentum suum maledictionem. Et iterum: Induantur confusione & reuerentia, qui maligna loquuntur

Ioan. 3. Ioan. 17. Ephes 1. Phil. 2. Math. 28. Marc. 16. Psal. 92. Philip. 2. Heb. 2. & 4. Luc. 22. Psal. 21. Psal. 92. Psal 108. Psal. 36. Psal. 34.

Psal.131. tur super me : hoc est, vbique & semper maximum dedecus sustineant. Contrà verò de pijs loquens ait: Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent.
Luc.24. Et ad Apostolos CHRISTVS: Vos autem, inquit, sedete in ciuitate, quo adusque induamini virtute ex alto: hoc est, dum plenè & perfectissimè cœlitus confirmamini. Hoc sensu igitur hic de CHRISTO, quod decôrem indutus, hoc est, summè ac plenissimè omnibusque modis decorus ac glorioſius honorandusque sactus est, dicitur. Hinc ergo qualem regem habeamus videre est. Sed & quod sequitur accipe: Indutus est dominus, inquit Phalmista, fortitudinem. Cùm enim
Psal.92. Philip.2. Isa.53. in forma Dei esset prius, exinaniuit semetipsum, obediens factus patri vsque ad mortem. vt ouis ad victimam ductus erat, adeoque debilitatus, ac doloribus eneruatus apparuit, vt cœlesti per angelum consolatione conforta tus sit: tandem etiam in crucem confixus vt quid Patre
Luc.22. Deo derelictus sit quæsierit. At nunc omnis ab eo recessit infirmitas: imò pro infirmitate fortitudinem indutus
Matt.26. est fortè se ac præpotentè in cœlis Deum ostendens, qui anteà nostri causa debilis atq; inops in terris visus fuerat. Vides ergo Regem nostrum nõ solùm magnum ac decorum: verumetiam fortem, vndecunque fortitudine amictũ, perinde atque supra de decóre eius dictum memi nimus. Noc iam decôrem & fortitudinem tantum indutus: quin etiam præcinxit, se hoc est ad certamen & hostile eùm Satana duellum armauit se, ad liberandum suos è diabolica potestate, & ad defensionẽ eorũ quos liberauit, præparauit se. Solet enim præliaturus miles gladio se succingere. Qua ratione alibi etiam dominum precatur propheta: Accingere gladio tuo super femur
Psal.44. tuum potentissime. Et alibi: O DEVS meus, inten-
Psal.66. de in adiutorium meum, ad adiuuandum me festina Domine. Id verò hic iam completum esse canit. Præcinxit, inquit, se, & stans armatus in auxilium nostrum re-
Act.7. spicit. Eum & Stephanus miles ducem quendam vidit certaminis sui à dextris DEI stantem, tanquàm ad suam aliorumque strenuè laborantium defensionem paratum. Aut sic: Præcinxit se, more eorum qui aliquid operis faucturi sunt: hi enim succincti esse consueuerunt,

vt

vt expeditius opus suum faciant. Ita enim & Christus iam in regi sui exaltatus solium, egregium sed præclarum opus aggressus est: nimirum Ecclesiam suam nouũ quendam mundum ædificaturus. Accinctus operi, imò iam dudum ipsum opus aggressus est, primáque fundamenta locauit. Et quemadmodum in principio rerum orbem terrarum firmauit, ne commoueretur: ita nunc Ecclesiam suam supra firmam petram ædificauit, ne quid vel ipsæ inferorum portæ aduersus eam pręualeant. Hoc ipsum ergo Christi gloriæ seruit, quod non solum honore & gloria indutus est, verumetiam in auxilium membrorum suorum armatus astat. Et quid vltra quæris? Sed ipsam totius negotij summam accipe. Parata est, inquit Psalmista, sedes tua ex tunc, ô Deus, à seculo tu es. Ex illo tempore, dicit, quo regni tui fastigium, victo hoste, conscẽdisti: parata tibi honoris sedes est: sedes, inquã regia, sedes iudiciaria, & hęc tibi in humana carne de terra ad cœlos cùm triumpho ascẽdenti ad dextrá patris posita est, vt nunc porrò in æternum ei dexter assideas, cui per omnia ab initio æqualis es. Ex tunc te filium suum pater altissimus allocutus est, Sede à dextris meis. Ex tũc idem de Iudicem viuorum atque mortuorum constituit, gentesque in tuam ditionem tradidit. Nec mirum eò te dignitatis euectum esse, quando in diuinitatis natura patri coæqualis, & apud eundẽ ante omnes creaturas ab æterno extitisti. Ecce Christum non iam regem solum, verumetiam Deum esse. An non ergo aperte satis gloriam atque honorem Christi Propheta perscripsit? Et mũdus quidem hic impius cũ suo Principe Diabolo, omnibus sæpe quibus licuit modis, hanc Christi gloriam impedire conati sunt: sed frustra attentauere impossibilia. quemadmodum & Dauid id multis patheticòs & cùm exageratione enarratis testatur. Eleuauerũt, inquit, flumina Domine, eleuarunt flumina vocem suã: Iudęorum nempe populns. In propria enim venit, & sui eum non receperunt: imò non solum non receperunt eum, verumetiam hostili acie persecuti sunt. Deinde & flumina eleuauerunt vocem suam, id est, sonitũ infando nimirum ore vociferãtes Iudæi dixerunt. Regem non habemus nisi Cæsarem. Et: Nolumus hunc regnare super

Matt. 16.

Psal. 92.

Psal 109. Acto. 10. Psal. 2.

Ioan. 1.

Ioan. 19.

Luc.19. nos. Et tandem etiam eleuauerunt flumina fluctus suos, cùm Iudæi oppressum Iesum crucifigerent. Quam Iudæorum tempestatem multarum aquarum id est Gentiũ voces secutæ sunt: imò totum hoc mundi huius mare, contra vnum Iesum admirabili planè ac inaudito modo exurgens intumuit. Nunquam enim in memoria omnium hominum vel visum vel auditum fuit, totum terrarum orbem contra vnum aliquem hominem insurrexisse, eóque mirabiles dictæ sunt elationes illæ maris huius: attamẽ contrà mirabilior in altis dñs. Ipse enim Dominus rerum manet in æternum. Testimonia eius credibilia facta sunt nimis. Miracula enim per se, perque discipulos suos facta, in ascensione sua glorioſa, abundè eum Regem sempiternum designant. Ex his ergo quàm apertè Propheta hoc in Psalmo Christi gloriam descripserit, videmus. Sed nunquid hæc scire satis est? Minimè gentium. Quin qua ratione hæc Christi gloria commodare nobis possit cogitandum est. Id fieri qua possit ratione quæris? Dauid Prophetam audi, paucis ille docebit. In alio enim Psalmo sic loquens ait: Dominus

Psal.99. regnauit, exultet terra, lętentur Insulæ multæ. Nec immeritò hoc. Oportuit enim præ gaudio in Christi gloria atque ascensione & terram exultare, & Insulas multas lætari: imò & Gentes, quemadmodum in alio quodam Psalmo dicitur, manibus plaudentes, Deo in voce exultationis iubilare: quando Christi gloria communis est omnium vtilitas. Sed mundus ista conténit ac negligit. Vnde Propheta noster in fine Psalmi ad pios conuertit sermonem, dicẽs: Lætamini in domino, & confitemini memoriæ sanctificationis eius. Addit enim in eodem Psalmo causam, cur sit lætandum iustis: Quoniam, inquit, tu dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus super omnes Deos. Et vt videamus, quàm nos merito in Christi ascendentis gloria lætemur, quatuor enumerat inde defluentia commoda: quorum primum est, quod

1.Ioan.2. Heb.9. in sublimi apud patrem cœlestem aduocatus noster assidet. Vnde & Paulus ait Christum ad cœlos ascendisse, vt apud patrem pro nobis appareret. Id quod Dauid expresit dicens: Custodit Dominus animas sanctorum suorum: puta, cùm illorum causam apud patrem agit.

Secun-

Secundus fructus verò est: quod sua dominus ascensione certissimam spem, perfectæque ab omni malo libertatis, imò sempiternę beatitudinis ac gloriæ contulit. Quò enim caput nostrum peruenit, eò & iã nos membra pertinemus. Vbi enim cadauer, illic & aquilæ congregantur. Pater, inquit Christus, volo vt vbi ego sum, illic & ipsi sint, quos dedisti mihi. Et iterum: Vado parare vobis locum: iterum autem veniam ad vos, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum & vos sitis. Hoc illud nimirum est quod hic Psalmista posuit: De manu peccatoris liberabit eos. Tertia porrò vtilitas est: quod sua nos ascensione docuit, quò nobis aspirandum sit, quid quærendum, imò ad quid conditi & liberati sumus: nempe, non ad terrenum sed ad cœleste regnum. Si cum Christo, inquit Paulus, consurrexistis, quæ sursum sunt quærite. Et iterum: Nostra cõuersatio in cœlis est, vnde & expectamus saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum. Et iterum: Colligite vobis thesauros, non hic in terris, sed supra in cœlis. Hæc nos Christus sua ascensione docet, vt mentes nostræ in cœlum sint erectæ. Vnde Prophe ta subdit: Lux orta est iustis, & rectis corde lætitia. Lux illa nempe, in qua videre dantur prioribus seculis inaudita, huiusq; mundi principibus incognita: quod genus nostrũ, & spẽ patriamq; nostrã in cœlis habeamus. Et quod lumen huic luci comparari potest? Quartus fructus est, quod Christus nos tantis promissis tam amicè cõsolatus est. Ascendo, inquit, ad patrem meum & patrem vestrum. Et quid his verbis iucundius cogitari potest? Christus enim hic Deum, & patrem & Deum nostrum vocat. At patris est liberorum suorum cura affici, nutrire, conseruare, tueri, exaudire, hæreditatem ac possessiones reponere: Dei autem est fortiter suos ab omni periculo liberare. Si quando ergo dubitatiuncula aliqua mentem tuam subintrauerit, an Deus adiuuare te, an conseruare, an liberare & tueri velit, patrem tuum eum: si an possit, Deum tuum esse cogita. Et hac ratione non solum lux iustis, verumetiam rectis corde lætitia, ex vna eademque Christi ascensione orta est. An non igitur nos merito Propheta vt pro Christi gloria exultemus, hortatur? Verùm enimuero ne quis arbitretur tantarum rerũ causa exulta-

Matt. 24. Ierem. 17 Ioan. 4. Col. 3. Philip. 3. Matt. 6. Lucæ. 10 1. Cor. 2. Ioan. 20.

tionem sufficere: consequenter Propheta quid sub tanti regis signis faciendum sit nobis militibus, subdit: Qui
Psal. 96 diligitis Dominum, odite malum: honor enim regis nostri (vt in alio quodam Psalmo scriptum est) iudicium
Psal. 98. dilexit. eoque iustitiam à filijs hominum exigit. Quem-
Leui. 19. admodum & in lege scriptum est: Sancti estote, sicut & ego sanctus sum Dominus Deus vester. Et in Euange-
Matt. 5. lio: Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Deinde idem Regis honos postulat vt ipsi secundum scientiam, cum ratione & discretione seruiamus, non eo modò quo inferioribus his Dominus in-
Psal. 2. seruire cõsueuimus: sed cum timore ac tremore magno, cum exultatione, solicitudine ac honorificentia, tanquam summo regi, quo nemo maior est. Eodem sensu Paulus suadet, vt probati ac dijudicati, corpore domini participemus. Non autem sine ratione Dauid nos mo-
1. Cor. 11. net, vt cum iudicio Regi nostro seruiamus. Inuenias enim non paucos, qui specie quidem bona, Deo seruire videantur, quorum tamen ministerium iudicio caret. Non enim ea honorificentia, qua oportuit: non ea exultatione, aut cordis directione: non illa boni propositi perfectione: non denique illa bonæ operationis solicitudine, vt æquum erat: sed cum pigritia, cum nausea, cum hypocrisi, quasi carnali cuidam Domino, exigui lucelli gratia seruiunt: imò non eam fidem in ministrando Deo, quàm fortè hominibus exhibent, præstant. Ingenuos verò Dei seruos necesse est cùm magna cura munus concreditum exequi, & postpositis omnibus alijs, secum quàm diligentissimè cogitare, quæ sit huius Domini maiestas ac celsitudo, quod sublimior ipse cunctis terræ Regibus, quod potentior cunctis Dijs & exaltatus vehementer: quod sit inter potentes potentissimus: inter formidabiles terribilissimus: amabilium omnium amabilissimus. Eiusmodi enim iudicium, eamq; considerationem ante omnia honos & magnificẽtia Dei exigit. Quemadmodum & Moses populo Iudaico prę-
Deut. 4. dicans. Non est, inquit, alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Hæc Prophetæ Dauid ad nos de CHRISTI ascensione prædicatio fuit:

nempe

nempe ideo tot verbis vsus est, vt lætemur & exultemus, & in Christi regno iustè irreprehensibiles viuamus. Vnum hoc superest, vt quid Dauid Impijs timendum de hac ipsa CHRISTI ascensione denunciat, audiamus. Dominus regnauit, inquit, irascantur populi. ac si diceret: Dominus noster Iesus Christus regno præsidet suamque potentiam exercet, vtut increduli atque impij irascantur, fremant, sæuiant, insaniant: velint nolint, potentiam Maiestatemque eius sustinent: ac quantumuis repugnent, maximo suo damno pedibus ipsius prostrati succumbent. Id quod illa parabola significatum est, qua nolentibus hunc super se regnare, dicitur: Inimicos meos, illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. Vnde, quod in Hebræo est, huius Psalmi initium quidam sic verterunt: Dominus regnauit, contremiscant populi. Ratio: Dominus in Syon magnus, & nomen eius cum sanctum, tum etiam terribile est. sed & iudicium omne eius est. Pater enim omne iudicium dedit filio: nec quicquam nunc post ascensionem Christi superest præter iudicium. Id quod angelici illi duo viri etiam prædicarunt: Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Hæc ergo dicta sint impijs, qui si nolunt Christum glorioſum simul ac mansuetum Regem suum agnoscere, velint nolint, ipsum formidabilem regem, iustumque Iudicem sentient. Hæc igitur cum nouimus, Christi nos patienter submittamus signis, ac irreprehensibiles sub tanto duce ac rege militemus. Sic fiet vt securi atque intrepidè venientem Iudicem contemplemur.

Psal. 98.

Lucæ. 19.

Psal. 98.

Ioan. 5.

Acto. 1.

SECVNDVS SERMO.

Et Dominus quidē Iesus postquàm locutus est eis assumptus est in cœlum, & sedet ad dextram DEI.

Marci. XVI.

Breuis

BREVIS quidem huius diei lectio est, si verba numeres : tamen multas diuersi temporis historias continet. Nam quod initio eius est scriptum: Vndecim illis recumbentibus Dominum apparuisse, eorumq; & incredulitatem & cordis duriciem exprobrauisse : si ordinem historiæ, Euangelistarumque consensum animaduertimus, non nunc in Ascensione, sed ipsa Resurrectionis die factũ videtur, nimirum cum sero apparuit.
Lucæ. 24 Ex Luca enim illo ipso tempore discipulorum duriciam exprobrauisse intelligimus, his verbis : Quid turbati estis & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus carnẽ & ossa non habet, sicut me videtis habere. Ex Ioanne verò, quod eodẽ vespere Euã
Ioan. 20. gelij prędicationẽ discipulis commiserit, colligitur, cùm ait: Sicut me misit viuens pater, & ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum : quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis peccata, retenta sunt. Initium ergo Euangelij huius, gesta Dominicæ resurre-
Acto. 1. ctionis die recensere videtur. Nolo autem disceptare: cùm fieri potuit, vt nouissimo die simile quid & dixerit & fecerit. quo sensu veteris Ecclesiæ proceres hæc intellexerunt & interpretati sunt. Cæterùm quod Euãgelista in fine addit: profectos Apostolos vbique prædicauisse, sine controuersia factum non est hodiè, sed posteàquàm Spiritus sanctus missus fuisset. Nam cum ascenderet CHRISTVS, discipulis ne ab Ierosolymis discederent, sed promissum patris expectarent, imò ne omnino Ierosolymis, nisi accepto Spiritu sancto prædicarent, præcepit. Itaque initium & finis huius lectionis propriam suam quodque narrat historiam. Nihilò tamen minus aliquid etiam quod huic conueniat diei, refert: vt cùm ascendisse cœlos atque ad dextram patris Dei sedere commemorat. Nam ex Actis Apostolorum manifestum fit, Christum quadraginta tantum diebus facta resurrectione in terris comparuisse. Et hæc quidem præsens dies à Resurrectione quadragesima est, vnde hodie ascendisse conuincitur : ideoque mirum non est, nunc denuò Ecclesiam, siue (vt cum Dauid loquar) Sion filiam nouæ Regi suo proferre signa
Psal. 149

læti-

lætitiæ. Hodie enim tandem perfectè Christus clarificatus est: hodie, inquam, Deus exaltauit illum, & nomẽ ipsi dedit quod est super omne nomen. Nam in eius nomine omne genu curuabitur, siue in cœlo, siue in terra, vsque in sempiternum, Ascensione enim sua verus omnium Dominus declaratus est tandem. Adhuc cùm in terris videretur miraculis quæ magna & multa fecit, Dominum se terræ atque maris ostendit: quando mare pedum eius factum semita, voluntatiq; ipsius obediens, planum & tranquillum se præbuit, & multam piscium copiam Apostolis porrexit: terra verò quatriduo emortuum Lazarum reddidit, Dominique & factoris sui mortem tremula defleuit. Ad hæc descensu suo, Inferorum quoque ac subterraneorum se Dominum esse docuit, cùm fortem illius regni armatumque custodem in atrio suo potenti manu deuicit, ligauit, inermem fecit, eripiens inde longis annis congestam prædam, portas æreas & vectes ferreos dissipans, ereptos inde reduxit, vt tum etiam cùm nedum ascendisset, terrena illi atque subterranea genua flecterentur. Sed cœli ipsum aërisque Dominum esse tunc nondum erat apertum. Hoc ipsum ergo hodie demonstratum est, quando in cœlos assumptus est, imò ipsemet eleuatis in sublimè manibus propria virtute cœlos ingressus est, vt nunc porrò nemo dubitare possit, quia Dominus Iesus in gloria Dei patris est: imò etiam cum patre ac Spiritu sancto Dominus est omnium. Huc igitur hodierna festiuitas, huc etiam lætus omnium concentus, huc deniq; omnis generis preces plenæ pietatis in Deum, quibus hodie in Ecclesia vtimur, pertinent. Huc quoq; plurimi Psalmi quos Dauid Rex & Propheta in hanc solennitatem cecinit conscripsitq;, tot meditationes sanctæ, quibus olim dũ res Ecclesiæ staret, fidelis populus hunc diẽ sanctificauit, seruiũt. Vnde cùm multa & magna sint, quę vtili cõmoditate nunc dici possint, tẽporis tamẽ breuioris gratia, illud quod exordio sermonis huius positũ erat pro cõcione declarare atq; discutere placuit, quòd quid his commodè considerari ac meditari possit, clarè indicet Dominus Iesus assumptus est in cœlũ, ac sedet à dextris Dei. Hæc ipsa verba fundamentum sunt, cui præsens

Phil. 2.

Matt. 14.

Matth. 8.

Lucę. 9.

Ioan. 11.

Matth. 27

Lucæ. 11.

Psal. 106.

Lucæ. 24

Marc. 16.

præsens festiuitas innititur: in quibus etiã (quod maius est) Religionis ac fidei nostræ articulus ille, quo Christum assumptũ à dextris Dei sedere confidenter cõfitemur, & indubiè credimus, insistit: hæc, inquã, corde credimus, & ore cõfitemur, multis Scripturarũ testimonijs suffulta & confirmata esse. Nam & Lucas Assumptionis domini historiã duobus in locis perscripsit, & in Ioanne ipse Christus affirmans ait: Ascendo ad patrẽ meum & patrem vestrũ, Deum meum & Deum vestrũ, & Paulus: Qui descendit, inquit, ipse est qui & ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Et iterum: In ipsum cœlum introiuit Iesus, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Et Dauid: Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Et: Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Sed & Michæas Propheta de Christo loquens ait: Ascendet iter pandẽs ante eos. His alijsque id genus multis testimonijs scriptura quod hodie confitemur confirmat: vt nemo de Christi in cœlos ascensione dubitare possit. Quid verò per hanc eius ascensionẽ, nisi plenam perfectamq; ipsius clarificationem cognoscimus? Licet enim initiũ illa in resurrectione sumpsit, qua apertè quis sit cognoscitur, eaque claritate apparuit, vt Thomas vnus è numero quos elegerat duodecim, pro nimia admiratione Dominũ eum pariter atq; Deum exclamaret: perfectior tamen & clarior reddita est, & omninò hodierna ascensione completur, vt non iam de diuinitate eius hæsitantes, sed gaudio perfusi spiritus, in Ierosolymorum vrbem reuersi Apostoli, in templo laudi diuinæ instarent, plenisque pietate orationibus Christo à patris dextra sedenti supplicarent. Quo enim certius eum in cœlis sedere nouerant, hoc confidentius in ipsum preces suas dirigebant. Prædixerat quidem hanc suam ipse clarificationem audientibus turbis sæpè, sed verborum quibusdam inuolucris. Vt in Ioanne: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, & à meipso facio nihil: sed sicut docuit me pater, hęc loquor. Et: Ego cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum. Apertè autẽ eandem clarificationẽ suam, maximè cũ iã tempus passionis instaret, discipulis suis prędixit. Venit hora, inquit,

Lucæ.24. Acto.1. Ioan.20. Ephe.4. Heb.9. Psal.49. Psal.67. Mich.2. Ioan.20. Actor.1. Lucę.24. Ioan.8. Ioan.12.

vt

vt clarificetur filius hominis. Et in cœna: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Et peracta cœna, Pater, inquit, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Omnium horum initiũ quidẽ in resurrectione fuit, sed hodie tandem completa sunt. Tria igitur hic pijs consideranda sunt. Primo clarificatio siue glorificatio, quàm hodie Christi accepit humanitas. Secundo, quę nobis spes inde veniat. Postremo quis verus illius vsus sit. Quod ad primum, Marcus Euãgelista vno sane verbo ascendentis Domini nostri Iesu Christi gloriam cõplexus est, cùm ait: Assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Breuis ille quidem verborum contextus, dictuq; non difficilis, sed mysterio grauis, eoque consideratione eget multa. Necesse enim egregiũ quid sit oportet, quod de ipso solo dicitur: Sedet à dextris Dei. Licet enim & Enoch iustum à Deo in paradysum translatum, & Eliam curru igneo atque equis per turbinem in cœlum ascendisse legimus: nihil tamen est si cum Christi ascensione conferas. tum de neutro horũ, quod à dextris Dei sedeat scribitur. Solus Christus est, cui pro sua reuerentia hic honos debetur. Dixit Dominus domino meo. Ecce quid dicat: Dixit Dominus nõ cuiuis homini, nõ Eliæ, nõ Enoch: sed Domino meo. Quid verò? Sede à dextris meis. Quantus verò ille honos sit, sedere à dextris Dei, ipse Christus ostendit, dicens: Data est mihi potestas omnis in cœlo & in terra. Et Paulus ait: Deus suscitans Christum à mortuis, cõstituit ad dextram suam in cœlestibus supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiã in futuro. Et Petrus Apostolus de Christo loquens: Cõstitutus est, inquit, à Deo Iudex viuorum atq; mortuorum. Sed & Dauid Propheta Regius de ipso loquens: Gloria, inquit, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Non aliquorum tantum, sed in vniuersum omnium operũ. Et: Omnia subiecisti sub pedibus eius. Cum aũt dicit: Omnia subiecta sunt ei, sine dubio nihil omniũ excepit, præter eum qui ei subiecit omnia. Sed & alibi idẽ Propheta de hac gloria loquitur. Dñe, inquit, in virtute tua lætabitur Rex, & Ibidem. Ioan. 13. Ioan. 17. Eccl. 44. 4 Reg. 4 Psal. 109. Matt. 28. Ephe. 1. Acto. 10. Psal. 8. 1. Cor. 15 Psal. 20.

& super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis eius dedisti ei, & voluntate labiorum eius
Psal. 44. non fraudasti eum. Et: Sedes tua Deus in seculum
Psal. 88. seculi: virga directionis, virga regni tui. Et iterum: Locutus es in visione sanctis tuis & dixisti: Posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea. & quæ sequuntur. Et: Dominus regnauit decorem indu-
Psal. 92. tus est: Indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se, firmauitque orbem terræ, & non commouebitur. Et
Psal. 96. iterum: Dominus regnauit, exultet terra, lætentur Insulæ multæ. Et mox: Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis. Adorate Dominum omnes angeli eius. Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos. Ecce qua maiestate tot locis scriptura Christi clarificationem prædicat, quę omnia vno verbo com-
Marc. 16. plexus est Marcus cùm ait: Sedet à dextris Dei. Sed & nos eadem omnia complectimur, quando Apostolico symbolo confitemur: Ascendit ad cœlos, sedet à dextris Dei. Propterea nunc hoc porrò consideremus, quantum Christus seruator noster alios Reges omnes honore, ma
Esai. 40. iestate, atq; potentia excellat. Reliquorũ Regum omniũ quæcunq; potestas & maiestas, veluti flos fœni est, quæ facilè decidit: imò inanis quędã vanitas est. Christi verò
Psal. 101. honos sempiternus est. Ipsi (inquit Dauid) cœlũ nimirũ & terra, & oĩa quæ in eis sunt transeunt: tu aũt idem ipse es, & anni tui nõ deficient. Huic ergo regi nostro Christo cõfidenter adhæreamus, ipsiusq; potenti manui nos submittamus. Cæterùm nunc, quę nobis ex hoc Christi honore spes atq; fiducia offeratur, perquiramus. Scriptura quidem vbique de illo Christi honore quasi re omniũ
Psal. 46. iucundissima loquitur. Nam Dauid non solum ad exultationem mentis, verum etiam ad manuum plausum, vbicunque huius maiestatis mentionem facit, hortatur.
Psal. 96. Et alibi ad prædicationem eius insulas multas terrámque lætitia exultare optat. Et Christus ipse discipulos
Ioan. 20. suos noua quadam Euangelizatione recreaturus, ait: Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, Deũ meum & Deũ vestrum. Sic ali-
Ioan. 14. bi eosdem ipse alloquitur: Si diligeretis me, inquit, gaudere-

deretis vtiq;, quia vado ad patrem, quia pater maior me est. Quæ apertissimè conuincunt pijs omnibus ingentẽ spem & consolationẽ ex Christi ascensione ac maiestate defluere. Id quod illa etiam oratione, qua patri peracta cœna supplicat, manifestũ fit. Pater, inquit, venit hora, Ioan. 17. clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te: Sicut dedisti ei potestatẽ ois carnis, vt det eis vitam æternã. Ecce igitur qua ratione Christus in tãtam gloriam & vsq; ad dextram patris Dei subuectus sit, omniumq; Dominus constitutus sit: nõ vt excelsus ipse nos hic ex alto disperdat: sed vt ab omni malo tueatur, defendat, protegat, & denique saluos faciens ad se hinc extrahat. Cui sententiæ conuenit quod subdit: Tui erant, & mihi eos dedisti. Ioan. 5. Et quòd alibi dicit: Hæc est voluntas patris qui me misit, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Huc etiam pertinet Ioan. 12. quod alibi dicit: Ego cum exaltatus fuero, non dicit, disperdam omnia: sed trahã omnia ad me ipsum. Nigil ergo est quod à potentia Christi timeamus: quod speremus, plurimum. Quid enim times? Quod ipsius sis tu, atq; ille Dominus tuus cõstitutus sit audis, nõ hoc vt te dãno afficiat, sed vt salutem tibi impertiat. Nec te pusillanimem reddat cõditio tua humilior: nam quod omnis illi carnis data est potestas audis. Nec super magna illa & ingentia opera Dei tantùm, verùm etiam super inferiora omnis generis opera constitutus est Dominus. Quicquid enim creaturæ aut operis Dei nomen meretur, siue infirmum illud, egenum, contemptibile, siue verò potens, validum, honorificum: hunc Dominum habet. Nec denique secundum personarum respectum iudicat rex ille, sed quamcunque Dei facturam sine vlla discretione suam agnoscit. Age ergo quicunque Dei creatura es, maximè Christiano nomine insignitus, lætare & exulta. Sed ideo hæc quoque dicuntur, vt fidem & spem tuam augeas, quicunq; Christum verè omnium Dominum constitutum esse credis. Si enim hostes tui aduersum te conspirauerint, dic quæso, cui repugnant, tibíne an Christo ipsi? Et quidem in ipsius manu etiam inimici tui sunt, perinde atque tu. ne quid trepides: vtrobique enim præsto est, eorumq; aduersus te conatus ipse

discernit, nec minori te ipso, erga te cura afficitur. An forte possessio tua, ipsa sui maiorem te Domino suo solicitudinem habet? Quæ auri tui in arca sui cura est: An non paterfamilias & Dominus arcam simul atque eos custodis: singulisque momentis latronum furumq; clandestinis insidijs impigrè aduersaris? Cuius verò dãno auferetur? Vtique non suo, sed tuo. Si auarus de pecunia furto ablata sibi dolet: quomodo Christus iniuria credentium suorum non afficietur? An non hic ille est, qui in propheta loquitur: Qui vos tetigerit, oculi mei pupillam tãgit? Et: Quicquid feceritis vni de his fratribus meis minimis, mihi feceritis. Et iterũ: Saule Saule, quid me persequeris? Væ ergo incredulitati nostræ, quæ sola facit, ne hanc tantã spem intelligamus. Non culpa in defensore aut possessore est, sed fides qua certificamur, quod ipsius nos possessio, deest. Sed ais: Vehemẽter mihi timeo, ne, quandoquidẽ peccator ego sum, cõdemnet me Dominus meus: nec vllum in me meritum conspicio, quo tantæ hæres fœlicitatis designari merear. Sed frustra ab illo perditionem times, cui temet, tradideris, & quem Dominum agnoscis. Illius enim cùm sancti tũ peccatores peculium sunt, quemadmodum reliqua etiam manuum Domini opera omnia. Omnis lingua confiteatur, inquit Paulus, quia Dominus Iesus in gloria Dei est patris. Et iterum: Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Hos magis perdet, qui cùm ipsius sint, Dominum tamen ipsum agnoscere recusant. Sic enim in Luca de quibusdam loquitur, dicens: Veruntamen inimicos meos, illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me: quandoquidem nolunt ipsi, etiam repugnãte voluntate subiugandi sunt. Nobis verò Rex non seueri mandati exactor, sed redemptor atque saluator est. Propterea, si quando lapsus peccaueris, de Christo desperare noli: non enim à regno eius excides, nisi opus Dei esse desieris. Huc ergo Sapientis dictum pertinet: Etsi peccauerimus, tui sumus: scientes magnitudinem tuam. Et quod Paulus ait: Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus. Et, vt summatim omnia perstringam:

Zacha. 2.
Matth. 25
Acto. 9.
Philip. 2.
Rom. 10.
Lucæ. 19.
Sapien. 15
Roma. 14

Christus

Christus te suam possessionē agnoscet, si modò tu Dominum illum tuum agnoueris. De hoc ipso enim maximè conqueritur, quod se Dominum nostrum agnoscere recusamus. Bos, inquit in Propheta, cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Esai.1.
Huc etiam illa verba quibus de seipso patrem alloquitur, dicens: Potestatem dedisti ei omnis carnis, vt omne Ioan.17.
quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Et quæ subdit: Tui erant, & mihi eos dedisti. Et mox: Pro ijs quos dedisti mihi rogo, quia tui sunt. Et: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quàm dedisti mihi. Ecce Regis nostri magnificentiam, & quæ nobis ex clarificatione eius est, spem firmam. Agite ergo, quod Dauidico
Psalmo monemur, plaudentes in voce exultationis Deo Psal.45.
iubilemus: psallamus Deo nostro, psallamus Regi. Hoc tamen non sine causa in fine monet, vt sapienter psallamus: hoc est, vt huius gratiæ, tantæque spei, ac læti nuntij verùm vsum apprehendamus. Et hoc nunc tertio cōsiderandum est hodie, ne nostro magno malo improuide persuadeamus nobis, quasi omnia consummatè expleuerit Christus, nosq; inerti otio, aut etiam carnis desiderijs effrenes dimiserit, plurimorum certè exemplo, qui audito Euāgelij verbo, illud solùm colligunt, quod bonorum operū contemptui, ac vitæ leuitati pro cuiusque infausto desiderio fenestrā aperit. Nō ita patres nostri Ascensione Christi vsi sunt. Dauid quidem Propheta Christi ascensionem multis ante seculis præuiderat, prædixerat & considerauerat, indeq; non paruam spem conceperat. Sed nunquid ideo ad bene pieq; viuendum redditus est pigrior? Minimè. Magnificè quidem decantauit & depinxit hanc Ascensionem cum ait: Tollite portas vestras principēs, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: non tamen quæ cum ipso introire volentium requiratur qualitas, tacuit: Quis, inquit, ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Nunquid ij quorum vita omni pietate vacua, omnibusque carnis desiderijs plena Psal.23.

est? Non: sed innocentes manibus & mundo corde. Si-
Psal.14. mile quid & in alio Psalmo scriptum est: Domine, in-
quit Propheta, quis habitabit in tabernaculo, aut quis
requiescet in monte Sancto tuo? An pigri, desidiosi,
an bonorum operum contemptores? Minimè. Sed:
qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam: qui
loquitur veritatem in corde suo. Hoc etiam modò A-
postoli sancti ex Domini ascensione non in falsam &
inanem securitatem ducti, sed in omne opus bonum ar-
Acto.1. dentiores effecti sunt. Omnes, Luca teste, vnanimiter
Lucæ.24 perseuerantes erant in oratione. Et: Adorantes regres-
si sunt in Ierusalem cum gaudio magno, & erant sem-
per in templo laudantes & benedicentes Deo. Hoc mo-
do & nos Ascensione Domini vti conuenientissimum
& vtilissimum est: Nempe, vt eo ardentius & perseue-
rantius precemur, magisque omni pietati operam de-
mus, quo Christum à dextris Dei patris sui sedere cer-
tiores sumus. Ita & Ecclesia hodie facere cõsueuit cum
precatur, dicens: Oramus Domine conditor inclite, de-
uotos famulos respice protegens, ne nos liuor edax dæ-
monis obruat, demergat vel in inferos. Et: O Rex
gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie su-
per omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orpha-
nos: sed mitte promissum patris in nos spiritum verita-
tis. Iam nec sic precari satis est, nisi & bonis operibus,
& pietati intenti fuerimus. Vos, inquit Dauid, qui dili-
Psal.96. gitis Dominum odite malum, quia honos regis iudici-
Psal.44. um diligit: diligit, inquam iustitiam & odit iniquita-
tem. Alia enim ratione cum Christo ascẽdere non pos-
sumus, quando immundum nihil & contaminatum
Apoc.21. cœlos intrabit. Vnde Christus priusquàm clarificatio-
nem à patre postularet, dicit: Ego, pater, te clarifica-
ui super terram, opus consummaui, quòd dedisti mihi
Ioan.17. vt faciam. Quod si ergo cum Christo clarificari appetis:
hoc age, Deum in terra clarifica, opus quod dedit tibi
vt facias, perfice. Et vt summatim cum D. Bernardo
concludam, Christus à dextris Dei sedens, dextra sua
misericordiam, sinistra iustitiam tenet, imò misericordię
permultum, plurimum iustitiæ: dextra sua aquam, sini-
Psal.101 stra ignem continet. Et licet secundum altitudinem cœ-
li

li à terra corroboret misericordiam suam supertimentes se: terribilis tamen ipsius iustitia est super filios hominum, vtrobique etiam sententia æternitatis tibi proposita est. Huc ergo annitere, vt dextram Christi apprehendas, vt iudiciũ eius euadas. Nam idem ille districtus iudex reuertetur omnium, qui mitis modo transijt. Psal. 65. Acto. 1.

SERMO TERTIVS.

QVod Samuel olim Propheta Saul Regi verè recteque loquutus est, idipsum hodierna festiuitas re ipsa comprobat: nempe, meliorem esse obedientiã victima, eò quod veluti scelus idololatriæ sit nolle acquiescere. Apertissimum aũt id fiet, si Christi ascensionem cum reiectione Saul contulerimus. Quid enim Christũ ad tantam gloriæ sublimitatem euexit, præter obedientiam? De humanitate Christi loquor. Factus enim, Paulo teste, obediens patri vsque mortem, nempe ad crucis ig nominiosæ mortem. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Contra verò, quid Saul Regem regno, præter inobedientiam eiecit? Pro eo, inquit ad ipsum Samuel, quod abiecisti sermonem Domini: abiecit te Dominus, ne sis Rex. Verisimile est quidem, aliã quoque Saul Regis fuisse iniquitatem: sed hoc vnum scelus quasi solum à Samuele ipsi obijcitur. Quare, inquit, non audisti vocem Domini? Idque vt omnes, quam Deo Opt. Max. displiceat, nolle obedire mandatis diuinis, intelligeremus. Contra vero Christũ plenum fuisse virtutibus dubium non est: nihil tamen toties eaque maiestate de eo prædicatur, quàm inaudita seculis omnibus atque parata obedientia in Isaac olim atque Ioseph adumbrata: quorum ille voluntariè se metipsum in victimam obtulit, hic verò fratribus suis germanis à quibus persecutus & venditus erat, obuiam processit. Vnde & Christus ipse ait: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, Patris, vt perficiam opus eius. Et iterum: Ego descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me patris. Et: Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Et: Philip. 2. Gene. 12. Gene. 37. Ioan. 4. Ioan. 14. Matth. 26

Non mea sed tua voluntas fiat. Et: Calicem quem dedit
Ioan. 18. mihi pater, an non bibam illum? Et iterum: Opus con-
Ioan. 17. summaui, quod dediſti mihi, vt faciam illud. Quam sa-
ne Chriſti obedientiam multis exaggerat Paulus dicēs:
Philip. 2. Chriſtus cum eſſet in forma Dei, non rapinam arbitra-
tus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: ſed exinaniuit ſemetipſum,
obediens, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem ho-
minum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit
ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem
Iſa. 58. autem crucis. Et Iſaias Propheta: omnes nos, inquit, qua
ſi oues aberrauimus, vnuſquiſq; in viam ſuam declina-
uit. & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium no-
ſtrùm. Oblatus eſt quia voluit, & non aperuit os ſuum.
Pſal. 29. Hinc ipſe in Pſalmis loquitur: Sacrificium & oblationē
noluiſti, aures autem perfeciſti mihi: holocauſtū & pro
peccato non poſtulaſti, Tunc dixi: Ecce venio. In capite
libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam
Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei.
Hac ergo ratione Chriſti obedientiam Scriptura prędi-
cat, vt intelligamus nihil æquè placere Deo, atq; prom-
ptam mandatorum ſuorum obedientiam. Quemadmo-
dum ergo non immeritò electionis Saul exemplum for-
midamus, eiusque inobediētiam noſtram ducimus præ-
monitionem: ita optimè ex exaltatione Chriſti lætitiam
concipimus: & obedientiam qua ad tantum honoris fa-
ſtigium peruenit, ſempiternum nobis & imitandū pro-
ponimus exemplum. Vnde operæpretium dignumq; iu-
dicaui, nunc porro de præſenti feſtiuitate nonnihil diſ-
ſerere: ita tamen, vt in duorū, nēpe, quid Chriſti Aſcen-
ſio ſit, & quid nos inde diſcere conueniat, limitibus de-
currat oratio. Quæ duo ſi rectè conſideraverimus, aper-
tè, nos vni huic diei ſatisfeciſſe, affirmabo. Quanquam
autem in multis Aſcenſionis Chriſti ſcriptura meminit:
facit tamen id obſcurius alibi, alibi etiam apertius. Et
Lucas quidem Euangeliſta breuiſsimè eam comprehen
dens ait: Eduxit eos foras in Bethaniam, & eleuatis
manibus ſuis benedixit eis. Et factum eſt dum benedi-
ceret illis, receſsit ab eis, & ferebatur in cœlum: &
nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Hæc, inquam, de
aſcenſione Domini Lucas conſcripſit, tanti profecto

Regis

Regis magnificentia minus, quod ad nubes solùm & cœlum Christum perduxerit: nihil interea de sempiterno ipsius regno atque maiestate commemorans. Nihilominus tamen pijs mentibus maxima quædam cogitanda de hac re suppeditans, tria præcipuè innuit. Primo, quod sine alieno Christus auxilio, propria potentiæ suę virtute ascenderit. Neq; enim in curru & equis igneis, vt Elias quondam assumptus est: nec ab angelis captis sui capillis per aëra vectus est, vt Abacuc quondam è Iudæa in Babyloniam ad Leonum caueam positus. Nec sic, quemadmodum Enoch à Deo nunquam deinde in terris videndus raptus est. Tum etiam nec vt Paulus, in tertium vsque cœlum raptus est: sed recessit, inquit Euangelista, in cœlum: vt propriæ virtutis intelligeres facinus. Deinde obsequium nubis, quod ipsi tanquàm Domino exhibuit, Euangelistæ verbis innuitur. Postremo quod cœlum ipsum in aduentum eius se patefecerit, id quod nulli omnium ante contigit. Quæ omnia liquido demonstrant, maius quid in Christo Domino latuisse, quàm in cæteris omnibus hominibus: imò Christum cœli aërisque Dominum esse manifestè conuincunt. Et hæc ergo apertè cum ascendit demonstrare voluit, vt tum discipuli, tum nos quoque credentes reliqui conceptâ inde sempiterna spe, nosmet in eis oblectaremur. Quod enim terræ marisque sit Dominus, ante cum adhuc in terris inter homines conuersaretur clarè demonstrauit, quemadmodum infirmitatis omnis, mortis, ipsiusque adeo Diaboli potestatem sibi inesse declarauit. Vt enim voce extenta clamauit: Lazare veni foras: mox terra defunctum quem acceperat, reddidit. Mari dixit: Tace, obmutesce: & mox cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna. Mortuo adolescenti mandans ait: Tibi dico, Surge: & resedit qui erat mortuus. Sic alibi: Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum: & exijt ab eo. Sic muto loquitur: Epheta, quod est adaperire: & statim apertæ sunt aures eius, & loquebatur rectè. Quæ abundè declarant, quod ipse Dominus sit,

4. Reg. 2. Dani. 14. Gene. 5. 2. Cor. 12. Ioan. 11. Marc. 4. Lucæ. 7. Marc. 9.

& potestatem habeat terræ, maris, infirmitatum omniũ, mortis, ipsiusque Diaboli. Hoc solum restabat, vt pari maiestate Dominum se aëris atque cœli ostenderet, vt spes nostra plena sit, atque omnibus notum sit, quia ipse potestatem habeat omnem. Id ergo hodie effecit, & Lucas commemorat. Vnde & Ecclesia lætatur, & omnis ingenuè Christianus exultare potest. Certo enim persuasi, quia Christus, Dominus est omnium: in periculis, securiores: in infirmitatibus, animosiores: in tentationibus confidentiores erimus. imò cur mortem ipsam timeamus, minus erit: quod Diabolum formidem, prope nihil erit tandem etiam de obtinenda cœli hæreditate certiores erimus. Vbi enim caput est, illuc etiam cætera congregantur membra. Et quidem ex hoc fonte pij quique in omnibus aduersitatibus suis fortitudinem simul atque fiduciam hauserunt. Quemadmodum Apostoli etiam profecti vbique terrarum prædicauerunt Euangelium, per ciuitates atque deserta, per amicos simul & inimicos, per ignem feràsque, imò per homines feris immaniores: inconcussi, intrepidi, semper atque securi. Et vnde tanta illis fortitudo? Vtique ex fide, qua CHRISTVM totius orbis cognouerunt Dominum. Vnde cum Dauid dicere nõ horruerunt: Domini est terra, & plenitudo eius. Quemadmodum Paulus etiam, certo sibi persuadẽs, Christum dominum maris habere potestatem, etiam in extremo vitæ suæ periculo cõfidebat, vt desperantibus omnibus, solus intrepidè atq; constanter cõfirmabat cæteros. Sic & Stephanus Protomartyr certus Dominum vitæ pariter atq; mortis habere imperium: nihil veritus, sed cum quadam etiam animi sui alacritate mortem subijt. Ecce, inquit, video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Quemadmodũ & alij Apostoli ex eo quòd Christus dixerat: Nũc iudiciũ mũdi, nunc Princeps huius mũdi eijcietur foras. Et: Ecce dedi vobis potestatem calcãdi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit: tantam animorũ firmitatem conceperunt, vt nihili omnino Diaboli facerent audaciã, aliosque etiam ad resistendũ illi magna autoritate adhortarentur. Vt Iacobus: Resistite, inquit, Diabo-

Psal. 23.
Acto. 7.
Ibidem.
Ioan. 12
Lucæ. 10.
Iacob. 4.
Ephe. 6.

Diabolo,& fugiet à vobis. Et Paulus:In omnibus sumẽ
tes scutum fidei, in quo posſitis omnia tela nequiſsimi
ignea extinguere,& galeam ſalutis aſſumite, & gladium
ſpiritus,quod eſt verbum Dei. Sic idem ille Apoſtolus
confidenter alibi:Scimus,inquit,quoniam ſi terreſtris do 2. Cor.5.
mus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædifi-
cationem ex Deo habeamus, domum non manu factam,
ſed æteruam in cœlis. Et alibi rurſus: Iam, inquit, non
eſtis hoſpites & aduenæ,ſed eſtis ciues ſanctorum & do- Ephe.2,
meſtici Dei.Et:Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Et: Re- Philip. 3.
poſita eſt mihi corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi Do- 2.Tim.4.
minus in illa die, iuſtus iudex. Et ita quidem etiam tum
pij permultum ſpei atque virtutis ex Chriſti Aſcenſio-
ne colligere poſſunt, ſi modo diligenter & præſentibus
animis magna illa & ingentia cogitare libuerit: nempe
quod vti Dominus cœli cœlum aſcendit. Neque verò
alicunde eſt, quod tam deſperatis atque deiectis animis
in omni vel leuiſsima perturbatione hæſitamus, adeo-
que timidi mortem exhorreſcimus, primosque hoſtis
noſtri inſultus expaueſcimus, niſi quod fidei ſcutum,
Paulo hortante, non aſſumimus, maieſtatem gratiam-
que Chriſti non cogitamus, quæ fortiſsimum alioqui
contra omnes mundi huius Satanæque inſultus eſſe de-
bebant præſidium. Neque enim Ioannes,fidem noſtram
eſſe victoriam, quæ mundum vincit: & eum, qui Chri- 1.Ioan.5.
ſtum Ieſum, filium illum Dei eſſe credit, viciſſe mun-
dum, ſine ratione tam conſtanter affirmat. Propterea
& Chriſtus dicit:Confidite, ego vici mundum:in mun- Ioan.16.
do licet preſſuram habeatis, tamen in me pacem habe-
bitis. Nullus ergo credenti deſperationis locus relictus
eſt:fidelis eſt enim Deus, & ſeipſum negare non poteſt. 2.Tim.2.
ac Chriſtus quidem verè ouium paſtor bonus, tanta gre- Ioan.10.
gis ſui cura afficitur, vt nemo eas de manu ipſius rapi-
at. Vides igitur quem ſpei ac virtutis cumulum Chri-
ſti aſcenſionis conſideratio adferat. Et hæc ratio cur tan-
topere ac toties hic Articulus ſacris ſcripturæ diuinæ te-
ſtimonijs approbetur. Lucas quidem Euangeliſta ſimpli-
citer,vt dictum eſt, de eo loquens: Receſsit, inquit, &
aſſumptus eſt ab eis in cœlum,ſed Chriſtus ipſe in Ioan-
ne apertius aliquanto de ſua ipſius aſcenſione loquitur. Lucæ.24

(Ioannis vicesimo Cap.) Vade, inquit, ad fratres meos & dic eis: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & DEVM vestrum. Quid verò his verbis intelligi voluerit, alibi explicat adhuc clarius: Non
Ioan.14. turbetur cor vestrum, neque formidet: creditis in Deũ? & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Vado parare vobis locum: iterum autem veniam,
Ioan.17. & assumam vos ad me ipsum. Et alibi ait: Pater, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, quos dedisti mihi. Idem ergo illud innuere voluit, quod ait: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum. ac si diceret: Non mihi soli cœlestes mansiones quæro, nec vni mihi hic ascensionis meæ apparatus manet. Vos ego præcedo, me vos sequamini. Hinc illud Pauli est: Deus conuiuificauit nos Chri
Ephe.2. Marc.16. sto & consedere fecit in cœlestibus. Iam verò, Marcus alia quædam addit: Et sedet, inquit, à dextris Dei. Id quale sit, Christus ipse in Matthæo explicat, dicens:
Math.28. Data est mihi potestas in cœlo & in terra. Et Paulus: Dedit illi Deus nomẽ quod est super omne nomẽ. Et alibi:
Phil.2. Ephe.1. Constituit illum ad dextram suam in cœlestibus supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Clarissime verò ad Hebræos. Sedet ad dextram maiestatis in excelsis: tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Vides ergo qua maiestate, quo verborum apparatu de Christi ascensione loquantur Apostoli. Nec mirum, quando tot retro seculis idem fecerunt Prophetæ. Maximè verò David, qui non vno aliquo sed multis Psalmis hanc Christi gloriam & regnum summis laudibus prædicat. Et horum quidem aliquot superiore anno propositas declarauí, nempe. 92. 96. & 98. Quod si illi adhuc minus perspicuè rem prædicare tibi videntur quid idem Propheta
Psal.109. alibi loquatur accipe: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus

ante

ante Luciferum ex vtero genui te . Iurauit Dominus & non pœnitebit eum , tu es sacerdos in æternum , secundum ordinem Melchisedec. Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ Reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas , conquassabit capita in terra multorum . De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput . His verbis in Ascensionis Christi prædicatione hoc in Psalmo Dauid vsus est. Et quis Euangelistarum ea de re apertius loqui potuisset? Principio enim Dauid Christũ Dominum vocat, quem de suo semine nascendum expectabat. Deinde hunc eundem filium definito æternitatis diuinę consilio, à dextris Dei, hoc est æquali potentia atq; maiestate sessurum esse. Tertio, quod nullo esset damno afficiendus, plurimis licet sit circunseptus malis, vndiq; conclusus hostibus. Quarto, omnes etiam inimicos eius, veluti scabellum pedum eius subiugandos esse. Quinto, quod virga regni ipsius comprehensura esset fines Sion & totius orbis terrarum . Sexto, non eorum tantum qui suapte se sponte eius imperio submissuri essent, Dominum fore, verum etiam in medio inimicorum suorũ dominaturum esse, velint nolint. Septimo, quod suos nõ solum vt Rex defensurus, sed & vti sacerdos apud Deũ reconciliaturus eosdẽ, & quod hęc omnia iuramento apud semetipsum obfirmauerit nunquã ob vllam quantũlibet grauem causam, quod semel statuisset, reuocaturus. Postremo ipsum Deum cũ omni omnipotentiæ suę virtute huic Christo dextrũ affuturum, ipsiusq; hostes confracturum esse. Ecce hæc omnia Dauid etiã de Christo Domino nostro perscripsit: & illud nimirũ est , quod hodie lętamur & exultamus. Putásne hic Apostolorũ atq; Prophetarum cuneus frustra tot verba de hoc articulo fecerit? Minimè. Quid ergo? Ideo nempe id factũ est, vt nos per ea in fide firmiores , in spe confidentiores efficeremur , tenacius coniunctiusque Christo adhæreremus: imò tandem ardentius ad cœlos , vbi Christus est in dextra Dei sedens , quo & nos aliquando perrecturi , & vsq; in æuum permansuri sumus , aspiraremus . Vnde Paulus admonet, quod si cum Christo consurreximus, Col. 3.
quæ sursum sunt quæramus , vbi Christus est in dextra Dei sedens. Necesse nimirum , vt agnum sequamur

quo-

quocunque ierit. Necesse, inquam, est, vt cum ipso moriamur peccatis, & conresurgamus, atque in nouitate vi-
Rom.6. tæ ambulemus: vt, si nondum licet corpore, mente tamẽ cum ipso ad cœlos ascendamus. Nam quod otiosi starẽt Apostoli, increpantur, angelica dicente voce: Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum? ac si dicerent
Acto.1. cœlestes spiritus illi: Obliti ne estis vos Galileos esse, hoc est peregrinantes. An nescitis propterea vos præcessisse
Mich.2. Christum, vt vobis sequentibus viam pandat? An ignoratis reuersurum eum aliquando, vt vos ad seipsum su-
Ioan.14. scipiat? Quid statis? Quid moram trahitis? Quin properatis? Quin hoc iter aggredi eaq; via incedere vosmet præparatis? Sequimini illum. Quid impedit? Hæc igitur nobis quoq; dicta existimemus, quando non sufficit quomodo Christus ascẽderit, cogitare: nisi qua ratione nos etiam sequi possimus, nostra dispositerimus. At hic labor, hoc opus. Cùm enim quæ remorantur impedimenta multa sunt, tum Adæ filij rarissimè recta via, vti debuimus, incedimus. Inuenias enim qui arduam cœli semitam vehementer abhorreant: & hi quidem exigui lucri causa nihil non faciunt. Quos sic & Isaias alloquitur dicens: Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Minori enim labore, ac via compendiosiore hæc vera bona acquiri possunt. Deinde sunt & alij qui ascendendo defecturos se arbitrantur, incipiant licet benè, primosque gressus ponant: eoque hanc terrenam perpetuam sibi optant vitam, & licet decies hi quotidiè in externis hallucinentur, iterumque luto resurgant: à peccatis tamen, quorum longè maius periculum est, abominabiliorque inquinatio, nec resurgere laborant, nec curant desistere. Alij porrò tam gra
Matth. 6. ui huius seculi iugo sese aggrauant, vt ne quidem assurgere possint, sed humi reptantes, non lubeat erigere pectus. Vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Alij denique peccatorum sunt constricti nexibus, ideoque ascendere nequeunt, etiamsi facilè se ex his laqueis ex-
Matth. 7. pedire, si velint, possint. Pauciss imus ergo eorum numerus est, qui ascendentes, sequuntur Christum: fitque re ipsa, quod dominus ait: quia angusta est porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.

eam. An non ergo plena commiseratione res est, cum Christus tanto sudore cœli iter aperuit, tam paucos inueniri, qui eò incedunt? Agite ergo, ô fratres, solicitè cõsideremus, sedulo hoc cogitemus, vt verã ac rectã viam cœli ingrediamur: hac enim parte multi, licet ascendere velint, aberrãt. Ascendere voluit angelus, sed impiè, atq; iniquo proposito, cùm altissimo similis esse concupisceret: sibique, alioqui soli diuinitati propriã Maiestatẽ vendicare vellet: vnde etiã cœlo pulsus atq; prostratus est. Voluit & homo ascendere, sed aberrauit à semita recta, appetens scientiã, eoq; & ipse lapsus est. Hos ambos cadentes aspeximus nos: dum ille potentiam, hic Dei appetijt scientiam, nihilominus plurima etiamnum mortalium pars eos sequitur: sed veram Christus in cœlum viam docuit, qui vt id posset è cœlis ante in terrã descendit, postea verò super omnes cœlos ascendit. Vis scire quomodo ad cœlos ascenderit Christus? Ascendit in montem excelsum ibi coram Apostolis selectis clarificandus. Ascendit in montem inde populos docturus. Ascendit in montem, vt oraret. Mitis humilẽ ascendit asinam, ascendit Crucem Hinc deniq; ascendit cœlos. Hi ergo itineris cœlestis gradus sunt. Principio futurorum cogitanda est gloria: deinde via discẽda est, qua ad sublimia illa scanditur: tertio vt scandere possimus orãdum est: quarto carnalis quæ vos remoratur cupiditas retrahenda est: Postremo conscensa cruce, mundana ex alto contemnenda omnia, vt cum Paulo dicere liceat: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et horum quidẽ quodq; si suo tempore præstiterimus, tandẽ dubio proculnos quoque ad cœlos ascendemus.

Isa. 4.
Ephe. 4.
Matth. 17
Matth. 5
Ioan. 8. 12
Gala. 6.

QVARTVS SERMO.

NEminem tam rudem diuinarum rerum arbitror, quin propositis, tum Euangelio hoc, tum cæteris Ecclesiæ cantionibus atq; cæremonijs, facilè, quæ huius festiuitatis intentio, possit perspicere: superfluum igitur instituti huius causam videor mihi velle ostendere, maximè cum ipsum nomen (ascensio enim Domini dicitur) satis perspicuè ostendat. Tum verò Euangelicæ lectionis contextus, non vulgarem hanc, sed vsque ad cœlos imò ad dextram Dei fuisse ascensionem, demonstrat

ſtrat. Nullum ergo conuenientius huius ſermonis exordium video, quàm ſi cùm Eccleſia inuitante dixero: Summi triumphum regis proſequamur laude, Qui cœli qui terræ regit ſceptra, inferni iure domito: Qui ſe pro vobis redimẽdis permagnum dedit pretium. huic nomen extat conueniens ydithum. Nam tranſiliuit omnes ſtrenuè montes colliculoſq; Bethel. Saltum de cœlo dedit in virginalem ventrem, inde in pelagus ſeculi, & quæ ſequuntur. Huic etiam ipſi Regi paucos ante dies, quando Reſurrectionis ipſius celebrauimus lætitiam, triumphale carmen cecinimus, victorem eum è conflictu redeuntem lætis conſpeximus oculis, triumphatorem & mortis, & Diaboli, Infernique domitorem ſuſcepimus. Hodiè porrò eidem alium alia de cauſa triumphum celebramus, cùm exultatione cœlos aſcendentem aſpicimus, imò ipſi vt cœli cœleſtiumque omnium Domino congaudemus. Nec primi, nec ſoli hunc illi triumphum celebramus. Nam & Apoſtoli, & inferni iure redempti Patres, ipſique cœleſtes Spiri-
Luc. 24. tus idem fecerunt ante nos. De Apoſtolis legimus, quod poſteaquam aſcendentem Chriſtum vidiſſent, magno cùm gaudio vrbẽ Ieroſolymorum repetierint. De redẽptis Patribus Chriſtus ipſe in Pſalmis loquitur: Currus
Pſal. 67. Dei decẽ millib. multiplex millia lætãtium Dominus in eis in Sinai, in ſancto. Aſcẽdiſti in altũ, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus. Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei, Regis mei, qui eſt in ſancto. Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus, in medio iuuenculorum tympaniſtriarum. Ibi Beniamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu, Principes Iuda, duces eorum, Principes Zabulon, & Principes Nephthalim. Hoc ordine atq; modò redẽpti, Chriſto redemptori ſuo triũphum celebrarunt. De angelis dubium non eſt. Quo-
Luc. 15. modo enim poſſent non gaudere de regis ſui gloria, qui alioqui ſuper vno peccatore pœnitentiã agente lætãtur? Exultauerunt igitur Apoſtoli hodie, de honorificentia Chriſti Domini ſui. Exultauerunt de ſua redemptione Patres. Exultauerunt Angeli de ſuo ex noſtris implendo numero. Et quis eſt quem non delectet his intereſſe gaudijs, vbi angeli pariter atque homines inuicẽ exultantes

con-

concinunt? Sed huius rei maxima in nobis pars sita est. Si enim huic lętitiæ interesse voluerimus, licebit. Quanquam enim adhuc terram incolamus, nec tantum Christi Regis nostri maiestatē hic datur oculis carnis aspicere mente tamen, spe, atq; desiderio in cœlum assurgere, fideiq; oculis licebit quęcunq; in cœlis aguntur cognoscere. An nō tibi ipsum cœlum cōcendisse votis, ibiq́ue Christi gloriā corā vidisse videntur patres, qui tam magnifica, tātaq́; exultatione plena de hac solēnitate scripserunt? Agite ergo & nos eo pias dirigamus mentes. Si enim aliquādo corporibus his, induta immortalitate, cœlos habitare voluptas est, iam nūc illuc præmittamus animos necesse est. Si ingenui Christiani sumus, de Christi gloria, vt: quæ nobis etiam abundantem spem confert, lætabimur. Quo enim celebriorem Christi gloriam consideramus: hoc fortiorem fidem concipimus: & quo ille ascendit sublimius, hoc nos à desperatione recedimus lō gius. Sed hæc Euangelij lectio, Christū non solū vt Deū ascendisse illuc refert, vbi prius erat, verumetiā quod secundum hominem quē assumpsit in se, in cœlos & vsque ad omnipotentem Patris dextram assumptum eum declarat, ita planè vt ipsa ascensio, ipsum omnium creaturarum Dominum esse validissimè conuincat. Iam ante quidem Dominum se eorum, quæ sub cœlo sunt declarauerat, cuius imperio, terra defunctum reddidit Lazarum: mare solidum obambulanti iter præbuit: fugati recessere dæmones, infirmitates abiēre, Infernus deniq́ue deprædatus est. Hoc solū restabat, vt dominū se aēris, Cœli, & angelorum, ac fidei nostræ perfectionem demonstraret: cognoscerentq́ue omnes quia ipse est, cui omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, atque infernorum. Id quod sua hodiè ascensione comprobauit. Et hinc quidem facilè videre est quantum spei Credentibus in hac solenni festiuitate absconditum laceat, cum nihil æquè atque Ascensio Domini potestatem, honorem & diuinitatem ipsius declarat, propterea non possum non fusius aliquid hac de re loqui. Quia verò superioribus annis latè & multum quid huic instituto conuenire videbatur, differui: hic tria tantum considerauda libet proponere. Primo, quid sua Christus ascensione effecerit: secundo, quæ

Marc. 16. Ioan. 6.

Ioan. 11. Matt. 14.

Phil. 2.

quæ facti circunſtantiæ: tertio, quæ veterum de hac refuerit ſententia. Et huic certè conſiderationi vna vix dies ſufficiet. Quod ad primum: multa quidem eius effecta poſſent demonſtrari: vt quod ſummus ſacerdos ſancta ſanctorũ introierit, quod eam quam à principio clari tatẽ habuit apud Patrem, recuperauerit: quod in ſemetipſo naturâ noſtram in cœlos intulerit: quod Dominum ſe omnium declarauerit, quod cœlum aperuerit, quod ſpem nobis atque modum ſe ſequendi cõmunicauerit: idque genus alia, quę omnia nunc omitto, illud proponẽs in medium quod in Paulo Legimus: Aſcendit ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Quid autẽ ſit, Adimplere: quid, Omnia: idem alibi clarius explicat, cùm teſtatur bene placitũ fuiſſe diuinæ voluntati omnia in Chriſto inſtaurare, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt per ipſum. Vtrobiq; inſtauratio erat neceſſaria: In cœlo enim diabolus magnam cladem intulerat, numerum cœleſtium ciuium diminuens, ſéque ipſum cùm innumeris alijs, bonis cœleſtibus ſpoliauerat. Id quod iam inde ab exordio rerum Deus præuiderat, eamque ruinam per filium ſuum inſtaurare propoſuerat, eaque cauſa hominem formauerat. Vnde mox inuidia atq; odio in hominẽ accenſus Satan, ſuo conſilio malè credulum, in peccatũ, mortem, damnationemque præcipitem dedit. Neque tamen hoc ipſo diuinum ille conſilium & propoſitum mutare potuit. Venit enim, quemadmodũ promiſſum erat, filius ille Dei, qui in carnatione, prędicatione, miraculis, paſsione & reſurrectione ſua, principio quæ in terris, hoc eſt, lapſum hominis inſtauauit. Hodiè verò ſelectorum ſuorum caterua comitatus cœlos aſcendit, vt ea quoque quæ in cœlis ſunt, hoc eſt lapſum angelorum, inſtauraret. Quod cùm ita ſit quid miramur ſi hodiè Angeli ſimul atque homines inuicem lætantur? Quicquid enim vtrobique deſtruxit Satan, id totum hodiè inſtauauit Chriſtus: & quomodo ille tum Angelis, tum hominibus cauſa lapſus fuit: ita hic vtrisque cauſa & auctor hodiernę fuit lętitiæ. Ille ex parte cœlos reddiderat vacuos, hic nouis ipſum repleuit Idithum filijs: nec tamẽ cœlum ſolum verum etiam totam Chriſtiani orbis machinam nouis perfudit gaudijs. Duæ enim ab illo tẽpore

Ephe. 4.

pore nobis lætitię causæ adsunt. Primo, quod in Christo naturam nostram super omnia exaltatam cognoscimus. Altera, quod his fratrum nostrorum nonnullos illic perrexisse credimus, firmũ profecto futuræ nostræ emigrationis argumẽtum. Huc iam confer quod in Michæa scriptum est: Ascendit ante eos, iter pandẽs eis. Et quod ipse Christus promisit: Vado parare vobis locum. Et alibi: Vbi cadauer, illuc congregabuntur & aquilæ. Hæc ergo sunt quæ sua Christus ascensione effecit: oĩa eiusmodi, vt nos in qualibet etiam graui aduersitate cõsolari possint atque erigere. Hinc nimirum illud est, quod toties in cœlum leuatis oculis præcamur: Oramus Dñe conditor inclite, deuotos famulos respice protegens, ne nos liuor edax dæmonis obruat, demergat vel in inferos. Et in alio quodam hymno: Iesu nostra redemptio, amor & desiderium. Deus creator omnium, homo in fine temporum. Quæ te vicit clementia, vt ferres nostra crimina, crudelem mortem patiens, vt nos à morte tolleres: Inferni claustra penetrans, tuos captiuos redimẽs, victor triumpho nobili, ad dextram patris residens. Ipsa te cogat pietas, vt mala nostra superes, parcendo & voti compotes nos tuo vultu satias. Tu esto nostrum gaudiũ, qui es futurus præmium: sit nostra in te gloria, per cuncta semper secula, Amẽ. Et hæc quidem prima huius festiuitatis consideratio. Secundo verò, dictorum factorumque Christi cum iam ascendere pararet cogitandæ sunt circunstantiæ: quandoquidem quod gesserit, omne nostri causa gestum est. Non enim humano more otiosum quid egit, sed omnia ad nostrã vtilitatem disposuit. Hinc multis, ijsque maiestate plenis, in recessu suo vsus est. Quorum illud primum est, quod pro incredulitate discipulos arguit, ostendẽs infensius odisse se quàm incredulitatẽ nihil: monens verò vt quomodo possumus, fidem nostrã confirmemus. Secundum est quod ait: Data est mihi potestas in cœlo & in terra: euntes docete oẽs gentes, baptizãtes eos in noĩe patris & filij & spũs sancti: docẽtes eos seruare omnia quæcunq; mãdaui vobis. Quibus verbis primo verbi prædicationẽ, deinde & Sacramentorum administrationẽ discipulis commẽdauit. Illud verò expresiè mandans, vt non solum quod ad fi-

Mich. 2.
Ioan. 14.
Matt. 24.
Ascle. glico.
Iam. dim.
Matth. 28

dei confirmationem pertinet, verum etiam quod ad mãdatorum suorum obedientiam videtur facere, doceant. Hinc tertium subdit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Hoc ergo ipsum Euangelium est, vere letum nuncium. Caue tamen hæc de sterili fide, & externo tantum aquæ lauacro intelligas. Quarto addit: Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. Voluit nimirum signis quibusdam suos orbi innotescere, quæ Apostoli quidem fecerunt corporaliter, à nobis verò fieri conuenit spiritualiter. Primo malos spiritus, qui sunt, peccata eijcere: secundo, nouis linguis, in delictorũ confessione, ac Dei laudibus loqui: tertio, serpentes, hoc est, tacitas atque letiferas Satanæ suggestiones, exanimis tollere: quarto, si mortiferum quid biberimus, hoc est, si labi contigerit, non perseuerabimus, tamen vt noceat: quinto, super ægrotos nostro auxilio indigentes, manus nostras vt prodesse studeamus omnibus, imponemus. Hæc sunt illa, quæ fides in electis operatur signa. Quorum fuisse tibi ipsi relinquitur declaratio. Iã porrò quinto dixit: Ab Ierosolymis ne discederent: sed expectarent promissum patris Spiritum sanctum: quod est, ab Ecclesiæ vnitate, & à Christiana concordia nó deuiarent. Sexto, vt secularibus negotijs liberas mẽtes, spiritui sancto præpararent. Vltimũ est ipsa benedictio, qua sine dubio omnia prospera & fœlicia illis precatus est. Si enim Moses id fecit, quanto magis Christus? Quæ sanè oĩa, vti ascẽdentis seruatoris, redemptoris atq; Regis nostri nouissima verba omnibus diligenti consideratione pensanda sunt. Sed nũc res & ordo postulat, vt facta etiam Christi examinemus: quæ sanè, quid, vt sequi prẽcedentẽ possimus, opus sit facto, docebunt. Principio ergo priusquã ascenderet, descendit, semetipsum humilians. Quo sanè mentis humanæ vehementer arguitur superbia, qui semper ascendere nitimur, nunquam humiliores facti. Deinde, ante ascensionem suam passus est. & hoc ipso impatientia nostra arguitur, qui sine vlla passionis tolerantia arduum cœli fastigium concendere tentamus. Tertio, resurrexit antequam ascenderet: quo arrogantia nostra corripitur, qui mercedem exigimus antea laborem.

Acto. 1.

Num. 6.

Quarto

Quarto, discipulos quos è mundo elegerat, extra Ierosolymorum vrbem eduxit, quo stultia nostra damnatur, qui in mundi huius theatro medio obsolescimus, nihilo minus tamen beatitudinem speramus. Quinto, hos ipsos discipulos suos in montem adduxi secum: quo carnem sapientes affectus nostri reprehenduntur, qui nunquam etiam si appetamus non perire, in sublime animos attóllimus, frustrà acclamante nobis Ecclesia: sursum corda ad Dominum sublata habeamus. Et hæc nunc pari diligentia cogitanda sunt. Sed & hoc audiamus, quid prophetæ de Christi ascensione prædixerint. Quia verò tempus labitur, duos tantummodo ex Psalmis locos proferamus. Sit ergo primus, quod Dauid Propheta ait: Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius. Oculi eius in pauperem respiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum. Dominus interrogat iustum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum. Quoniam iustis Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Alius locus est: Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. Nubes & caligo ante ipsum præcedet & inflammabit in circuitu eius inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & cómota est terra. Montes sicut cæra fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. Annunciauerunt cœli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis. Adorate eum omnes angeli eius, audiuit & lætata est Syon, & exultauerunt filiæ Iudæ, propter Iudicia tua Domine. Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos. Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos. Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Letamini in Domino, confitemini memoriæ sanctificationis eius. Hi duo Psalmorum loci, quid vtrunque hominum genus bonorum & malorũ ex Christi ascensione vel sperare, vel timere habeant declarant abundè. Sed hæc nunc explicare tem-

Psal. 10.

Psal. 96.

pus non est. Pius ergo quisq; vtrunq; Psalmum secum diligentius examinet. Gratia Dei nobiscum, Amen.

QVINTVS SERMO.

Tempus est, vt reuertar ad eum qui me misit: vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.

Tob. 12.

SI anniuersarios Apostolorum Martyrumq; dies, quo quisque vitę huius fabulam piè absoluit, non sine solenni ritu celebramus, quo triumpho hunc præsentē diem frequentabimus, in quo Christus Iesus Dominus noster, Apostolorum atque martyrum omnium caput, peregrinationi suæ finem imposuit? Quæcunq; enim in illis cōsideramus, seu personas, seu peregrinationis facta finemque inspexeris: omnia maiora in Christo sunt, quā vel in Apostolis, vel in vllo sanctorū intelligi
2. Tim. 4 possint. Egregiū sanè est, quod Paulus Apostolus magna fide priusquam vitæ cursum cōsummaret, discipulo suo perscripsit, dicens: Bonum certamen certaui. Longè tamen præstantius est, quod de Christi consummatione
Marc. 16. legimus. Ait enim Marcus: Et Dominus quidem Iesus
Lucę. 24. postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Et Lucas: Factum est, inquit, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.
Actor. 1. Sed & in Actis legimus, quod videntibus Apostolis sit eleuatus, nubesque eum ab oculis intuentium susceperit. An non hic consummatæ peregrinationis pulcherrimus finis est? Nos igitur diligentius, vti æquum est, hoc propositum negotiū perquiramus. Propterea enim Raphaëlis angeli verba in medium adduxi, licet nō noui Euangelij sint, nec ab angelo in Christi persona dicta: inuenimus tamen Christum ijsdem, aut certè maximè similibus verbis locutum esse. Considerantibus igitur nobis hæc ipsa verba, duo præcipuè offerunt, recessum Christi, ac voluntatem eius vltimam. Et hæc nunc consideranda sunt maximè. Quòd ergo ad primum, hoc est, ad recessum eius attinet, tria consideremus. Tempus, modum, atq; locum quo recesit. Principio quādo ascēderit quæris? Non ante iustū tempus, nec post præfinitam horam. Audi dicentem angelum: Tempus est, vt reuertar

reuertar ad eum qui me misit. Simile quid Christus lo- Ioan. 17.
quitur, cum ait: Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Sed vnde intelligi datur horam clarificationi suæ præfinitam aduenisse? Ego, inquit, te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Tunc enim ascendendi & reuertendi tempus est, quando Dei voluntatem atq; opera consummaueris. Inuenias homines, qui licet tempus definitum ac terminus adsit, tamen exuto corpore hoc mortali ac mundi mutabilitate relicta, futurum seculum petere nolint. Videas contrà alios, qui priusquàm voluntatem Dei expleant ascendere nitantur. At Christus opus sibi commissum perfecit, illoque consummato in terris amplius non hæsit. Quo docuit, vt cõpleto in hac peregrinatione Dei opere, nil hic sed sempiternam patriam gemitibus quæramus in cœlis. Ecce tibi iustum ascẽsionis Christi tempus. Iam verò & modũ eius accipe. Tẽpus est, inquit, vt reuertar ad eum qui me misit. Cui nec illud absimile est quod Christus ait: Exiui à patre, & ve- Ioan. 16.
ni in mundum: iterum relinquo mũdum, & vado ad patrem. Et quis exitus illius ad patrem modus? Cùm es- Philip. 2
set in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quo modo autem mundum reliquit, & ad patrem reuersus est? Deus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ, quod est Ibidem.
super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Quomodo Ascensio eius aptissimè regressus dicitur: ac eo ipso quòd regressus dicitur egressum siue descensum cõplectitur. Quomodo enim ascẽdisset, nisi prius descẽdisset? Quomodo regressus esset, si non ante egressus fuisset? Quod enim ascẽdit, inquit Paulus, quid est, nisi quia & Ephe. 4.
descẽdit primùm ad inferiores partes terræ? Et tu igitur qui ascendere petis, prius descẽdas. Deinde Christũ sæpius ascẽdisse legimus, priusquam ad cœlos ascenderet, cùm assumptis Petro & Iacobo & Ioanne in montẽ ex- Matth. 17
celsum Thabor adduxit, ibique ante eos transfiguratus

Matt. 14. est: cum visis turbis ascendit in montem, ac sedens, turbas cœlesti Philosophia erudijt: beatos affirmans pauperes spiritu, quod ipsorum esset regnum cœlorũ: cum frequenter solus ascendit montes vt oraret. Tandem etiam in crucem ascendit: deinde ipsum cœlum. Quid verò his omnibus, nisi verum assurgendi modum iudicauit? Nimirum insipientes per hæc docuit, pusillos traxit, infirmos duxit: qui ipse æquis passibus, nec ad sinistram, nec ad dextram declinans, recta de virtute in virtutem progressus illuc euocauit, vbi Deus Deorum videtur in Syon. Principio enim quod montem clarificãdus conscendit, ad nostram doctrinam factum est, vt & nos cogitationibus nostris ad contemplandam futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, assurgamus. Qui quidem ascensionis nostræ gradus primus est. Sed ô beatum hominem cui hunc montem cõscendere datur. Quid enim in nequam hoc mundo desiderabit, cuius oculi ad bona

Pſal. 83. Pſal. 26. Domini directa sunt atque intenta in terra viuentium? Quid huic difficile in terris, cui hæc firma stat sententia mentis, nõ esse cõdignas huius tẽporis passiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis? In hoc mõte

Rom. 8. Pſal. 26. Dauid assiduus erat, vt cum ait: Tibi domine dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Et: Quàm magna multitudo dulcedinis tuę Do

Pſal. 30. Pſal. 41. mine, quam abscondisti timentibus te. Et: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Hęc recordatus sum & effudi in

Pſal. 54. me animam meam. Et quis dabit mihi pennas sicut columbę, & volabo & requiescam? Et: Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum. Et: Lętatus sum in his quæ

Pſal 83. Pſal. 131. dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Sed quid his testimonijs immoror, cùm vnus Dauid omnes arguat,

Pſal. 4. quicunque hunc montem non ascendimus. Filij hominum, inquit, vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Quid verò prodest scire, quò eundem sit, si viam ignoraueris? Alium igitur montem, vbi Christum iustitię Doctorem audias, ascendas oportet. Quæ autem illo in loco doctrina eius?

Ioan. 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Ecce tibi viam, per quam

quam pergendum est : ipsum nempe Christum Iesum , cui incorporatus sis oportet, si ascendere cœlos animus est . In hoc monte scalam adornauit deinde, cuius summitas cœlos tangit. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum . Beati, Matt. 5.
quid persecutionem patiuntur propter iustitiam , quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ecce tibi secundum gradum, per quem cœlum petitur. Sed nec hunc attigisse satis est , nisi montem qui orationi locus deputatus est, conscendas. Quis enim illa facere, sine diuini brachij auxilio potest ? Duplicem tibi spiritum, cùm Helizæo pe- 4. Reg. 2.
tas necesse est : hoc est, vt conscientiam tuam per peccati remissionem consoletur DEVS , & vt CHRISTVM sequaris , virtutem largiatur . Iam verò , cùm corpus quòd corrumpitur aggrauat animam , & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem : hoc insuper necesse est , vt crucem ascendas, carnemque & concupiscentias eius crucifigas . Et hic quartus gradus est. Quibus sic per ordinem expletis, tandem cùm CHRISTO cœlos licebit ascendere . Sed ô beatum hominem, qui has ascensiones in corde suo dispposuit in valle lachrimarum: verè enim de virtute progredietur in vir- Psal. 83.
tutem, donec videatur Deus deorum in Syon in æuum. Tertio hoc etiam videamus , quo ascenderit. Ad eum, inquit Raphaël , qui me misit. Eadem ipsa verba Christus in Ioanne loquitur. Quæ sanè huius præcipua festi- Ioan. 16.
uitatis pars est, vt expendamus, quo Christo ascenderit. Huic enim rei omnis nostra spes atq; confidentia innititur. Propterea fidei nostræ articulum qui de ascensione Christi est , audi: Ascendit ad cœlos , sedet ad dextram Dei. Iam verò ascensio hæc aliud nihil est, nisi quod constitutus est supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomẽ quòd nominatur. Et quòd potestas ei data sit in cœlo & in terra: no- Ephe. 1.
menq; acceperit, quòd est supra omne nomen, vt in no- Matt. 28.
mine Iesu, omne genu flectatur, cœlestium , terrestrium & infernorũ. Et quòd ipse constitutus sit rex à Deo super Philip. 2
mõtem sanctum eius. Quę omnia in illo verbo compre- Psal. 2.
hensa sunt: Sedet ad dextrã Dei . Hanc verò dignitatẽ & gloriam non sibijpsi propria arrogantia, vt Lucifer, vindicauit.

dicauit. Sed nec ab vllo homine, verum à Deo, ad illud
Psal. 109. rerum fastigium euectus est. Dixit Dominus Domino meo, iniquit Dauid, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedem tuorū. Hæc igitur spes nostra est, quod ille in quem credimus, quem etiam sequimur, tantæ maiestatis atque potentiæ est. Et hæc ipsa in omni periculo, maximè in mortis articulo sine diffidé tia considerare per multum iuuerit? Habes igitur breuissimè comprehensa quæ conuenienti modo hoc die meditari possunt. Sed quid nostrum est facere? Vos autem, inquit Angelus, benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius. Aequissimum & iustum est hæc nos facere: quid enim prætereà possumus? Quid retribuam Domi-
Psal. 115. no, inquit Dauid, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam & nomen Domini inuocabo. Deinde: Annunciate mirabilia eius. Quæ illa mirabilia? Quod clemens nos misericordia & gratia præuenerit, quod ad nos ipse accesserit, quod auxilium virtutemque donauerit: & quod summa illa maiestas pro nostra vita mori voluerit: seruire non abhorruit, vt nos libertate donaret: in hoc exilium cesserit, vt nos in patriam reduces veheret: ad infima humanæ seruitutis obsequia humiliauerit, vt nos super opera manuum suarum constituere t. Hæc, inquam, mirabilia nobis annuncianda sunt, idque iusti Tobiæ exemplo, qui benedicens dominum, dixit:
Tob. 13. Magnus es domine in æternum, & in omnia secula regnum tuum, quoniam tu flagellas, & saluas: deducis ad inferos & reducis: & non est qui effugiat manum tuam. Confitemini Domino filij Israël, & in conspectu Gentiū laudate eum: quoniam ideo disperſit vos inter Gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius & faciatis scire eos, quia nō est alius Deus omnipotens præter eum. Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluabit nos propter misericordiam suam. Aspice ergo quę fecit nobiscum, & cùm timore & tremore cōfitemini illi: regemque seculorum exaltate in operibus vestris. Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi, quoniam ostendit maiestatem suam, ingentem peccatorem. Conuertimini itaque peccatores, & facite iustitiam coram domino, credentes quod faciat vobiscum misericordiam

cordiá ſuam. Ego autem & anima mea in eo lætabimur. Benedicite Domino omnes electi eius, agite dies lætitiæ, & confitemini illi. Ieruſalem ciuitas Dei, caſtigauit te dominus in operibus manuum tuarum. Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum ſæculorum, vt reædificet in te tabernaculum ſuum, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia ſecula ſeculorũ. Luce ſplẽdida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te. Nationis ex longinquo ad te veniẽt, & munera deferẽtes, adorabunt in te Dominũ, & terrã tuam in ſanctificationem habebunt. Nomen enim magnũ inuocabunt in te Maledicti erunt, qui contẽpſerint te, & condemnati erunt omnes qui blaſphemauerint te: & benedicti erũt qui ædificauerint te. Tu autẽ lætaberis in filijs tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur in Dominũ. Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudẽt ſuper pace tua. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ieruſalem ciuitatem ſuam, à cunctis tribulationibus ſuis Dominus Deus noſter. Beatus ero ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndam claritatem Ieruſalem: portę Ieruſalẽ ex ſapphico & ſmaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorũ eius. Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius ſternentur, & per vicos eius alleluia cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, vt ſit regnũ eius in ſecula. Hæc igitur conueniens huic ſolennitati gratiarum actio pericunda piæ menti, de cœleſti Ieruſalem futura patria noſtra, quàm hodie introiuit Chriſtus, meditatio. Quę pro ſe quiſque noſtrùm ſecum latius perpendat. Gratia Dei nobiſcum, Amen.

SERMO SEXTVS.

IN multis quæ ad huius ſolennitatis honorificentiam faciunt, non ſine ratione factum eſt vt tot acclamationibus ad excitandos Chriſtianorum animos, ne quis iucundam Domini aſcenſionem negligat, aut ſpe, quam inde concipere licet, noſmet priuemus, in Eccleſia vtamur. Feſtum nunc celebre, magna gaudia compellunt animos carmina promere, cùm Chriſtus ſolium ſcandit ad arduũ, cœlorum pius arbiter. Et: Summi triumphum Regis proſequamur laude. Qui cœli qui terræ regit ſceptra iuferni iure domito. Qui ſeſe pro nobis redimen-

dis permagnum dedit pretium. His, inquam, hodie ad laudes diuinas excitati sunt credentes. Sed & ex Psal-
Psal. 46. mis acclamatum est nobis: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus terribilis, Rex magnus super omnem terram. Hæ atque his similibus acclamationes oēs eò tendunt, ne quisquam nostrûm iucundam Domini ascensionem negligat somnians. Sed nunc alia requiri excitamenta apud eos, qui superioris Dominicæ lectionem Euangelicam secum expenderunt diligentius, non arbitror. Possunt enim quæ illic ex Christo excepimus.
Ioan. 16. huic iam dudum animos nostros festiuitati præparasse. Exiui, inquit, à patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad patrem. His verbis Christi illic nos Ecclesia in hanc festiuitatem induxit. Quod si, vt æquum est, & conuenit nobis, hæc tum ardenti animo susceptimus, procul dubio nunc flexis omnes genibus, corde, manibusque atq; oculis in cœlum suspensi, Christo capiti nostro membra, Domino seruuli, lætis desideriorum nostrorum vocibus acclamamus: O Rex gloriæ, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum patris in nos spiritum veritatis. Et mox ad patrem conuersi: Concede ô Deus, ô pater omnipotens, vt qui hodierna die vnigenitum tuum redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus: ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus. Hæc sanè omniū nostrûm hodie debebat esse occupatio: cui etiam rei nos totos à superiore Dominica præparasse decebat: hoc nimirum, vere atque piè esset festiuitatem hanc transigere, si hinc terrenarum rerum omnium obliti, illuc mentem, cogitationes, desideria, amorem, spem atque fiduciam eôuerteremus om-
Col. 3. nes, vbi Christus est in dextra Dei sedens. Sic, inquam, hæc nobis celebranda est festiuitas. Si Christus spes no-
Matt. 8. stra est, illic vtiq; cor nostrū erit, vbi thesaurus. Quid ergo in terris homo quæris, cum certus sis quia caput tuū
Matt. 24. in cœlis est? Vbi enim cadauer, illic congregabuntur & aquilæ. Dauid certè nō modo in terris, verumetiā in cœ-
Psal. 72. lo præter Christum querebat nihil. Quid mihi est Domine, inquit, in cœlo à te, aut quid volui super terram?

Tu

Tu Deus cordis mei, & salus mea in æternum. Hæc Dauid veteris testamenti Regis illius atque Prophetę verba sunt. Quid ergo terrena tantum sapimus, obliuiscimur cœlestium? Procul, procul hæc à nobis sint fratres. Hoc ipso enim de Christi ascensione adhuc incredulos nosmet proderemus. Quisquis enim ita totum se dedit terrenis, vt æternorum obliuiscatur, profecto nec credit hic, nos non habere manentem locũ in hoc mundo: nec Heb. 13.
persuasum habet, in cœlis conuersationem nostram habere nos, licet etiam id ore confiteri videatur, factis tamen negat. Philip. 3.
At quid illo miserabilius, qui plenis affectibus, tantum ad tempus vsui suo commodaturis in- Tit. 1.
hærent: quorum contra in æternum beatè frui posset obliuiscitur? Necessario ergo tot acclamationes aures nostras hodie personant, vt excitemur, & sursum suspiciamus. Neque enim parum nostra refert, quod CHRISTVS ascendit. Quod si quis diligenter, quid sit, Christum cœlos ascendisse, secum ruminauerit: profectò non solùm (quòd in Apostolis laudamus) cum animi sui lætitia hinc recedet: verumetiam quæ sursum sunt quærendi incitamẽta penes se per omnem vitam sentiet. Imperare igitur mihi non possum, quin pro captu plebeo plenius hanc festiuitatem pertractem. Enarrata igitur, quam Euangelistæ perscripserunt, Ascensionis historia: ea repetam altius, quæ spirituali gaudio nostro subseruiũt. Principio qui de ascẽsione Christi scripserunt, duo sunt, Marcus & Lucas. Alij duo, Matthæus atque Ioannes tantum Resurrectionem tradiderunt: quam tamen ita suis coloribus depingunt, vt intelligenti ascensionem quoque inde colligere non sit difficile. In Ioanne enim ipsa Resurrectionis suæ die Christus ait: Ascendo ad patrem meum & Ioan. 20.
patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. In Matthæo verò idem ait: Data est mihi omnis potestas Matth. 28
in cœlo & in terra. Et quid sibi vterque vult, nisi quia resurrectio quoque Christi, clarificatio quædam eius fuerit? Atque ideo quidem quieuerunt, finemque scribendi posuerunt. Verùm cum nõ solùm inuisibili quodam modo in resurrectione sua clarificatus est, sed & visibili hoc quadragesimo die coram discipulis cœlos

ascen-

ascendere voluit: nimirum vt fides suorum vtroq; modo confirmatior fieret: ideo & Marcus & Lucas nouissima hæc quoq; testificari atq; posteritati tradere operæ pretium arbitrati sunt. Magis enim quę sub visum, quàm quæ sub auditum solum cadunt, afficiunt. Quemadmodum & Apostoli longè vehementius gauisi sunt, cum semel tantum ascendentem iam Dominum aspicerent, quàm cum toties de clarificatione sua testificantem audirent. Iam Marcus succinctè ascensionis meminit. Dominus Iesus, inquit, postquàm locutus esset eis assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Sed Lucas duobus in locis eam scripsit. Et in Euangelio quidem suo sic ait: Eduxit eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis, & factum est dum benediceret illis recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. In Actis ita scribit: Præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquēs de regno Dei. Et conuescens præcepit eis, ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionē patris. Id quod Epistolæ loco hodie recitatum est. Hæc facti illius præclara historia est, in qua cogitationes nostræ, desideria atq; vota omnia versantur hodie. Ex hoc animarum nostrarum cibum requirentes, omnibus modis cōuenientem inuenimus. Hæc enim fidem nostram confirmat, spem auget, charitatem excitat, conscientias purificat, ignaros docet, pigros extimulat, consolatur mœstos, domat effrenes atq; retrahit. Hæc, inquam, historia præsens, dextrè cōsiderata potest omnia. Quis verò nescit, hæc illa ipsa esse, quorum maximè laboramus penuria. Neque enim quisquam nostrûm est, qui horum vel omnium, vel aliquot, aut certè vno aliquo non egeat. Nunc inimicus noster in fidei lumen suffundit tenebras, nunc pusillanimitas deijcit, nunc conscientia impugnatur, nunc externis plus æquò distrahimur: hunc boni piget, illum malitia iuuat & afficit. Quapropter cogitationes nostras in hac historia exerceamus diligētius, quæ tot modis in omne bonū commodat. Singula igitur ordine discutiamus. Ac principio quidem quomodo fidē nostram hinc, non solum aduersus Iudæos atque Gentes, verumetiam contra ipsum Satanam obfirmare possimus,

Marc. 16.

Lucæ. 24

Acto. 1.

simus, videre est. Iudæi enim atque Centes diuinitatem Christo, quod vti homo natus sit, detrahunt, eoq; fidem nostram incertam esse iniquissime arguunt. Quos cõtrà Satan Deum quidem esse Christum, tot modis eius expertus potentiam atque maiestatem non diffitetur quidem: nihilominus tamen hoc agit, quibuscunque potest modis, nunc vi, nunc dolo, vt nos aut omnino à Christo seducat, aut certe in fidei negotio dubios perturbet: non ignarus nequicquam cunctis cum consilijs tum machinis aduersum nos pugnare, quàm diu petræ huic superædificati insistimus. Portæ inferorum, ait Christus, non Matt. 16.
præualebunt aduersus eam. Sed vnde nobis fidei nostræ, & quod Christus verè Deus sit, fortior demonstratio esse potest, quàm ex ipsa resurrectione atque ascensione? Quis omnium sua se virtute à morte eripuit vnquam, præter vnum Christum? Aut quis aliquãdo propria potentia cœlos sursum ascẽdit, nisi solus Christus? Quid autem ex his colligere possumus, nisi quod ipse Christus, vitæ & mortis, & cœli, omnium deniq; creaturarum sit Dominus, imò cœli terræq; rex? Vnde ostẽditur non hominem ipsum solum, verumetiam Deum esse. Illi enim soli hoc attribuitur, vt sit atque dicatur vniuersorum Dominus, in cuius etiã manu omnia sint. Iam verò ipse hic mundus, potentiam hanc in Christo vidit & cognouit. Audiuit enim eum dicentem leproso: Mundare: & vidit statim mundatum à lepra. Audiuit Matth. 8.
dicentem cæco: Respice: & visum recepisse cæcum co- Lucæ. 18.
gnouit. Et mortuo adolescenti: Tibi dico surge: & recedit qui erat mortuus. Et muto: Epheta, quod est, adape- Lucæ. 7.
rire: & statim solutũ est vinculũ linguæ eius. Imperauit Marc. 7.
ventis & mari: & statim facta est trãquillitas magna. Spi- Matt. 8.
ritibus imperauit immundis, & exierũt: supra mare ambulauit, & ipsum pedibus sanctis iter præbuit firmum. Crucifixo hoc Christo, cõtristabantur oẽs creaturę, iniuriam detestantes Dñi & creatoris sui. Hæc omnia inquam, mundus vidit atq; cognouit. Et hæc quidẽ apertè demonstrant, quia ipse sit Dominus omniũ: Dñs, inquã, morborum omniũ, mortis, Diaboli, terræ, maris, & deniq; elementorũ omniũ. Ad hęc cœlos ipse ascendit, in quo aër, nubes & angeli sua præstiterunt obsequia. Aër

iter

iter ascendenti præbuit, nubes suscepit, veneratur, cœlum ipsum aduenienti vltro sese aperuit. An non igitur per hæc, nubium, cœli, atque angelorum Dominus esse approbatur? Quod si Dominus quæ in cœlo quæque in terra sunt omnium: vtique & Deus est. Si Deus: certè diuinus illi honos debebitur. Et ipsum quidem ab æ-
Ioan.17. terno cum patre æqualem semper habuit. Pater, inquit, venit hora, clarifica filium tuum, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mūdus fieret apud te. Ab æterno, inquam, hunc honorem habuit apud patrem: nunc porrò completo humanæ redemptionis mu-
Ioan.5. nere, hunc sibi apud homines etiam postulat. Propterea & alibi datum sibi omne iudicium à patre affirmat, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Hoc igitur fundamentum, hoc scutum, hic gladius noster est, aduersus Iudæos atque Gentes. Qui si nobis quasi obiecerint: mortuum esse quem adoramus, veneramur, imò & crucifixum esse: nos contra profitentes audient: eundem à morte resurrexisse, cœlosque ascendisse. Hoc modo Christi ascensio fidē nostram contra Iudæos atq; Gentes confirmat. Quod si & Satan ab ea nos vel auertere, vel eam erroribus velit offundere: sit ne in Christum sperandum, posśitue in omnibus nobis omnipotens adesse adiutor: his, inquam, suggestionibus à Satana obortis pius confidenter respō deat: Credo Dominum Iesum à mortuis resurrexisse, cœlosque ascendisse. Id quod firma satis demonstratio mihi est, quod ipse sit Deus, potestatem habens omnium. Hæc te conscio Satan, qui primus id ita esse expertus es, experierisque in posterum durius, quando tuque tuaque turba ad inferiora gehennæ detrudemini. Vide quanta sit ascensionis Christi confirmatio fidei nostræ, aduersus venenata nequissimi tela Diaboli. Et huic quidem rei primum Christi ascensio seruit: nempe confirmat fidem. Hunc articulū de ascensione Christi fortiter apprehendas, & nulla te creatura à fide, quæ est in Christum, auertere, aut tuo illam malo tenebris errorum poterit offundere. Sed & spem nostram ex eodem posse-
Rom.8. mus augmentari. Spe salui facti sumus, teste Paulo. Adhuc in spe versamur, nondum quod expectamus, possidemus.

fidemus. Quæ verò spes illa? Noli timere pusillus grex, inquit Christus: placuit enim patri vestro, dare vobis regnum. Hæc ergo spes nostra est. Quod enim in mundo sperare possimus, perrexiguum est. Nam si in hoc mundo tantum sperantes essemus, miserabiliores essemus omnibus hominibus: non enim nos mundus nouit, quandoquidem ingenui Christiani sumus. Si de mundo fuissetis, inquit Christus, vtique quod suum est mundus diligeret. Nostra autem conuersatio in cœlis est. Quid autem est, quo firmius hanc spem nostram confirmare possemus, quàm consideratio, quomodo Christus caput nostrum iam nunc æterni illius regni ius suo nostroque omnium nomine possideat, quod in ipso natura nostra vsque ad cœlos, imò ad dextram patris sublimata est? Quod si caput nostrum iam cœlos possidet: vtique hoc ipso spes nostra redditur firmior, fore tandem aliquando, vt nos quoque eò pertingamus, quando caput cæteraque alia membra coniungi in vnum necesse est, vbi perfectum corpus dicetur: maximè ipso dicente capite, nos secum vbi ipse sit esse futuros. Quod si natura nostra in CHRISTO ad tanti fastigium honoris peruenit: vtique & nos peruenieмus. Est ergo hæc spes nostra, quod ex consideratione Ascensionis Christi exultantes, cum Iob sancto liceat dicere: Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Et cum Paulo: Scimus quoniam si terrestris domus nostra, huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis. Et cum Petro: Deus regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem IESV CHRISTI ex mortuis, in hæreditatem in corruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatã in cœlis. Et iterũ cum Paulo: Cũ CHRISTVS apparuerit vita nostra, tum & nos apparebimus cum ipso in gloria. Et iterũ: Nos saluatorem expectamus Dominum nostrũ Iesum Christum, qui reformabit

Lucæ. 12.
1. Cor. 15.
Ioan. 15.
Phil. 3.
Ioan. 12. 14. & 17.
Iob. 19.
2. Cor. 5.
1. Pet. 1.
Colloss. 3.
Phil. 3.

formabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Ecce hoc modo spem nostram Christi auget, ascensio. Quid enim sine illa sperare audebimus, aut qua via præter hanc ad cœlos pertingemus? Quid enim homine post peccatum abiectius. Scire vis quæ
Gen. 3. nostra sit natura? Terra es, & in terram reuertêris. Et
Psal. 48. quod Dauid ait: Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis
Isa. 16. factus est illis. Nam & bos cognouit Dominũ suum, & asinus præsepe domini sui, & hirundo tempus aduentus sui: homo autem non cognoscit & intelligit. Vnde Salomon Propheta, formicam nobis imitandum exemplum ponit, quæ in æstate colligit, vnde hyeme viuat: homo futuram hiemẽ prospicit minime. Ne interim quod saxis duriores atque insensibiliores inuenimur sæpenume
Matt. 6. ro. Vnde etiã Michęas Propheta saxa immobilia aduersum homines in testimonium adducit. Audiant, inquit, montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ: quia iudicium Domini cùm populo suo. Hęc ergo nostra natura est. Insuper & irę filij sumus: nihilominus tamen hæc tam abiecta natura nostra hodiè in Christo super omnes cœlos atque angelos exaltata est. Tanta Dei Optimi Maximi est benignitas. Olim ita in hominem ira exardebat, vt indignum iudicaret, qui hanc teram in-
Gene. 6. coleret. Delebo, inquit, hominem à facie terræ. Hodie verò idem Deus Christo, simul nobis in ipso cœlum hæreditatẽ tradidit. Hoc ergo secundum est, in quo Christi ascensio nobis seruit: nimirum vt per eam spem nostram conseruemus atque augeamus. Sed & charitatem & deuotionem seu pietatem hinc excitare possemus. Quis enim, in quantam sublimitatem Deus nos euexit cogitãs, quasi totus in eius amorem non ignescit? Conresuscita-
Ephe. 2. uit nos Christo, inquit Paulus, & conuiuificauit, & con-
1. Cor. 9. sedere fecit in cœlestibus. Quis verò vel omnia pati recusaret, si non terrenam iam & momentaneam, sed cœlestem & æternam coronã propositam cogitauerit. Ecce quomodo eadem Christi ascensio ad charitatem & æquanimitatem extimulat. Sic deinde & conscientias no-
Heb. 9. stras, peccatorum mole pressas consolari posset. Paulus enim aperte testatur, ideo Christum summum sacerdotem

tem in sancta sua non manufacta, sed in ipsum cœlum per semetipsum introijsse, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Vnde exhortante Ioanne: si peccauimus, desperandum ideo nō est, habentes aduocatum apud Deum Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed & pro totius huius mundi. Quid ergo turbida conscientia, quid ipse Satan testificando atque accusando poterit efficere? Christus interpellat pro nobis. Et si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus, in quā, interpellat pro nobis, quis accusabit aduersus electos Dei? Hoc ergo modo Christi ascensio considerata conscientias nostras pacificat, quæ alioqui turbida nunquam non accusat, nisi sublatis sursum oculis in eum aspexerimus, qui pretioso suo sanguine pro nobis satisfecit, cum mortis chirographum quod aduersum nos erat, cruci appēdit. Et hoc tertium. Denique in persecutionibus etiam consolari nos Christi potest ascensio. Ideo enim ascēdit, vt adimpleret omnia. Quando enim adhuc in terris degebat, vnius tantū loci concludebatur angustijs: at claritatem suam ingressus, omnia adimplet, vbique præsens est, in cœlo & in terra, à fine mundi attingens ad finem alterum. Et hoc ipsum est sedere eum à Dei dextris, potestatem habere omnem cum patre æqualem, vbique locorum semperque nosse omnia, in omnibus suis auxilio esse. Id quod Petro carceres, Act. 12. Paulo, peregrinationes. 2. Co. 11. Apostolis reliquis persecutiones. Act. 4. Stephano mortem Act. 7. sufferre fecit constantius: nimirum Christum Regem à dextris Dei videntes, eo quo dictum est modo. Et hac quidem animositate omnes deuorauēre afflictiones. Propter te, inquit Paulus, mortificamur tota die: sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Sit igitur hæc nostra etiam consolatio: scientes, quia Dominus nobis est, omnia sciens, omnia videns, omnium potens, quique compati nostræ possit infirmitati. Et hoc quintum. Sexto, postremum Christi ascensio rectam viam, iustumque modum sursum ascendendi docet: Paulo dicente, Qui descendit ipse est qui ascendit. Neque enim ignoramus,

1. Ioan. 2.

Roma. 8.

Colloss. 2.

Ephe. 4.

Roma. 8.

Ephe. 4.

quid suo Christus descensu effecerit: nempe, patrem
Ioan.17. clarificauit, discipulos docuit atque consolatus est, obediens fuit ad mortem vsque Crucis, & sic à morte resurrexit, cœlos ascendit, suamque gloriam introiuit. Hæc recta cœli semita est: præter quam, qui aliam quærit, aberrat longissimè. Si ergo cœlum appetis, CHRISTI exemplum sequere: primumque descende. Qui enim humiliauerit se, exaltabitur. Deinde Deum obedientia tua clarifica, proximum emenda: & Crucis quẽcunque Deus propinauerit (vt ita dicam) calicem, pa-
Lucæ.18. tienter bibas. Et hæc sexto hinc docemur. Sed frenum nobis injicit in peccatorum via indomitis: quo enim maior Christi potestas, eò commodius contemptores atque hostes suos corripiet. Et huc pertinet quod mox, vbi ascendisset ille, duo angeli secundum eius aduentum in iudicium prædicarunt, ad piorum spem, im-
Acto.1. piorum verò terrorem. Quod si igitur verè Christianus es, studiosiorem te in omni pietatis exercitio exhibebis, cùm eundem Christum reuersurum esse, ac suos in æternum suum regnum susceptorum audis: sin verò & negligis nomine tantum Christianus, est quod timeas, quando iustũ iudicẽ descensurũ aliquando intelligis. Ex quibus omnibus non erit difficilè intelligere, quantum nobis Christi ascensio commodat. Hoc superest, vt quo decet modo hæc cogitemus, atque in nostræ fœlicitatis vsum conuertamus. Alioqui exiguus admodum fructus nobis erit, quocunque etiam externo ritu hanc festiuitatem magnificè colamus. Rectè quidem lætitiam nostram externis quoque signis ac moribus declaramus: sed frustra id omninò, nisi eo ipso interiori homini seruiatur. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SEPTIMVS SERMO.

EVangelium hoc, in quo Christus Iesus priusquam ascenderet, Apostolis suis in vniuersum orbem prædicandi Euangelij munus commisit, historiæ me admonet Eliæ, qui & ipse quodammodo his similia, antequam sursum raperetur fecit: imò cuius illo tempore Elias figura fuit, hic Christus veritatem nobis exhibuit. Vtrobique prædicatores ordinantur.

Elias

Elias quidem Helizæum post se Prophetam, qui testificaretur ac clamaret aduersus Idolatriam Regum Iuda, substituit. 1.Reg.19. CHRISVS Apostolos ordinauit, Euangelij eis prædicationem mandans. Vtrobique ita fieri exigebat necessitas. Elias munus sibi concreditum expleuerat, & vt ad Deum curru raperetur igneo proximum erat: necessum ergo fuit, alium qui vices eius subiret, qui verbi diuini gladio contra idolatriam, ne malum prævaleret, veram fidem vindicaret, constitui. Christus quoque opus suum cum obedientia consummauerat, iam tempus aderat clarificationi definitum. Pater, inquit, venit hora, clarifica filium tuum, Ioan.17. vt filius clarificet te. Oportebat igitur Apostolos designari, qui quod magister cœperat, perficerent: imò quod redemptor toti mundo præstiterat, in omnes fines euulgarent. Ad quid enim Elias per omnem vitam suam in verbi negotio strenuè sudasset, si vnà raptu suo silentium impositum fuisset reliquo operi, nec quisquam in eius subrogatus fuisset locum? Sic etiam, quid Christum pro nobis mortem subijsse, tum gratiam vitamque impetrauisse profuisset, si non & euulgasset, omnique creaturæ prædicari ordinasses? Vtrobique magna illi Dei elucet gratia. Primo, quod nullo vnquam tempore mundum sine prædicatoribus dereliquit, semper verò vel paucos excitauit conseruauitque, quorum opera & ministerio reliquos, quantum in ipso quidem est, ad sui agnitionem ab Abel vsque huc, perduceret. Deinde etiam quod designatis ad hoc opus ministris semper atque abundanter per spiritum suum sanctum, quod ipsorum munus & ministerium requiri videtur, largitus est. Quemadmodum Elias pallium 3.Reg.18. suum misit super Helizæum, in signum venturi super ipsum Spiritus sancti. Sic cùm iam hora esset vt raperetur 4.Reg.2. Elias, quoduis Helizæus postularet iussit, id se antequàm raperetur facturum promittens: petijt ergo ille duplicem Eliæ spiritum. Et certè votis atque promissis eorum respondit euentus. Ab illo ipso enim die tanta Deus in Helizęo operabatur magnalia, vt omnes facilè intelligerent, Eliæ in Helizæum veniisse spiritum. Sic & Paulus Christum cœlos ascendisse, ac

hominibus dona dediſſe clarè teſtatur. Et vt in ſumma dicam, quemadmodum Eliæ Prophetæ, ſurſum in curru igneo per aërea raptus, figura fuit cœlos aſcendentis Chriſti: ita etiam quod ante quam raperetur Helizæũ Prophetã pro ſe ſubrogauit, figura fuit, quod Chriſtus priuſquam aſcenderet cœlos, Euangelij munus eſſet cõmendaturus Apoſtolis. Et quemadmodum, dum raperetur Elias, ſpiritu Dei Helizeus imbuebatur: ita etiam Chriſtus aſcendens Apoſtolis ſpiritum ſanctum promiſit, promiſſumque non longo poſt tempore, plenè, cùm variorum donorum muneribus cœlitus contulit. Et hęc quidem præfari libuit, vt videamus omnia Chriſti myſteria pulchrè olim veteris Teſtamenti adumbrata figuris. Id quod Amos Propheta ait: Non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos. Certè in Chriſto hoc conſideratur liquidiſsimè. Nihil enim eorum, quæ per ipſum operatus eſt Deus, tam minutum, nihil tam exile, quod non & in lege figuris, & in Prophetis prædictũ ac reuelatum ſit vaticinijs. Et qua ratione igitur ingens hoc atque mirandum Aſcenſionis Chriſti facinus, quale hic mundus nunquam vidit, in quo credentium omnis & ſpes & fiducia conſiſtit, antiquis incognitũ latere potuit? Minimè verò hoc concedendum eſt. alia edocti ſumus. Pſalmos enim 29. 46. 96. & 109. ſi legeris, apertè intelliges: ita aſcenſionis Chriſti factum perſcripſiſſe Dauid Prophetam, vt non iam Prophetam, ſed Euangeliſtam, qui coram vidiſſet, diceres. An enim non eſt clarè aſcenſionem Chriſti perſcribere, quod ait: Exalta te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Et iterum: Aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Et iterum: Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ. Et iterum: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorũ. Quis omnes hos Pſalmos alioquerſum, quàm in Chriſtũ ipſum interpretari poteſt? Nã & ipſi Iudæi ad Meſsiam referunt, licet adhuc venturum ſtultè expectant, non videntes hæc omnia partim iam olim impleta eſſe, partim quotidie etiamnum impleri. Exaltatus eſt, cœlos aſcendit in iubilo, regnauit; eoque exultat

Amos. 3.

Pſal. 29.

Pſal. 46.

Pſal. 96.

Pſal. 109.

ultat terra, sedet à dextris Dei, irascantur populi, dũ libet ac licet, ponentur tandem velint nolint, scabellum pedum eius. Cùm igitur manifestum est, antiquis etiam in figura Enoch & Eliæ, imò etiam in arcæ fœderis repositione, Christi ascensionem insinuatam esse adiunctis tot lætitiæ exhortationibus, quibus ad exultandum extimulati sunt: nos verò eundem ascensionis diem reuolutis annis nunc frequentamus: meritò non minori quam illi diligentia, hanc meditamur solennitatem, atque in ipsa pari iocunditate exultamus: maximè quãdo nobis hæc ita sunt gesta, & quomodo natus atque Isai. 9.
datus est nobis Christus, ita etiam pro nobis mortuus est, resurrexit, cœlosque ascendit. Proinde exactius quid de hac festiuitate dicendum mihi est, quo hanc diem maiori cum pietate, tum fructu impendatis. Et principio quidem considerandum est, quod præsens festiuitas duos fidei nostræ articulos proponat, nec minimos, sed præcipuos, & eiusmodi, qui pijs mentibus permultum consolationis afferũt: impijs verò terroris plena sunt. Et Marcus sanè vnum in hodierno Euangelio ponit, cum ait: Assumptus in cœlum, & sedet à dextris Marc. 16.
Dei: alterum verò Lucas in Actuum historia perscribit, dicens: Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlũ, sic Acto. 1.
veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Nos porrò in fidei nostræ confessione hos ipsos duos articulos sic exprimimus: Ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei: Inde vẽturus est iudicare viuos & mortuos. Vtrobiq;, variatis licet nonnihil verbis, idẽ sensus manet. Nam quod Marcus ait, Assumptus est in cœlum: nos sic cõfitemur: Ascendit ad cœlos. Neq; tamẽ vana hęc variatio. Rudibus enim ea inseruitur, qui alias cogitaturi erant, Christũ alieno auxilio assumptũ, vt Eliam, Enoch, Mariam: non autẽ propria potentiæ suæ virtute ascendisse. Propterea ergò simplices edocti sic efferunt: Ascendit ad cœlos. Quo quam clarissimè articulus ille proponitur, ne quã dubitationẽ aut errorẽ cõmisceant. Et quidem nõ infirmiori fundamento hoc insistit, quam quod scriptum est: Assumptus, siue exaltatus est. Id quod in 46. Psalmo, Michææ 2. & ad Ephesios scripta Epistola 4. capitibus, vbi ascendit scriptum legimus.

Tum Christus ipse ait: Vado ad patrem. & expressè: A-
Ioan.14. scendo ad patrem meum, & patrem vestrum. Nemo igi-
& .16.20. tur variatas esse dictiones miretur, nec idem confes-
sionis voces sonare, quod in Marco est. Rudibus hoc
modo inseruitur, ne qua parte aberrent. Sic &, quod
ad verba, in altero articulo variatio quædam est: cùm
Angeli simpliciter ponunt. Sic veniet quemadmodum
vidistis eũ euntem in cœlum. Nos verò clarius loqui-
mur confitentes: Inde (nimirum quo ascendit) ventu-
rus est iudicare viuos & mortuos. Quæ nec ipsa otio-
sa est variatio: nimirum ideo, vt simplicioris ingenij
causam sciant, cur sit venturus: alioqui enim existima-
ri possent, quod veniens denuò oporteat eum nasci,
pati, & prædicare. Contra hunc pugnat hæc fidei con-
fessio: Venturus est iudicare viuos & mortuos. Ecce
ergo hi duo articuli huic festo tanquam basi firmissimæ
insistunt, qui quidem abundè, quod hodie apud nos-
met meditemur, afferunt. Et hic sanè conuenientissi-
mus huius temporis vsus esset, sine quo frustra ad spi-
ritualiter exultandum exhortamur. At vera horum in-
telligentia, exultationem mentis habet comitem. Id ve-
rò ita esse succinctè, & rudium commodo (quibus ne
quidem inculcari satis possunt, quæ ad fidem pertinent)
ostendã. Semper enim nequã ille spiritus diuerticula sua
habet, per quæ seducat. Primò igitur vide quàm hi arti-
culi paucis verbis conprehenduntur, quàm multa verò
1.Petr.3. significent. Vnde verbotenus tantum effari minimè satis
est: reddenda est & ratio eius quæ in nobis est fidei, do-
cente Petro. Neque verò sine causa hæc dico. Nam &
hac parte maximè laboramus. Inuenias enim qui vigin-
ti vel triginta annis (ne quid amplius dicam) Christia-
num nomen confessi sunt, nec tamen norint, quid sit,
quam profitentur, fides: aut cur Christiani dicantur:
& licet verba fidei numerent, non tamen vel exulta-
tionem, vel spem mentis inde concipiunt: imò nec
sentiunt. Id fit ex nimia parentum negligentia in eru-
diendis liberis, quando nonnunquam nec ipsi, ita vt æ-
quum erat, inter fidem & incredulitatem norunt dis-
cernere. Tum etiam multis in partibus Catechismus,
seu puerilis eruditionis sermo intermittitur; Decalogi,
Domi-

Dominicæ orationis, & fidei symboli nulla ferè, quoquo te vertas, mentio. Quin & Parochi & Concionatores nostri ita sapiunt, vt se pudeat etiam communium horum in suggesto meminisse: ficta quadam grauiloquentia turgidi, quisque singulare quid sibi sumit, quod vulgus emunctæ naris aperto ore miretur, omissis maximè serijs. Quò fit vt elapso anno, multos quidē sermones audiuerimus, præcipuorū tamen fidei articulorum maneamus ignari. Quid verò prodesset, si quis tota biblia ad vnguem calleat: nec tamen fides quid sit, quidue requirat, nesciat? Permultum nobis interest vel ignorare, vel nescire fidei articulos. Id quod his duobus manifestum fit. Quid enim hæc vita nostra esset? Quæ nobis spes foret reliqua, si Christū cœlos ascendisse, & quemadmodū Paulus ait, super oēm principatum, potestatē, virtutemq; constitutū esse, nesciremus? Ephe.1. Ioan.14.

Contrà quæ nobis firmior erit in omni aduersitate cōsolatio, imò qua ratione deiectus erit aut pusillanimis, qui hos duos articulos dextrè secū perpendit? Vis ergo dicam quid sit, quod dicimus: Christus ascendit ad cœlos, & sedet à dextris Dei? Nota verba, & quodq; eorū rumina: videbis, quam fides in ijs spem offerat. Quatuor huius verba sunt: Primum ascēdit. quo sanè verbo colligimus, vnum Christum esse, qui & angelos & homines præcellat virtute. Angelus quidē ascendere voluit, Deique similitudinē appetijt: sed frustra. Nō enim ille erat: qui in semetipso excelsior fieri debuit, propterea pro arrogātiæ suę modo ad inferna detrusus, humiliatus est. Isaiæ.14.

Sed & homo persuasus, in vetita nitebatur, quem idem etiam, licet clementior aliquanto, qui & Angelū exitus mox secutus est. Nam cū angelus propria malitia peccaret irrecuperabiliter, & sine omni clemētia cœlo præcipitatus vt fulgur cecidit. Homo deceptus fecit, eoq; citius consecutus est gratiam. Vterq; ergo frustra nitebatur ascendere. At Christus verè potuit dicere: Ascendo. Gene.3. Lucæ.10.

Quî sic? Ecce enim prius descendit. Qui descēdit, inquit Paulus, ipse est qui & ascendit. Deinde non sese in hoc dignitatis fastigium ingessit, aut constituit, cui à patre dictum est: Sede à dextris meis. Tertio excellentius multo, non solum præ hominibus, verumetiam præ an- Ephe.4. Psal.109.

Heb.1. gelis nomen consecutus est. Cui enim angelorum dixit
Psal.2. aliquando : filius meus es tu, ego hodiè genui te. Primũ ergò hoc verbum docet, quod securè Christum sequi possimus. In ipso solo ascendere licet. Tum solus etiam ipse via est, per quam ad patrem accedimus. Quicunque
Ioan.14. præter Christum ascendunt, tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant. De Christo verè dicimus: Ascendit. Il-
Ioan.3. lum, inquit Ioannes, oportet crescere, me autem minui. Non autem hoc solum confitemur quod ascendit, verum etiam addimus: Ad cœlos. Id Paulus explicans ait;
Heb.9. Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redẽptione inuenta. Et: In ipsum cœlũ intrauit Chri
Ibidem. stus, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Et iterum:
Heb.8. Talem habemus Pontificem, qui cõsedit in dextra sedis
Heb.7. magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus. Et iterum: Hic, Christus, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandũ pro nobis. Ecce tibi cœlum ipsum in quod ascẽdit Christus, & causam cur ascendit, & spem quam nos inde concipimus. Hac ratione certificamur, quod habeamus Pontificem sempiternum apud Deum, qui interpellat pro no
Ioan.2. bis: licebitq; cõfidenter dicere: Aduocatũ habemus apud patrẽ, Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autẽ tantum, sed & pro totius huius mundi. Non, vt eo grauius peccemus, sed ne si quando peccauerimus, non desperemus. Tertium huius articuli verbum est. Sedet. Non corporalis sessio aliqua consideranda est, quasi in cœlo sella ad patris dextram posita, sedeat: Vtimur enim hoc vocabulo nonnunquã pro pacis significatione, pro quiete & requie. Vt
Mich.4. in propheta videre est, qui ait: Sedebit vir subtus vineã suam, & subtus ficum suam. Hoc modo Christus à dextris Dei sedet, quietus: dum opus quod dederat pater consummauit: nec est necesse, quotidie huc descendere ad ineundum bellum cum morte & Satana. Vnica hæc omnia oblatione consummauit. Sed & securus nunc ab inimicis & hostibus suis, qui licet viuant, nil tamen incõ
Ioan.16. modare possunt. Princeps huius mundi iam iudicatus est, &c

est,& mors illi vltra nos dominabitur. Et hic iam sensus dictionis Sedet,est primus. Vtimur autẽ eadem dictione pro eo,quod est,iudicare,regere. Qua significatione Isaias vsus est,cùm de Christo dixit: Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit. Et Angelus: Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternũ. Hoc modo Christus tanquam Rex atque iudex sedet. Ego(in Psalmis ipse loquitur)constitutus sum rex à Deo super mõtem sanctum eius. Et in Ioanne: Pater,inquit,non iudicat quenquam,sed omne iudicium dedit filio. Vndè in Apocalypsi sua Ioannes talẽ eum vidit, qui insidens albo equo,in capite habebat diademata multa,in cuius femore scriptũ erat: Rex regum & dominus dominantiũ. Et hãc tertio spem nobis confert,quod eũ sedere confitemur. Id quod apertius fit ex eo,quod dicimus: sedet ad dextram Dei: nec id sine causa additũ est. Confitendum est Christum,nec sublimius Deo,nec illo humilius,nec à sinistra,sed dextra,hoc est plena diuinæ potẽtiæ æqualitate sedere. Propterea hęc omnia articulo illo cõprehensa sunt. Primõ,quòd propria Christus potẽtia cœlos penetrauit. Secundo, quòd ascensio eius nihil aliud est,quã potestatẽ accepisse omniũ. Tertio,quòd hanc ob causam in cœlos ascendit,vt adimpleret omnia. Quãdiu enim hic in terris cõmoratus est,vno tantũ in loco visus est: vbi verò in deitatis omnipotentiã constitutus est, vbiq; adesse potis est. Quarto & hoc docemur, quòd ipse interpellat, pro nobis in cœlis. Postremo, quod & nobis cœli ianuã aperuit,locumq; in eo parauerit sempiternũ. Et quid prętereà vel desiderare possem⁹? Si Christus cœlos ascẽdit,nõ hominẽ eũ solum, verum etiam Deum esse, certum est: & nec sibi soli, sed nobis quoque cœlum reserauit. Si ergo & cœli & terræ potestas illi data est,nec nequã ille spiritus,nec hic mũdus timẽdus est. Virtus enim illi aduersus vtrũq; est. Si iudex noster est:dũ in ipsum credimus, nõ est quod dãnationẽ timeamus. Dicit enim: Deus filiũ suũ misit in mundũ,nõ vt iudicet mundũ,sed vt mũdus saluetur per ipsum. Et: Qui credit in filiũ,in iudicium nõ veniet. Si & aduocatus & mediator noster est: peccatis quoque nostris medebitur, ne propterea desperandũ sit. Hæc ergò aduersita-

Isa. 9. Luc. 1. Psal. 2. Ioan. 5. Apoc. 9. Ephe. 4. Matth. 28 Ioan. 3.

tibus preſſus cogita: ſine dubio abunda ſatis tibi ſuppedi tabitur conſolatio. Age verò operam des referre grates, firmaq; illi adhærens fide, ab eo amplius nō deuies. Miſeriam noſtram ſine hoc ſeruatore tam potente, cogita. Inuoca eum in die tribulationis tuę: quod poſsit, velitq; adiutor eſſe, ne dubites. Manentē tibi locum, niſi vbi caput, cuius tu mēbrum es, fuerit, nō eſſe perpēde. Vbi in ſempiternū tibi manendū eſt, illuc mentē tuam cogitationesq; erige. Sed & vita fac his reſpōdeat. Quare vitā moresq; tuos ſic inſtrue, vt cum Chriſto in regnū eius conſcēdas & in ęternū in eo permaneas. Hoc ſanè & cōfiteri & credere eſt, quòd Chriſtus ad cœlos aſcendit, ſedetq; ad dextrā Dei. Et hic prim⁹ ille articulus eſt. Poſt hęc & alterū fidei noſtræ articulū examina: qui (quēadmodum angeli dixerunt) reuerſurū eū, nec reuerſurū modò verū etiam viuos mortuosq; iudicaturum eſſe, habet: & quidem eum ipſum iudicem venturum qui olim in terris, perinde atque omnium ſceleratiſsimus malefactor, ab hominibus ad crucis ignominiam adiudicatus & condēnatus eſt. Et hic mihi admirādam viciſsitudinem vide. Vidimus eū, inquit Iſaias, & nō erat aſpectus eius, & deſiderauimus eū deſpectum & nouiſsimū viuorum. Quid verò Chriſtus contrà, etiā in humilitate, reſpōdit? Videbitis filiū hominis ſedentem à dextris Dei, & venientem in nubibus cœli. Si non eſſet hic malè factor, tibi nō tradidiſſemus eum clamitant Iudæi. At nunc Deus ſolum innocentiam eius vindicauit, verùm etiam conſtituit eum iudicem viuorum & mortuorum, deditque illi gloriam honoremq; ſummū. Exulta igitur quandocunq; innocentē te mundus perſequitur. Tranſeuntia eſſe, & quā ſufferes ignominiam ſempiterno gaudio ſeruire, cogita. Vēturus eſt, fides ait. Vnde verò? E cœlo à dextris Dei, cui nunc aſsidet, æqualiq; potentia iudicat: ita planè, vt iam nunc ipſi omnia tradita ſint in manus. Quanquam nondum appareat ei ſubiecta eſſe omnia. Nam nunc etiā multi repugnant ipſi: ſed conniuet ac tacet, extremumque impingere permittit. Sed quòd in Pſalmis loquitur? Cū accepero, inquit, tēpus: ego iuſtitias iudicabo. Et: Mihi vindictā & ego retribuam in tēpore ſuo. Ignis ſuccēſsus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.

Heb. 13.
Iſai. 53.
Matth. 26
Acto. 10.
Matt. 11.
1. Cor. 15.
Pſal. 74.
Deut. 32.

sima. Nobis quidem differre Deus iusto lõgius videtur. Vnde & pij sæpe conqueri consueuerunt. Vt Dauid: Exurge, inquit, Domine, quare obdormis, & obliuiscéris tribulationis nostrę. Et Abacuc: Quare nõ respicis super iniqua agentes: & taces, deuorante impio iustiorem se? Sed nouit Dominus tempus suum. Veniens veniet. Id ergo non solum Prophetæ, verumetiam Apostoli hominibus inculcarũt assiduè. Si tardauerit Dominus, expecta illum. Nihil enim est formidabilius impijs, nihil pijs suauius. Hic enim, de quo loquimur, Christi aduẽtus priorum quidem certa redemptio, impiorum verò ineuitabilis erit damnatio. Veniet iudicare viuos & mortuos, Iustitias iudicabit, Iustitiæ exequetur sentẽtiam. Quid verò hæc iustitia? Reddere nimirum vnicuique quod suũ est. Cuius verò bona vera omnia sunt, nisi filiorum Dei? Quis verò mala omnia sustinebit, nisi impij? At in mundo videre persæpe est cõtrarium, cùm impij vndequaq; fœliciss imi, pij verò aduersis concutiuntur vbique. Sed quid fides dictat? Christus vẽturus est iudicare. Iudiciũ domino cum habitatoribus terrę. Et in Malachia ipse Dominus: Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis & adulteris & periuris, & qui calumniantur mercedẽ mercenarij. Et ipse Christus: filius hominis vẽturus est in gloria patris sui, cum angelis suis, & tũc reddet vnicuique secundum opera sua. Et Paulus: Ira, & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis facientis mala. Veniet iudicare, & in hominibus cõculcatã violatãq; iustitiã conseruare. Veniet vindicare, non solum sibi verumetiam suis illatã ignominiam vt in Isaia est: Ecce, inquit, scriptum est coram me: Nõ tacebo, sed reddã & retribuam in sinu eorũ iniquitates vestras. Hinc deinde sequetur quod Dauid ait: Lætabitur iustus cùm viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Et iterum: Videbunt iusti & timebunt, & super eum (impium) ridebunt & dicent: Ecce homo qui non posuit Deũ adiutorium suum, sed sperauit in thesauris pecuniæ. Venturus est iudicare viuos & mortuos, id est, omnes homines. Non erit eis fuga, inquit Amos, nec abscondẽtur motui in sepulchris suis. Iudicium generale erit vniuersorum, nõ a liquorum humano more.

Pſal. 43.
Abac. 1.
2. Pet. 3.
Oſe. 4.
Malac. 3.
Matt. 16.
Roma. 2.
Iſa. 59.
Iſai. 65.
Pſal. 59.
Pſal. 51.

Ecce

Ecce hæc sunt, quæ de secundo aduentu Christi credimus atque confitemur. Quisque ergò ingenuè Christianus lætabitur, cum aliquando ærumnarum laboriosæ huius vitæ finem venturum intelligit. Deinde & diligentius pietati studebit, quãdo certam cũ futuro iudice Christo remunerationẽ expectat. Tertio semetipsum diiudicabit, cùm Christũ viuorũ mortuorumq; iudicẽ ac vindicẽ intelligit. Quarto neminẽ etiã lędet, cùm ipsum Deũ hũc iudicem esse cogitat. Quinto semet ad rationẽ reddendam præparabit, ignarus qua hora iudex venturus sit. Postremo & gratiam à Deo precabitur, qua duce sic viuat, vt secundum aduentum non timeat. Et hoc quidem, hunc alterum quoq; articulũ esset considerasse. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO OCTAVVS.

Super verbis angelorum.

NOn video quomodo hunc sermonem exordiar aptius, nisi verbis qui sunt hodierni sacri introitus, quibus & angeli illi duo Apostolos in cœlum, quo Dñs iamiam recesserat, aspicientes allocuti sunt: Viri, inquiunt, Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Hæc illa angelorum cœlestium verba sunt: hæc prima post ascensionem Domini in terris facta cõcio. Nec sine peculiari dispositione Dei factum est, vt hæc præsens festiuitas primos suæ solennitatis, non homines sed angelos haberet prædicatores & interpretes. Imò quis hæc decentius, quàm ipsi angeli primum annunciaret, quãdo & primi dominicæ Resurrectionis prædicatores fuere angeli? & quis de vtroque propriè magis loqueretur? Quid de ingentibus illis & humanum captum excedentibus Dei mirabilibus dixisse potuerunt homines? nempe quæ tum eorum adhuc erat conditio. Vtrobique sanè non multis verborum inuolucris rem totam denunciãt angeli: sed tamen illud omne complexi sunt, quicquid postea dicere hac de re potuerunt Apostoli. Id verò ita esse, & angelorum & Apostolorum de vtroq;, cum Resurrectione tum Ascensione conferamus testimonia. Et quidem de resurrectione, ipso quo Dominus resurre-

Acto. 1.

xerat

xerat diluculo prædicauit Angelus: Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, nō est hic. Ecce locus vbi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Hic angelorum illo die sermo erat: breuis admodū si verba respicias, sed si quis perlustrauerit, quę Apostoli deinde, eorumq; successores hinc conceperunt, & explicuerunt: videbit firmam illam & plenam de omnibus ijs, quæ conuenienter hoc festo dici possunt, fuisse sermonem. Ac primo quidem facile dictu est, Nolite expauescere. Quantam vero bonorum copiam Paulus hinc concepit, atque explicuit? Si Deus, inquit, pro nobis, quis contra nos? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dextrā Dei qui etiam interpellat pro nobis. Quis accusabit aduersus electos Dei? Imò etiam proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis ergò separabit nos à charitate Dei? Certus sum, quia neque mors neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neq; profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quę est in Christo Iesu Domino nostro. Ecce omnia hæc breuibus illis complexa sunt: Nolite expauescere. Secundo & hoc sine difficultate dici potest: Surrexit, non est hic. Et Paulus sanè hæc iusto sermone explicuit, orans in obsecrationibus suis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi det omnibus credentibus spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis, vt sciant quæ sit supereminens magnitudo virtutis, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis: & constituens ad dextram suam in cœlestibus supra omnē principatum & potestatem. Imò quod Deus qui diues est in misericordia, nos quoq; conresuscitauit, & conuiuificabit cum Christo, & consedere fecit in cœlestibus. Ecce & hic, quæ Paulus ex illo angelico dicto concepit: Surrexit. Sic tertium quod dixit Angelus, simplex dictu sermo est, cum in Galilæam ire iubet, ibique videndū esse

Marc. 16.

Roma. 8

Ephes. 1.

Ephe. 2.

Christum

Christū prēnunciat. Quāta verò cum iucōditate veteres Ecclesiæ doctores, imò ipsi Apostoli, hāc Galilæā, spiritualē transmigrationē interpretati sunt? Sufficiat vel vnū Colos. 3. Paulum audiuisse? Si cùm Christo, inquit, resurrexistis, quę sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextra Dei Roma. 6. sedens. Et iterū. Cōsepulti enim sumus cū illo per baptismū in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriā patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et his similia per totū hoc caput scribit. Hoc ergo est in Galileam ire, vbi Dominus videtur. Quandiu antiquum obtinemus, Christū videre non possumus: quod surrexit nihil nobis cōmodat, nisi extra nosmet exieri-mus, inq; nouitatē vitæ transcenderimus. Et hæc quidē ideo fusius indicare volui exēpli loco: vt videamus breui hoc sermone ad mulieres facto, omnibus prędicatoribus formā quomodo de Christi Resurrectione loquendū sit, prescripsisse Angelū. Cùm autem & in Ascēsione primum omniū sermonē fecerunt: nemo quin, hoc ipso etiā modū ostenderint, quid de hoc quoque articulo dicendū sit, ambigat. Qua ratione & ego hunc Angelorū verbis exorsus sum sermonē, atq; de ijsdem, reliquū sermonis loquetur latius: ratus nimirū, nihil nobis sani sermonis defuisse, si hæc tantū Angelorum verba præsenti lętitię seruientia didicissemus. Atqui ideo huc cōgregati conuenimus, vt hunc honoris Christi triumphū celebremus, imò ipsum triumphatorem prędicemus, magnificemus & vbiq; locorū euulgemus, id quod ipsi hodie inuicem exhortati sumus. Ideo, inquam, huc modo conuenimus, atq; ideo cum Apostolis cœlos aspicimus: admirantes nouum illud, & omnibus seculis inauditum facinus, cū Christo imò in nobisipsis exultātes gratulātes, promissā consolationē expectamus. Et quid restat pręter Angelorū prędicationē? Et hāc certè si rectè intelligeremus, de nobis idē dici posset, quod Lucas de Apostolis Acto. 1. testatur, cū ait: Tūc reuersi sunt Ierosolymā à mōte qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalē, sabbati habēs iter, & manebant perseuerantes vnanimiter in oratione. Hoc Apostoli audito Angelorū sermone fecerūt & sanè illud ipsum prēstare, ascensionē Domini est celebrare. Quod si de nobis idē dici debet, vt æquū est: Angelicus sermo

prius

prius audiendus ille est. Eũ ipsum ergo, quãlicet cõpendiosẽ explicemus, vt quilibet deinde ijs cõsentanea meditetur secũ. Principio igitur nemo miretur, nec superfluum quid arbitretur, non solũ Apostolos atq; Euãgelistas cũ ore tùm scriptis Ascensionẽ Christi toti Christiano orbi prædicauisse, verumetiã angelos, cœlestes illos spiritus, hoibus eam annũciasse, idq; primũ omniũ: nec minus quã cęteri hominũ in resurgẽtis atq; ascendẽtis triumpho gauisos. Ratio enim, caq; nõ vulgaris, subest, cur hoc & fieret, & literis posteritati cõmendaretur. Quare enim pro Regis sui clarificatione Angeli nõ exultarent? An nõ scriptura testatur: Et adorabunt eũ oẽs angeli Dei? Et hoc Paul⁹ de Christo interpretatur manifestissimè, quẽ tanto angelis meliorẽ effectum ostendit, quanto differẽtius præ illis nomẽ hæreditauit. Cũ ergo vt hominũ ita & angelorum Dñs est, cur non & hi in eius honore gauderent, quemadmodũ & illi? Cur non & hominũ, hoc est nostræ saluti congratularentur, scientes quod ex nobis ipsorũ ruinæ implendę sunt, & quod vnà secum fœlicitatis æternæ participes erimus? Quin & ipsorum res agitur. Quanquã enim Paulus testetur, Christum nusquam angelos, sed semen Abrahæ apprehendisse: tamen & angeli illius participes sunt gaudij, quod nobis in Christo seruatore nostro contigit. Primo enim omnis creaturæ aliquid habet homo. Habet nanq; commune Esse cũ lapidibus, viuere cũ arboribus, sentire cũ animalibus, intelligere cum angelis. Quando ergo filius Dei humanam in se naturã assumpsit, factus homo, vtiq; & angeli habent cur lætentur & gaudeant, quod ille qui supra illos creator est, cũ ipsis imo & inferior factus est: humiliauit enim se longe ab angelis. Deinde sit licet ex quatuor elementis homo cõpactus, secundũ quod corporeus est, secundũ animã tamen perinde atq; angeli rationalis atq; immortalis est, eademq; hoĩs (secundũ animã) & Dei differentia est, quę alioqui inter angelicã atq; diuinam naturã traditur: nimirũ Deus ipse creator solus est. Angeli atq; hoĩm pars melior, aiæ inquam, creaturæ sunt. Tãta ergo naturę vicinitate nobis cõiunctos, nobiscũ exultare, adeoq; primũ mortalibus immortalis Christi ascensionẽ declarasse mirum est? Cæterũ nec hoc ratione

Psal. 96. Hebr. 1. Hebr. 2. Psal. 8. Cũ iudicio legenda hæc.

tione caret, quod albis amicti vestibus apparuerunt. Neque enim quicquam præter gaudium iste color significat. Quanquam & alio quodam modo iste candor decebat Angelos. Non enim vel peccato, vel impotentiæ, vel etiam morti subiecti sunt. Vnde munda omnia, lucida, claraq;, & pura circa illos sunt. Secus nostra fert conditio. Quandiu enim hic reptamus, non licet tam candidis amiciri vestibus, vt qui in sentina peccatorum medij, infirmitatibus ac morte sumus obnoxij: spe tãtum & promissione futurum credẽtes, vt ipsi quoque candido amictu præfinito tempore sequamur Christum: id quod fiet, Apoc. 2. cùm hic stolas nostras in agni sanguine lauantes, ipsum cruce quisq; sua in humeros assumpta secuti fuerimus. Verùm id hic narrare tẽpus non est. Angelorum potius responsa discutiamus, quorũ causa isthæc præfatus sum, in quibus & summa suscepti versatur negotij. Et ipsa quidem quadripartiri licebit. Primum quod referũt, est: Viri Galilæi. Hoc nomine Apostolos dignantur Angeli. Nec hic illis tẽporibus honoris titulus habebatur mundo, ac honorificentius licuisset compellasse, cum hac ipsa appellatione mundo essent ludibrio. A Nazareth, Galilæ Ioan. 1. ciuitate, potest aliquid boni esse, quærit Nathanael. Ioan. 7. Sic & Nicodemo obijciebãt quasi ignominiosum? Nũquid & tu Galilæus es. Hos deinde & alij sequuti sunt, anteq; omnes perfidus Iulianus Apostata, qui Christũ, quem sceleratè negauerat tyrannus, ignominiæ causa, Galilæum appellabat. Ne ergò hoc quasi ignominioso nomine quis scandalizetur, etiam Angeli Apostolos cõpellant Galilæos, perinde ac si diceret: Mundus quidem hoc opprobrio vobis fert nomen, sed ne propterea pusillanimes efficiamini, nolite erubescere: ecce enim Iesus ille, qui & ipse hac causa Galilæus nuncupatus est, videntibus vobis sursum cœlos ascendit. Si huic ignominiosa hæc (vt impij iudicant) compellatio nihil obfuit: nec vobis incommodabit. Nihil interest, siue Iudæa siue Galilæa, India, vel Aetiopia, Roma, an Ierosolyma oriundi sitis. Non illi generis nobilitas in terris necessaria est, cui cœlum vltrò apertum est. Sinite ergò suo mundum more loqui: dum vult conuitijs impetat, exprobret, rideat: hęc vestris spes firma inhęreat animis,

mis,quod Iesus ,à quo nomẽ ducitis,in cœlis sedens viuit,& super omnia regnat.Ecce hæc prima quoq; cõpellatione sua nos docẽt Angeli.Addũt preterea: Quid statis aspicientes in cœlũ? Quę & ipsa permulta in se cõprehẽdunt.Primo sic explicari possunt : Quid státes hoc factũ admiramini ? An non futurũ hoc prædixit ? Visuros vos filiũ hominis ascendentẽ vbi erat prius: An nõ & in cœna sæpius repetitis verbis dixit: Quia vado ad patrẽ? An non & resurrectionis suę tempore dixit Magdalenę: Ascendo ad patrẽ meũ,& patrem vestrum ? Nunquid & alia in ipso consideraſtis diuinitatis suæ opera:multa illa & magna miracula? Nũquid ipsi vos filium eũ Dei viui confessi estis? Deniq; nũquid patris Dei de eo testimoniũ audiuistis? Hic est filiꝰ meus dilectus ? Quod si homo ille tãtùm,esset hoc quod vidistis dignũ admiratione omniũ.At quid Deus , quid admiramini hęc vos vidisse in Deo? Deinde: Quid admiramini aspicientes in cœlũ? Rectè quidẽ cœlos suspicitis , nimirũ verã patriã vestrã: hactenus nunquã est auditũ , hominẽ propria virtute ascendisse cœlos.Iacob quidem angelos non homines ascendẽtes descendẽtes vidit,Tum etiã Enoch raptus legitur , sed quò vectus adhuc propriè ignoratur . Sed & Eliã raptũ legimus. Verũ vt id faceret,igneo vsus est curru. Quanquam nec ipse in cœlos sed in aëra aut quemcunq; à Deo in hoc præparatũ locũ assumptus est. Nemo enim ante Christũ ascendit.Nemo,inquit, ascendit in cœlũ,nisi qui descendit de cœlo . Hic viã prępararuit, & vt in summa dicã,vsq; ad illud tẽpus nulli patebat cœli aditus.At nũc reseratũ illud esse hoibus quis miratur? Si descẽdere potuit filius Dei,et ascẽdere cum ipso poterũt hoies.Quemadmodũ enim impossibile atq; incredibile videbatur prioribus seculis vllum posse cœlos ascẽdere hominem : ita etiam Dei filiũ descẽdere fuerat incredibile.Sed hoc factũ esse nemo dubitat: & illud ergo fieri potest,Quid admiramini.Tertio,nõ Prophetas,qui hanc ascensionem prædixẽre legistis? Quid ergo admiramini? Admirentur,qui Prophetas ignorãt,Gẽtes.Admirentur qui Prophetis fidẽ denegant, Iudæi.Vos qui hęc nouistis & creditis dedecet isthæc admiratio: decet verò exultatio, & gratiarũ actio; imò verò manibus plau-

Ioan. 6.
Ioan.14.
Ioan.20.
Matt. 16.
Matth.17
Gene.26.
Gen.5.
4.Reg.2.
Ioan. 3.
Psal.109.

Psal.46. dite, vt Psalmista monet: Quia magnus & excelsus Dominus, Rex magnus super omnē terram. Quarto, Quid vltrà quæritis, quid vultis? An nō ad confirmandā eam, quæ in vobis est, fidem, hæc ita vidisse sufficit? Quod firmius signum quæritis? Iam ante se Dominum terræ, maris, ventorumq; demonstrauit: nūc quod vidistis, seipsum & cœli aërisq; ostendit Dominum. Quid ergo statis? Quid admiramini? Non nunc standum, non hæsitandum est, sed indubitatò credendū est, Christo sequēdum est vtut hic mundus obganniat. Tertio deinde subiungunt Angeli: Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum. Ecce, hæc tandem verè huic festiuitati conueniunt. Hic ipse qui ascēdit, designatur. Hic Iesus, inquiunt. Et hæc quod subdit, ascēsio ipsa est: Assumptus est. Et quid est, Hic Iesus, non alius? Qui descendit, ipse est qui & ascendit. Cum esset in forma Dei non rapinā arbitratus est esse se æqualem Deo, sed formam serui accipiens in similitudinem hominum factus est, &c. Quomodo ascendit? Deus exaltauit illum, & dedit illi nomē quod est super omne nomen. Hic ergo Iesus, non alius. Atq; hæc tibi signa quicunq; Christum profiteris. Hic ille lapis quem reprobauerunt ædificantes, qui & in caput factus est anguli. Hic est, quem constituit Deus iudicem viuorum atq; mortuorum. Huic testimoniū perhibent omnes Prophetæ, remissionē peccatorum accipere per nomen eius quotquot credunt in eum. Hęc ergo tertiò annunciant Angeli. Postremo & reuersurum prædicant: id quod aptè & necessario additū est. Ipsum enim factum hoc ornat, veramq; consolationem affert. Alioqui enim recessisse eum omninò relictis nobis cogitassemus. Minimè, inquiunt: Iterum veniet. Ad quid verò veniet? Audi ipsum qui veniet: Iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum & vos sitis. Hoc enim illud est, quod passione sua nobis meruit: Pater, ait, volo, vt vbi ego sum, illic & ipsi sint quos dedisti mihi. Hęc ergo toti mūdo prædixerunt & annunciauerunt angeli, ne quis impatienter ferat, sed cū magna fiducia hæc futura speret & expectet. Quin etiā impios hoc dicto terruerunt. Nam & his Christus nō seruator, sed arbiter veniet. Quibus signatè dicitur: Sic veniet.

Actō.1.

Ephe.4.
Philip.2.

Actō.10.

Ioan.14.

Ioan.17.

Tunc

Tunc enim implebitur quod Isaias propheta dixit: Domine, exaltetur manus tua vt non videant: nimirum diuinitatem tuam, siue claritatem. Nó enim videbunt diuinitatem Dei, alioqui & ipsi salui essent (Videre enim Deum, ipsa est beatitudo, & vita æterna) sed humanitatem tantummodò filij hominis, quam contempserunt, deriserunt, crucifixerunt, & occiderunt: hanc, inquam, solam videbunt. Propterea addit: Videant & confundãtur. Quid verò confusionem eam sequetur mox subiũgit: Ignis hostes tuos deuoret. Si enim iustus vix saluabitur, aut si angeli Euangelij præcones timebunt cùm subleuabitur Behemoth Diabolus, qui ita factus est vt nullum timeat, qui & Rex super filios impietatis, vidẽtibus cunctis præcipitabitur, impij & peccatores vbi cõparebunt? Ecce hoc impijs annunciauerũt angeli. Et huc pertinet, quod Dauid ait: Ascendit Dominus in iubilo; nimirum propter pios, & Dominus in voce tubæ, propter impios, quibus mox iudicij nouissimi sententia in sempiternam damnationẽ denunciabitur. Quisquis ergo es piè atq; ingenuè Christianus, his temet consolare verbis in quacunq; tandem laboras aduersitate. dic intra temetipsum: En Dominus meus & saluator Christus oculos quidẽ meos ascendens effugit, ne nunc videam: at reuertetur idẽ ad me scio, & accipiens me ad seipsum liberabit me. Contrà quisquis in ipsum deliquisti, serio hæc tibi dicta puta: Sic veniet. Tacet quidem nunc, sed nunquid in æternum silebit? Vt agnus passus est, nihilominus vt Leo à Ioanne visus est. Postremo hæc ipsa verba vnicuique nostrũm incitamenta sint, ad perstandum studiosius pro sua quemque vocatione, intelligentes nimirum reuersurum Christum: vigilandum est, vt digni vocatione nostra inueniamur: cogitandum est, qua ratione calculus accepti ac dati duci possit: an possumus cũ decem millibus occurrere ei, qui cum viginti milibus venit ad nos. Ecce hæc illa Angelorum de hac solennitate prædicatio prima est. Equidem omnibus posse satisfacere eam arbitror, si nobiscum ea de re libet tractare fusius. Gratia Dei nobiscum, Amen.

Isa. 26. Ioan. 17. 1. Petr. 4. Iob. 41. &. 40. Psal. 46. Isa. 42. Apoc. 5. Luc. 14.

SERMO NONVS.

VNicum atq; adeò minutum in hoc Euangelio, & ipsum in fine est verbum, quo causa & origo huius tantę solēnitatis innuitur: Dominus Iesus, ait Marcus Euangelista, postquā locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Hoc, inquā, verbo causa docetur, quur hunc diem solennē agimus. Præclarū sanè verbum, quod qui diligentius considerat, non habebit cur postpositis omnibus alijs, hunc festum diem peragamus, miretur. De sola enim ascēsione & loquimur, & canimus, & prędicamus hodie. Quin nec his contenti, etiam externis quibusdam, quantum licet, cæremonijs ipsum factum omnium oculis exponimus. Quæ qui non intelligit, certè admirabitur. At nobis non licet ignorare, permultum in re esse nostra Christum dominum cœlos ascendisse. Philosophorum alij de naturis rerum scripserunt, naturam & effectus singulorum demonstrantes: alij magno labore magnaque industria, quæ præter naturā in huius mundi theatro facta sunt perquisierunt, & prodiderunt literis. At sacra scriptura maxima habet miracula, eaque optima fide prodidit. Nihil tamen in omnibus voluminibus eius perinde nouū, insuetū, miraculosum: nihil etiam æquè magnum & excellens, atq; isthæc Marci verba, inuenitur: nēpe quibus Christū assumptū esse in cœlum & à dextris Dei sedere testatur. Nō huic simile quid vlla alicubi tradit historia, vnū creaturarum omnium iam inde ab origine rerū existētium superat potentiam: à seculo nō est auditū tale quid: omniū istud miraculorum est miraculū. An nō hæc aspicere, an non turmatim accurrere, de his loqui atq; meditari summa voluptas est: maximè cū non possumus ignorare tot attestātibus scripturæ eloquijs quā spem futurę adferat vitę? Nō hac parte dormitauerunt qui ante nos fuerunt Patres. Quot enim & quantæ pietatis sermones, cātiones, meditationes, precesque in hanc solennitatem composuere, in eaque vsi sunt? Nam & nunc legentibus, audientibus, atque considerantibus nobis, maximam consolationem adferunt. Id quod non obscurè ostendit, & ipsis ingentem spem hoc Christi factum attulisse. Tum etiam cerimoniæ docent, quàm laborauerint eadem omnibus inculcare, pueris atque rudibus. Propterea enim nō solum

Marc. 16.

verbis

verbis sed externis etiam vsi sunt ritibus. Hinc hodierna processio, hinc etiam quod alicubi quomodo ascenderit Christus repræsentatur, est. Nostro quidem seculo nec lusus & ioculatoria iudicantur. Sed haud dubiè tantum proderunt tamen iuuentuti, quantum ob oculos quædam depicta & inculcata fere, vnde parum admodum pietatis, nullus verò Dei timor, imò certè omnis pertinacia, omnisque leuitas addiscitur. Non est præter morem, credite, nec verò lusus aut iocus æstimandus est, quod verbo Dei nonnulla coniunguntur alia, quibus simplices ad iustitiæ & timoris Dei perseuerantiam attrahantur. Tentemus licet omnia, adhuc tamen vix in officio suo iuuentus retinebitur. Nemo erit suo qui sermone apud omnes efficiat omnia. Nam vel luce hac clarius est, vulgus hominum, sublatis è medio ceremonijs, nec verbi prædicationem magni facere. Infirmorum, fratres, habenda est etiam cura. Qua ratione simplicibus, rudibus, ac iuuentuti subueniri possit cogitandum est. Quod si tibi lectio, aut auditus sermo sufficit, sunt alij quibus in negotio salutis non solum verbis, verumetiam figuris quibusdam externis cosulendum est: quin nec sic quibusdam seria inculcari possunt. Et hæc ideo dixisse me volo intelligi, vt veterum consuetudinem videamus, qui si quando ad fidei aliquē articulum ventum esset, hunc accuratè acquisiteque scrutabantur, sibique infigebant altissimè. Iam verò in fidei articulis præcipuis hæc est ascensio. Eo igitur maior adhibenda est diligentia, vt omnibus inculcetur, ab omnibus & credatur & perfectè intelligatur. Quo enim perfectius intelligitur, eo maior inde consolatio percipitur: imò vbi non intelligitur, periculum est, ne in ipsum impingatur. Cuius sanè rei indicium est, quod nostro seculo sint, qui Christum corporaliter & substantialiter inesse sacramento altaris, minimè concedant. Equidem hi magnam erroris sui partem ex huius articuli deprauato intellectu concepère. Christus, inquiunt, ascendit ad cœlos & sedet à dextris Dei, non igitur in Sacramento hoc est. Vnde verò eiusmodi argumenta, nisi ex carnali intellectu quodam, cùm minimè quomodo cœlos ascenderit Christus intelligant? Fusius ergo ali-

quanto de hoc me articulo dicere oportet, vt vulgus eo rectius agnoscant, quantum nostra in hoc articulo interfit, altiusque reposito vtantur melius. Primo igitur quod Marcus ait, assumptum esse Christum: non intelligendum est, quasi non propria ascenderit virtute, sed alterius auxilio vsus sit. Longissimè differt Christi assumptio, ab Enoch, Eliæ, Pauli, nostraque raptura, De
Gen.5. Enoch dicit scriptura: quia transtulit eũ Dominus. Eliã
4.Reg,2. currus igneus & equi ignei tulerunt. Paulus raptus est.
2.Cor.12. Lazarus ab Angelis in sinum Abrahæ portatus est. Luc.
Ioan.14. 16. Apostolis Christus ait: Veniam, & accipiam vos
1.Thes.4. ad meipsum. De nobis Paulus loquitur: Nos, inquit, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra. Et vt in summa dicam: quisquis nostrùm cœlos desiderat ingredi, alieno eget adiumento. Solus Christus sua virtute cœlos ingressus est. Licet enim Marcus non ita clarè id exprimat: alibi tamen demonstratur apertius. vt cum Chri-
Ioan.20. stus ipse ait: Ascendo ad patrem meum & patrẽ vestrum.
Ioan.16. Et: Exiui à patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Hoc igitur fundamentum nostrum est, Christum propria virtute ascendisse. Neque enim quicquam aut exiguum spei adferret, si ad hoc angelis, nubibus aut curru vsus fuisset necessario, vt Elias & alij fecere. At quod propria sua virtute & potentia ascendit, plenum spei & consolationis est. Etenim homine, quem assumpsit, præstantiorem esse firmissimè cõfirmat: imò & maius quid, quàm vel Enoch, vel Elias, vel Paulus, vel omnes posse: quin ipsum Dei certissimum sit filium conuincit. Age ergo confidentius in ipsum initi, minusque hæsitare oportet, quod nos quoque Deo in cœlesti & sempiterno regno possit offerre. Ecce hæc omnia comprehendimus, cum dicimus: Ascendit ad cœlos. Non autem assumptus, subuectus, aut raptus est: illud enim minus satisfaceret nobis, possemusque non maiorem Enoch vel Elia, aut Paulo çstimare Christum. Sed quæ nobis ex eo commoditas, si nec præstantior nec maioris virtutis est Christus? Quomodo ipse egens auxilio, nos ad cœlos posset inferre? Omnis sanè & spes & fides nostra vana esset. Non igitur

gitur illud solum considerandum est, quod in Marco legimus, Assumptus est: verum illud etiam quod Christus ipse ait: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum. Quod enim illic deest, hic suppletur. Vtrunque tamen à vero non abest. Secundum humanitatem enim assumptus est, & secundum diuinitatem ascendit. Est ergo primum hoc quod in ascensione considerandum est: fundamentum, inquam, est, in quod cætera extruuntur omnia. Deinde etiam illæ dictiones, ascendit, & sedet: communi nō sunt intelligenda significatione. Nobis enim, ascendere, pro suæ significationis impositione, est motus localis. Vt si dicerem: Cæsar Colonia Spiram ascendit, hoc dico, quod Cæsar illum inferiorem locum reliquit, & peruenit in superiorem. Simul enim vtrobique esse non potest: & si Spiræ esse voluerit, Coloniam relinquat necesse est. Non ita Christi ascensio intelligenda est. Quanquam enim è cœlo venit, non tamen propteria cœlum reliquit. Nam & in terris cùm esset, in cœlis tamen esse se palam asseruit. Nemo, inquit, ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Ecce in terra hæc loquitur, & qui loquebatur, in cœlis esse se testabatur. Eadem ratione cœlos ascendit, non tamen ideo terram reliquit, imò cum iam ascenderet, ad discipulos ait: Ecce vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Non eget motu, quemadmodum nos, qui Deus est. Vbique enim præsens est, vt in Ieremia testatur. Sed & cœlum illi sedes est, & terra scabellum pedum eius. Et hic aduerte. Non dicit: Pars cœli mihi sedes est, & pars terræ: sed vbicunque cœlum est, ibi mihi sedes: vbicunque terra est, pedum meorum scabellum est. Hinc est quod Dauid ait: Si ascendero in cœlum tu illic es: si descendero ad infernum ades. Hinc & Paulus ait, Deum non longe esse ab vnoquoq; nostrùm. In ipso enim viuimus & mouemur, & sumus. Iam verò supra priore parte dictum est: Christum non solùm hominē, sed & Deū esse. Et ipsum quidē magnificè declarauit, cum cœlos ascendit. Cum ergo Deus ipse est, certè non eo modo cœlos ascendit, vt amplius in terra nō esset. Quomodo prius è cœlo descenderit cogita, & qua ratione nunc sit in cœ-

Marc. 16.
Ioan. 20.
Ioan. 3.
Matth. 28
Ierem. 23. Isaiæ. 66.
Psal. 138. Acto. 18.

Ioan.16 lis, intelliges. Testatur ipse in scripturis exiuisse se è cœlo in mundum: non quidem eo sensu, quasi antea
Ioan.1. non fuisset in terra. Nam Ioannes apertè ait: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Ita nunc quoque mundum reliquit: non vt in mundo non sit, sed quod mundo visibilem præsentiam suam subtraxerit. Quemadmodum ergo introitus illius in mundum aliud nihil erat, quàm quod visibilem se exhibebat, qui prius etiam inuisibili quodam modo in terris erat: ita recessus eius è mundo aliud nihil est, quàm quod visibilem præsentiam mundo subtraxit, licet nihilominus in mundo sit atque permaneat, ipsum mundum regat atque conseruet, quemadmodum ab initio fecit. Et quemadmodum descensio eius è cœlo aliud nihil est, quàm quod semetipsum exinaniuit: ita ascensio ipsius nihil aliud est, quàm quod depositâ à se forma serui, omnipotentem se Deum ostendit, qualis ab initio fuerat. Ascensio igitur Christi, secundum diuinitatem, nihil præter glorificationem & clarificationem ipsius est: secundum humanitatem verò nihil
Ephe.1. aliud, nisi quia & ipsa humanitas super omnes principatus, virtutes, potestatesque exaltata est, & potestatem accepit in cœlo & in terra, adepta nomen quod
Matt.28. est super omne nomen, ita vt etiam humanitati Christi
Phil.2. Deo coniunctæ omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorũ. Ecce fratres quę nobis mysteria vnico illo verbo manifestantur, quod dicimus, Ascendit. Idem de secunda parte licebit dicere, qua credentes confitemur: Sedet à dextris Dei. Nam hic cogitationes humanæ tacent omnes: minimè corporeus fingendus est Deus, qui vel sinistram vel dextram habeat, qui ipse sella sedens, Christum dextrum iuxta se habeat. Minimè, inquam, talis fingendus est Deus. Ipse enim spiritus est, corpus non habens, eoque nec sinistram nec dextram. Loquitur autem scriptura humano more de
Ioan. 4. Deo: non quia sit, sed quod tardiores & crassiores ingenijs, nisi per res, quibus assueuimus, quæ quotidiè videmus, audimus & tangimus, nihil de Deo intelligimus. Longè sanè alia res est in Deo, quod nos dicimus, Sedere ad dextrã. Illius enim sedere aliud nihil est, quàm Iudicem

dicem atque Dominum esse omnium, & hominum & creaturarum. Dextra eius nihil est, præter omnipotentiam suam. Sic enim scriptura ait: Nunquid dextera mea hæc fecit omnia? Et Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me. Et in cantico suo Maria: Fecit potentiam in brachio suo. Et ad Israëlem Dominus: In brachio extento educam vos. Quoquò igitur omnipotentia Dei sese extendit, eò etiam dexterea ipsius attingit. Si quando igitur dicimus: Christus à dextris Dei sedet, hoc volumus, quod Christus æqualis atque adeò eiusdem cum patre sit potentiæ, & vsque ad fines regni Dei, Christi se protendat maiestas. Id ipsum verò & humanitati eius tribuitur, quæ diuinitati coniũcta, vbiq; regnat & dominatur, in cœlo, & in terra, in mari, in morte, atque in inferno. Hoc ergo est sedere à dextris Dei. Vbi verò argumentum illorũ: Christus sedet à dextris Dei, ergo in sacramento esse non possibile? Ecce quod nihil aliud sit quàm huius articuli deprauatus intellectus, ex sensu carnali procedens. Equidem contrarium asserens dico, ideo in sacramẽto esse, quod à dextris sedet: nulla certior hac demonstratio inueniri facilè poterit. Est enim dextra Dei, omnipotentia virtutis eius, quemadmodum supra dictum est. Si ergo etiã secundũ hominem Christus à dextris Dei sedet, vtiq; in sacramento esse potest: imò nisi à dextris eo modo sederet, in sacramẽto esse non posset, quemadmodum nos simul eodem tempore in multis locis esse non possumus. Ex his igitur, opinor, facilè est videre quid sit, Christum ascendisse cœlos, & quam illa res mortalibus spem adferat. Qui enim in corde suo credit, quod Christus ad cœlos ascendit, & à dextris Dei sedet, vti dictum esse memini, hic sanè credit: primò, Christum verè esse Deum, qui propria virtute cœlos penetrare potuit: secundò, datã illi potestatem esse in cœlo & in terra, propterea quod à dextris Dei sedet: tertiò, quod dominus sit omnium, eo quòd aër atque nubes suum obtulerunt officium: quartò, quod Redemptor ipse noster sit, quia naturam nostram secum ad cœlos extulit: quinto, quod patronus, siue aduocatus & mediator noster sit apud patrem: propterea quod consummato sacrificio, introiuit in sancta sempiterna, non irra- Heb. 9.

Psal. 117. Lucæ. 2.

tionabilium sanguine, sed sanctæ passionis suæ merito: Postremo, quod & nos cœlos ingressuri simus, eò quòd caput nostrum illuc introiuit, cœlum possidet. Ecce, omnia hæc credimus, quia eadem sua Christus ascensione tanquam firmissima demonstratione confirmauit. Quid ergo hac fide homini Christiano posset obtingere iucundius? Aut in quo deficiet? Aut etiam quis lædet hęc omnia credentem? Quid Paulum Apostolum tanta armauit confidentia in tot tătisque periculis gloriantem, nisi
Rom.8. quia verè dicere potuit: Deus pro nobis, quis contra nos? Christus qui iustificat nos, quis est qui condemnet? Christus qui interpellat pro nobis apud patrem, quis accusabit? Vnde eidē Paulo spes tam certa, qua obfirmatus
2.Cor.2. dicere ausus fuit: Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur quod ædificationem ex Deo habeamus. Et iterum: Reposita est mihi co-
2.Tim.4. rona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex.
Isa. 64. Et cum Isaia: Non oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Vnde inquam, Paulo fiducia tanta, nisi quod di-
Ephe.2. cere potuit: DEVS qui diues est in misericordia, conresuscitauit nos Christo, & communicauit, & consedere fecit in cœlestibus? Quid desiderium illud eius moriendi, imò etiam pro Christi nomine patiendi excitauit in
Phil.1. ipso, nisi quia dicere potuit: Mihi viuere Christus est,
1.Cor.1. & mori lucrum? Et iterum: Si compatimur, simul etiam cum ipso viuemus? Vide ergo quantus bonorum cumulus, ex hoc Christi ascensionis articulo confertur. Neq; enim posse fieri arbitror, vt vlla in hoc toto orbe res credentem possit solicitare aut terrere, qui verè & ex animo dicere possit: Credo Christum Iesum ascendisse ad cœlos, & ad dextram Dei sedere. Sanè non causa vel occasione spei, sed hoc tantum deficimus, quod bonum oblatum non curamus, non querimus, non consideramus. Ecce igitur explicatum vobis de Christi ascensione articulum, quis eius fructus sit, atque sperari etiamnum possit. Hic iam, primum requiritur fides, sed non sola: quin exemplū nobis Christi erit Ascensio. Quęris Quomodo? Si cum Christo cœlos ascendere delectat, vt nosmet præparemus sicut & Christus præparauit se, ne-

cesse

cesse est. Hanc ob rem præsens intuere Euangeliũ, quid Christus prius quàm cœlos ascẽderet, in terris fecit, consydera: qua ille via in gloriam & regnum suum peruenerit diligenter examina. Primo igitur Lucas testatur, dicens: Cœpit Iesus facere & docere. Idque ipse Christus vult, cũ ait: Pater, manifestaui nomen tuum hominibus. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Ecce hic quomodo primum itineri cœlum versus tu tuaque disponenda sunt. Si cũ Christo ascendere cupis, ante omnia des operam, vt opus Dei consummes, in eoque ad finem vsque perseueres. Et hue respicit, quod Christus discipulos suos in Bethaniam, id est, in domum obedientiæ eduxit. Hinc cœlos conscendere decet. Et hìc sanè mox insufficientia nostra sese aperit. Omnes quidem cœlos ascendere delectat, sed nemo voluntatem Dei implere laborat, à peccatis exurgere nemo curat. Sed quid Christus ait? Nõ omnis qui dicit mihi: Domine domine intrabit in regnũ cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Sit ergo hoc primum. Deinidem Euangelium testatur Christum passum esse, crucem baiulasse, in cruce denique mortuũ esse. Dissuadere hoc ne faceret, Petrus voluit: sed audit, Vade retro Satana: scandalum mihi es, non sapis ea quæ suut Dei. Et hoc secundum. Si cum Christo patimur, & conregnabimus. Qui non tollit crucem suam & sequitur Christũ, ad gloriam eius non perueniet, imò nec dignus est Christo domino. Vos estis qui mecum permansistis in tentationibus meis, ideo vado disponere vobis locum in regno meo, ad discipulos loquens ait. Tertio, & si Christus patris voluntatem impleuisset, tum etiam crucis ignominiam, ac mortem perpessus fuisset, eoque de sua certus esset gloria: tamen expetit eam dicens: Pater, venit hora, clarifica filium tuum. Ergo igitur & nobis precandum est: Pater libera nos à malo: Et, Aduenìat regnum tuum. Id ergo rursus nostram arguit negligentiam, qui tam certò nobis pollicemur cœlum, vt nec orandum propterea arbitremur, non ignoremus licet Christum, vt clarificaretur à patre petijsse. Quarto, cum discipulis suis conuescens discubuit, antequam ascenderet. Et

Act. 1. Ioan. 7. Luc. 14. Matt. 7. Matt. 16. 2. Cor. 11. Matt. 10. Luc. 21. Ioan. 17. Matt. 6.

quid,

Act.1. quid, nisi fraternam charitatem commendare voluit? O commodum compendium cœli ardua petenti, qui se in in fraternæ dilectionis atque misericordiæ operibus studiosum exhibuit. Facite, inquit Christus, vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant
Luc.16. vos in æterna tabernacula. Qui seminat in benedictionibus, inquit Paulus, de benedictionibus & metet. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Quicunque Christum in membris suis pauperibus
2.Cor.9. non agnoscit, eosq; nec curat, nec solacur, nunquam cœli ingredietur limen, sed cum impijs omnibus in ignem
Matt.5. detrudetur æternum. Atque hac causa discipulos suos in montem Olueti eduxit Christus, & de monte ipso cœ-
Luc.24. los ascendit. Nimirum oleo admonerentur dilectionis
Ioan.13. & misericordiæ, qua ipse in finem vsque dilexit suos, quos in mundo dilexit: essetque illis ob oculos positum quod imitarentur exemplum. Vnum adhuc restat, quod
Act.1. Luca teste recedens discipulis suis mandauit. Nempe ab Ierosolymis ne discederēt, sed expectarent promissum patris. Idipsum nobis quoq; dictum esse arbitrabimur, qui si in hac vita Spiritum sanctum inhabitatorem mentis habere volumus, si cū Christo sursum ascendere cupimus, in Catholica sanctaque Christianorum Ecclesia perseuerandum est. Extra hanc enim salus non est, nullaque cœli
Ioan.3. semita est. Nemo ascendit in cœlū præter Christū. Christus verò eiusque Ecclesia vnum corpus sunt. Quicunque ergo vel minimum in hoc corpore membrum est, sine dubio ad cœlos perueniet. At si quis ex hoc ipso corpore defecerit, nunquam ad cœli ianuam perueniet. Ex his iam considera quæ eorum sit dementia, qui se vltro ab Ecclesia diuidunt, propterea quod nonnullam in ea Zizaniam considerant. In operibus, in doctrina, hypocrisis in diuinis officijs, ceremoniarū abusus, vitæ impietas, infœlix illud lolium sunt, quod totum percrescēs agrum operuit. Sed quid nobis faciendum est? Vna vice si
Matt.13. mul extirpari nequit. Age igitur, quod potes præsta: quod reliquum erit sine ad messem vsque crescat, ne propter ea ipsum agrum deseras: vt bonum semen inseras incumbe, ad Dominum querelam tuam effunde. Dic cum Apostolis
Act.1. Domine, nunquid in tempore isto restitues regnum

Israël?

Israël? Illi quidem ex ignorantia isthæc quærebant, at nobis optima eadem fide licebit dicere. Non enim ignoramus hanc ab initio voluntatem Dei fuisse, omnia instaurare: imò id iam olim fecisse nouimus. Primo enim Angelorum numerum compleuit. Tum etiam ita in terris regnum Dei dispositi, vt in omni loco Deus honorificaretur. Sed labefactatum est nunc: eo igitur ardentius orandus est Christus, vt restituat. Hæc ergo illa ipsa sunt, circa quæ piorum mentes hodie occupantur. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO DECIMVS.

CVm Euangelio hodierno, in quo Marcus honorificæ ascẽsionis Christi, licet succinctè meminit, simul etiam Epistolæ loco nobis lectum est hodie, quid Lucas de eadem perscripsit. His deinde eiusmodi Ecclesia orationem addit, dicens: Concede quæsumus omnipotens Deus, vt qui hodierna die vnigenitum tuum redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus: ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus. Hoc modo Ecclesia iuxta glorioſam atque triumphalem Domini ascensionem nos precari docet hodie. Si quis igitur hæc tria, Euangelum, Epistolam, & Ecclesiæ orationem simul coniunxerit: hic sanè quod hodie meditetur & faciat, habebit abundè, vtrunque magno suo commodo. Neque verò lætius iucundiusq; nihil cogitare possumus, quàm Christum ascendisse ad cœlos, & ad dextram sedere Dei patris. Tum nec vtilius quicquam precari possumus, nisi vt & nos mente atque affectu in cœlis habitemus, dum mortali hoc corpore induti, necessario hic in terris circumagimur. Testantur Esra & Nehemias magno olim desiderio Iudæorum gentem, quæ aliquandiu in Babylonica captiuitate tenebatur, erga terrenum Ierusalem, patriã nimirum suam, affectum fuisse, & tandem manumissos ingenti pietate ac turmatim eandem repetijsse, ibi multa instauraſſe, quæ ad gloriam illius vrbis pertinere videbantur, nec quicquam ita primùm habuisse: quanto magis igitur nos decet circa cœlestem Ierusalem affici, præcipuè verò & maximè hac die. Illuc enim hæc solennitas quasi digito monstrans respicere monet. Quin etiam propterea visibilis atq; oculis suorum conspicuus

Marc. 16.

Act. 1.

cœlos

cœlos ascendit, vt quò animi dirigẽdi deinceps essent, intelligerent. Et ipsi quidem stantes in cœlum conuersis oculis aspiciebant, periucundum spectaculum, sed non
Act.1. diuturnum contuebantur. Nubes enim eum susceptit ab oculis eorum. Corporeis ad cœlum suspicere oculis, nihil aut parũ ad rẽ facit: sed animum cogitationesque cœlis inferre, hoc tandem vtile est, consolatur, desiderium
Col.3. excitat, à terrenis omnibus abstrahit. Id quod Paulus docens ait: Si cum Christo surrexistis, quæ sursum sunt quærite, vbi CHRISTVS est in dextra Dei sedens. Idem & Ecclesia precari hodie docet, nec immeritò. Vbi enim thesaurus noster est, ibi est & cor nostrum: vbi caput, eò suspirant & reliqua membra. Sed hoc præstare
Sap.9. precibus à Deo obtinendũ erit. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam deprimitq; sensus: eoq; cœlesti nobis auxilio opus est, sine quo nunquam à terrenis
Cant.1. his auellimur. Trahe me post te (alibi dilecta diligensq; anima loquitur) curremus in odorẽ vnguentorum tuorum. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo
Psal.26. & requiescam? Dauid ait: Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus die-
Psal.38. bus vitæ meæ. Quã dilecta tabernacula tua domine, Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Idipsum ergo, animis in cœlestibus habitare est. Dauid verò apud Deum, vt id posset, exorauit. Vnde ipsum sequamur æquissimum est. Sitque hoc in genere dictum, vt quid hodie facto opus sit, intelligãt omnes. Prudentibus quidem hæc dixisse me sufficeret, sed necesse est fusiùs Christi ascensionem pertractem, atque veluti coloribus suis depingam, vt simplices eo studiosiùs hodie pietati incumbant, festamq; diẽ hanc, vt æquũ est, sanctiùs peragant. Est enim in præcipuis anni festiuitatibus hæc cœlebris, & fidei articulus est Christi ascensio, & eiusmodi planè, qui si iusta consideratione examinatur, permultum consolationis et spei adferat. Aliquid ergo ea de re dicendum mihi est. Nam & superioribus annis, vt æquum erat, nõnihil in eadem materia laboraui. Vtinam hunc ipsum aliosque fidei nostrę Articulos sæpius ac maiori diligentia meditaremur. Essent enim vita moresque nostri magis pij, & Christianæ puritati coniunctiores,

quàm

quàm nunc sunt. Sed hæc missa facio, & quid de ascensione Christi sentiendum sit, perueſtigabo. Sic Marcus habet: Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, Marc.16.
assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Hic fidei ille articulus. Christus est qui ascendit, & ipse quidem solus potuit. Qui descendit, inquit Paulus, ipse est qui & Ephe.4.
ascendit. Nemo ascendit ad cœlum, nisi qui descendit de Ioan.3.
cœlo, filius hominis qui est in cœlo, ipso teste qui ascendit. Fuerunt quidã qui idem conati sunt, sed infelicissimè hæc illis alea cecidit, grauiùs lapsi, terribiliusq; præcipitati. Angelus quidem è cœlo ad inferni abyssum, homo è paradyso in vallem lachrymarum. De solo Christo dici potest, extensis in cœlum ascendisse brachijs. In qua sanè ascensione tria considerãda sunt: nẽpe, quò ascendit, & quare, tum etiã quo tempore. quorũ primum gloriam clarificationis Christi: secundũ, vtilitatẽ & fructus inde nascentes: tertium verò, qua ratione nos præparabimus ad cœlestem viam transeundam, docebit. Et hæc omnia diligentem indagationem requirunt. Quod ad primum, iam nunc audiuistis duobus testantibus Euangelistis, quò ascenderit. Marcus enim assumptum esse commo- Marc.16.
rat. Lucas verò eleuatum esse, tum in Euangelio suo Act.1.
recessisse testatur. Vbique verò cœli fit mentio. Marcus Luc.24.
etiam dextram Dei addit: id quod multo excellentius est, quàm cœlum. Paulus sanè multis in locis hæc omnia tra Phil.2.
dit, vt cùm ait: Deus exaltauit illum & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Ecce hoc est sedere à dextris Dei: exaltatum esse super omnia, nomen habere, quod sit super omne nomen, & in sua potentia cõtinere, quicquid in cœlo, in terra, & subtus terram est, & quòd omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria Dei est patris. Idem in ea quam ad Ephesios scripsit Epistola, eadem ferè, licet verbis nõnihil mutatis, asserit, dicens: Constituẽs eũ Deus ad de- Ephe.1.
xteram suã in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiã in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Et ad Hebræos scribens ait: Sedet (Christus) ad dextram maie- Heb.1.

ſtatis in excelſis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. His alijsque id genus Scripturæ locis intelligere licet, quid ſignificemus, cùm dicimus: Chriſtus ſedet à dextris Dei. Complectitur enim in ſe ſummam atque omnipotentem Dei virtutem. A dextris enim ſedere etiam apud homines locus honoratior eſt, ſed apud Deum, eſt æquali diuinæ virtutis omnipotentia, imperio & regno præeſſe. Quid ergo honorificentius de Chriſto dici poteſt, niſi ſedere eum à dextris Dei in cœleſtibus? Quid iucundius nobis dici poſſet, quid obtingere lætius? Quò enim ille ſedet ſublimius, eò firmior noſtra fides eſt, eo ſpes atque fiducia noſtra maior eſt, eo commodius & melius nobis auxilio eſſe poteſt, eo etiã audentius eum inuocamus: O Rex gloriæ, qui triũphator hodie ſuper oẽs cœlos aſcendiſti, ne derelinquas nos orphanos, ſed mitte promiſſum patris in nos Spiritũ veritatis. Eſt ergo hoc primũ, quod in Chriſti hodie conſiderandum eſt Aſcenſione: nempe quod ad cœlos aſcenderit, in quo glorificationis ipſius magnitudo commendatur. Deinde verò hoc etiam cogitandum eſt, cur aſcenderit, id eſt, quis aſcenſionis eius fructus ſit. Et huius rei duas rationes Apoſtolus tradit: Prima, vt adimpleret omnia. Altera vt appareret apud patrẽ pro nobis. His rebus Aſcenſio eius commodauit, imò etiamnum commodat. Primo, vt dictum eſt, adimpleuit omnia. Nam per hanc declarauit poteſtatẽ habere ſe omnium terræ, maris, omnium infirmitatum atque morborum, Spirituum nequam, nec horum ſolum, verumetiam aëris atque adeò ipſius cœli. Hoc ſenſu omnia adimpleuiſſe dicitur. Sed & hoc oſtendit ſua aſcenſione, quod credentibus velit poſsitque adeſſe ſimul omnibus. Si enim in terris hic hæſiſſet, vno tantũ in loco videretur preſens. Quia verò cœlos aſcendit, atque à dextris Dei ſedet, vbique ſimul adeſt eadem vicinitate omnibus, & ſic implet omnia. Præterea etiam alio ſenſu hoc poteſt intelligi. Priuſquam cœlos aſcendiſſet Dominus, terræ hic orbis mortalibus habitabatur tantum: nunc porrò fit, vt ipſum etiam cœlum impleatur hominibus. Eſtque hic primus Chriſti aſcẽſionis fructus. Alter verò fructus eſt, quod apud patrem nos defendit, ipſumq; pro nobis interpel-

Ephe. 4.

terpellat. Et hunc fructum idem ille Paulus docet, ostendens ascendentem Christum, summi sacerdotis verè implesse officium. Lege enim præceptum erat, vt summus sacerdos quotannis semel ipso nimirum expiationis festo sanctuarium siue sanctum sanctorum tabernaculi domus Dei, assumptis thuribulo, ac immolati vituli sanguine, Deum deprecaturus, intraret. Erantque hæc futurorum & verorum figura tantum. Paulus hæc sanè in Christum interpretari non veretur. Ipse enim est, qui ipsa sua ascensione perfectissimo modo adimpleuit. Intrauit in sanctuarium templi sui, vt Paulus ait, in ipsum cœlum, quasi templi Domini secretiorem locum. Et ipsum Apostolus confert cum Iudaico templo, quod ita ædificatum erat, vt diuideretur velo. Anteriore veli parte stabant altare, cãdelabrum, & mensa, & panes propositionum. Huc ergo quotidie sacerdotes intrabant sacrificaturi: In altera verò parte, quæ diuisa erat velo, arca Dei, & in ipsa, virga Aaron, & tabulæ Mosi & manna: supra arcam duo Cherubin extensis alis propitiatorium, quod in medio ipsorum erat, tegẽtes erant. Et huc nemini præter solum sacerdotem summũ, nec semper, sed semel tantum quotannis introire licuit. Eodẽ modo Christi etiam diuiditur templum. Ecclesia enim Christianorum adhuc in terris militans prior pars templi est. Hic candelabrum, quod est Spiritus sanctus, cum septiformi munere. Hic mensa cum diuini verbi: sacramentorumq; panibus. Hic altare, in quo quotidie preces ac vota Deo offerimus. Altera templi pars ipsum cœlum est. Illic arca Dei, duo Cherubin, & propitiatoriũ, imò omnia quæcũque Deus arca propitiatorio, & Cherubin significare voluit. Sed nondum nobis illuc intrare licet, velum obest. Oportet prius corpus hoc corruptibile induere incorruptionem. Christus penetrauit, eamque tẽpli sui partẽ introijt, adferẽs secum in conspectu Dei optimũ tymiama, precios as thurificationes, nimirum preces & gemitus, quos nostri causa in terris Dei obtulit. Tum etiam sanctum, magniq; pretij sanguinem sacrificij sui assumpsit, hoc est, totam passionem suam patris præsentauit oculis. Inque infallibile huius rei signum, in ipso etiam iam glorificato corpore clauorum fixuras & crucis obti-

Leuit. 16.

Heb. 9.

Isai. 11.

1. Cor. 15.

nuit, vt passionis meritiq; sui sempiterni, nunquam delendum essent memoriale. Et hoc Paulus vult, cũ ait: Nõ
Heb. 9. in manufacta sancta Iesus introijt, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Et quid vel desiderare vel optare magis consolatorium possimus? Quid timebimus, quibus tam potens, tam acceptus coram Deo patronus adstat? Quanta verò incunditate hac
Heb. 4. de re Paulus Apostolus loquitur? Habentes ergo talem Pontificem, inquit, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur & gratiam inueniamus in auxilio o-
Heb. 10. portuno. Et deinde adhuc clarius: Habentes ergo fiduciã in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem, per velamen, id est, carnem suam: & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cũ verò corde in plenitudine fidei &c. id ipsum etiã Ecclesia vult, cũ Psalmistæ nos verbis hor
Psal. 46. tatur, dicens: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Est ergo hoc secundum, quod piè nunc cõsiderare licet. Iã verò quod restat tertiũ explicemus, nempe tempus, quo Christus cœlos ascendit.
Ioan. 17. Illud verò ipse indicat, dicens: venit hora, clarifica filium tuum. Hæc verò in cœna nouissima iam trigesimum tertium agens annum, cum triennio prædicasset, ouemque perditã multo sudore requisierat, cum nouissimũ, quod restabat opus aggrederetur, ipsam nimirũ mortem propediẽ subiturus: hic tempus aduenerat, vt à patre Deo clarificaretur in terris, illic enim verè dicere potuit: Ego te, pater, clarificaui super terram: manifestaui nomen tuum hominibus: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Et hoc nobis dictum arbitremur. Suo enim perfinito tempore cœlum petendum est. Potuisset quidem primo quoquo die cœlum repetere Christus, sed noluit, donec plenissimè opus suũ expleret. In nostro numero inuenias, qui omnino cœlos ascendere, hoc est, mori & mundum etiã prẽsente hora definita, relinquere nolint. Rursus videas alios cœlos petere, sed ante iustum tẽpus, hoc est ipsi sibi cœlum promittunt priusquam opera Dei consummare incipiant. Sed frustra id tentant, sine tem-

temporis respectu. Stulte brabeum postulant, antequam in hoc stadio cursum complent. Paulus verò iustum diē & ordinem obseruat. Bonum certamen certaui, inquit, cursum consummaui, fidē seruaui. Hoc prius est, cui mox addit: Reposita est mihi corona iustitiæ. Idem illud discipulum suum erudiens docet: Labora, inquit, sicut bonus miles Iesu. Nam qui certat in agone non coronabitur, nisi legitimè certauerit. Simile quid & duobus illis fratribus Christus loquitur: Nescitis, inquit, quid petatis. Cœlum ante tempus petitis. Potestis calicem bibere quem ego bibiturus sum? Tum verò ascendere tempus adest iustum, vbi Dei opus consummaueris. Tunc certam sperare licet salutem, vbi cum Christo dicere potes: Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Et: Non veni vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me patris. Et iterum: Non mea sed tua voluntas fiat. Et cum Dauid: Viam mandatorum tuorum cucurri. Et cum Paulo: Nihil subtraxi vtilium, quo annunciarem, & docerem, quæ sit voluntas Dei. Et cum Martino: Domine, si adhuc sum populo tuo necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. Hic, inquam, commodum & iustum tempus est petendis cœlis. Christus tandē nouissimò ascendit. Ascēdit quidem & prius, sed non in cœlos, sed in montem vbi docebat, orabat & clarificabatur, & cruci affigebatur. Hæc, inquam, omnia priusquam cœlos ascenderet, fecit. Id ipsum in nobis queritur, quemadmodum in alio quodam sermone dixi fusius. Et hæc illa sunt, quæ digna consideratione hodie pensanda sunt. Nempe quàm ille in Ascensione sua clarificatus sit: quæ vtilitas, qui nobis illius fructus proderint, & quomodo nos tandem aliquando illuc vbi Christus est in gloria Dei sedens, peruenire possimus. Idipsum iam considerare, est hanc festiuitatem digna pietate celebrare. Gratia Dei cum omnibus nobis, Amen.

1. Cor. 9.
2. Tim. 4.
2. Tim. 2.
Mat. 10.
Ioan. 15.
Ioan. 6.
Matt. 26.
Act. 20.
Col. 3.

IN DIE SACROSANCTI CORPORIS CHRISTI,

Euangel. Ioan. 6.

CAro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri Manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

EODEM FESTO EPI-

stola. 1. Corinth. 11.

COnuenientibus vobis in vnũ, iam non est dominicam cœnã manducare. Vnusquisq; enim suã cœnã præsumit ad manducandũ. Et alius quidem esurit, alius autẽ ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut Eccleſiã Dei contemnitis, & confunditis eos qui nõ habent? Quid dicã vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniã Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panẽ, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate, Hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meã cõmemorationem. Quotienscunque enim mãducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Itaque quicunque manducauerit panem, & calicem Domini indignè biberit,

rit, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi mãducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

SERMO PRIMVS.

NEminem Ecclesiasticarum rerum in nobis tam inexpertem arbitror, qui quàm sibi inuicem Euangeliũ hoc, festaque hæc dies conueniãt, quid quantúmue de vtroque, vt olim, dici possit, non videat. Multum quidem olim se scriptorum exercuit diligentia, cum de hoc festo atque Euangelio loquerentur ac scriberent: multa atque ingentia volumina de sacramento altaris deq; hoc sexto Euangelij Ioannis capite, nobis tradidit antiquitas: nullus adhuc de ijsdem rebus & dicendi & scribendi finis est. Vtinam tanta his rebus animi pietate accenderemur omnes, quanta diligentia studioque à venerandæ antiquitatis sanctis Ecclesiæ doctoribus, alijsque Theodidactis conscripta sunt. Certissimum enim est, cuilibet nostrum non parum in hoc spirituali cibo situ esse, quandoquidem tot verbis de eo Christus locutus est. Tum etiam sine dubio Ecclesiæ non minus in sacramento altaris situm est, quòd eò instituit Christus, vt semper in Ecclesia perciperetur. Si quis igitur verè Christianus est: nullo modo, quæ Christus tantopere docuit, debet negligere: minimè contemnet, quod Christus tanta sedulitate instituit. Hac ratione motus, non possum non copiosius aliquanto de hoc festo loqui. Ac principio quidem, cur tanta solennitate, tanto omnium gaudio celebretur. Deinde quàm credentes in hoc sacramento peculiarem spem & vtilitatem habeant. Tertio denique, quis noster erga ipsum sacramentum affectus, quæ debeat esse reuerentia. Et hæc necessaria esse arbitror, quæ doceantur, maximè hoc nostro seculo. Primò, vt & simplices habeant, quod contemptoribus atque calumniatoribus cùm festi huius, tum sacramenti ipsius, cuius causa institutum est, obijciant & respondeant. Deinde, vt & ipsi eò melius discant & percipiant, quis debitus honos huius sacra-

menti,quisq; verus vsus sit. Hæc omnia qua possum brevitate docebo. Et primo quidē nemo non videt, quanta festi huius inter Christianos sit solennitas,maxime verò quod ad processionē(quā vocamus) attinet. Pauci tamen qui,cur hæc fiāt,norint, oēs licet in hoc incūbamus, ritè & cū maiestate summa omnia fiant. Pleraq; pars hominū tantū consuetudinē,quam videt,sequitur,nihil curat prę terea, cū tamen vnanimis ille Ecclesiæ sanctæ atq; Christiani orbis consensus apertè doceat: non sine causa hæc vel instituta esse vel obseruari. Inuenimus enim alioqui etiā cum in veteri, tū in nouo testamēto id genus processiones omniū credentiū gaudio celebratas,sed tamē nunquam sine peculiari causa. Primus Moses est qui populo
Exod.16. suo, cū Pharaonis Aegypti manus effugissent,nouū carmen cōposuit,communemq; lætitiā festumq; diem instituit,nō leuitate,sed iustis rationibus inductus: cātemus, inquit,Domino,gloriosè enim magnificatus est, equum
Iosue.6. & ascensionem proiecit in mare. Iosue septem diebus ciuitatē Iericho,cū populo suo,& Arca domini & septē tubis circumijt. Non sine ratione prægnanti, nedum leuitate,nimirum docere voluit, non in semetipsis confidendum,aut in propriæ virtutis sperandum fortitudine, sed in Deo eiusque præsentia omne auxilium ponendum esse. Tum etiā vt hosti, quemadmodum Dominus præce-
2.Reg.6. perat,terrorem incuteret. Sed & Dauid cum populo Israël perrexit,vt Arcam Domini reduceret in Ierusalem: sed ideo maximè,vt disceret populus hoc ipso facto, omnē spem omnemq; salutē in præsentia Dei ponere, inde sperare auxiliū. Et hoc modo reliqui festi dies suā quisq; causam habuit. In nouo etiam testamento inuenimus po-
Ioan.6. polū Iudæorū aliquādo in desertis locis Deo laudes decātasse. Testis est Ioānes. Tū non multo tempore antequā pateretur, turmatim obuiam procedunt Domino, eumque cum hymnis atque canticis ciuitatem introducunt,
Ioan.11. & 12. non tamen leuitate aliqua,sed miraculo, quod in excitato Lazaro fecerat, commoti. Sed & Apostoli quadragesimo post resurrectionem die Christum ad montem Oli-
Luc. 24. ueti procedentes extra vrbē deduxerunt,nō leuitate,sed vt ascendentem viderent. Et quid multa? Nulla festa dies, nullum credentibus celebratum est gaudium, sine vrgen

te ra-

te ratione. Vnde dubium non est, & hunc solennem diē iustis ac proprijs causis inniti. Et mea quidem sententia vel præcipuam Dauid prædixit, cum ait: Generatio & ge Psal. 144.
neratio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuncia bunt. Magnificentiā gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent. & magnitudinem tuam narrabunt, Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt. Hæc Prophetæ verba si probè consideraueris, eadem hodie credentes facere cognosces. Tria enim Dauid commemorat: primum, potentiam Dei, cum ait: Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt. Secundo sapientiam Dei, cum ait: Magnitudinem tuam narrabunt. Tertio bonitatem Dei, cū ait: Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. Et quid aliud hodie facimus, nisi quod in sacramento hoc Dei miramur potentiam, incomprehensibilem eius prædicamus sapientiam, & erga ineffabilem eius bonitatem gratum affectum exhibemus, nempe cum hæc tria maximè in hoc ipso Sacramento elucent? Quod si vnquam tibi innotuit, Deum operari magnalia, omnia in sapientia disponere, & singulari modo charitatem suam & bonitatem exhibere mortalibus: hoc considerandum Euangelium in manus sume, & singula hęc clarissimè conspicies. Nam (vt à primo incipiam) an non magnalia sunt, per vnici verbi virtutē panē conuerti in corpus Christi & vinum in sanguinem: quod totum corpus Christi sub tam exigua panis continetur specie: quod idem corpus Christi vno momento tot in locis esse possit, ac sit. Deinde, an non incomprehensibilis sapientia est, quod eo modo mysteria sua Deus in hoc sacramento abscondit, vt à pijs tantum & credentibus videantur, sentiantur, & percipiantur? Tertio denique, an non ineffabilis Dei bonitas est, qui seipsum in hoc nobis sacramento manducandum offert? Cùm ergo tam manifestè Deus potentiam, sapientiam, & bonitatem suam in hoc sacramento ostendit, imò (vt Dauid alibi loquitur) cùm hanc escam daret, Psal. 100.
memoriam fecit mirabilium suorum: nihil est, quod quisquam miretur credentium in hac solennitate gaudium. An fortè dignū non est ea lætitia, vbi Dei videre licet ma-

gnalia? An fortè exultationem non meretur, vbi Dei tam manifestè consideratur sapientia? an fortè gratiarũ actione indignũ est, vbi tanto omniũ fructu Dei bonitas percipitur? Et vt breuissimè omnia dicam, præsens festiuitas nil aliud est quàm eructatio quędam & memoria siue recordatio abundantis suauitatis & bonitatis Dei. Quemadmodum enim qui suauibus vsi sunt tragematis, aliquãdiu per eructationem dulcedinem quandam exhalantem sentiunt: ita credentes hactenus bonitatem & suauitatẽ Dei in humanæ redemptionis opere vidimus, percepimus, atq; gustauimus, at hodie contẽplantes atque considerantes S.S. sacramentum, eandem illam suauitatẽ eructantes, veluti denuò percipimus & recreamur: reducente nimirum hoc sacramento in memoriã omnia illa, quæ Christus nostra causa fecit, impendit, promisit, meruit atque perpessus est. Et qui fieri posset hominẽ ingenuum ad amandum & laudandum Deum non moueri his omnibus? Cogitemus aliquantisper, quid sit quod Christus nostri causa fecerit. Cum non essemus, ipse creauit nos: eramus perditi, ipse reduxit nos: mortui, & viuificauit nos: in carceribus, & liberauit nos: esurientes, & cibauit nos: eramus venditi, & precioso suo sanguine redemit nos: Denique à nobis recessurus, quod optimum habuit, communicauit nobis: Nempe, Sanctum verbum illud suum ad eruditionem & consolationem reliquit nobis: pacem dedit in testamentum, vt conseruaremur in illa: Spiritum sanctum promisit, atq; dedit ad doctrinam et imperiũ: sacramenta instituit ad emundationem. Postremo omniũ etiam seipsum arram fœlicitatis dedit ęternę. Et quid amplius debuit facere? Horum ergo omnium præsens nos admonet festiuitas: commonefacit sacramentum. Vnde non immerito hodie cum Psalmista cecinimus: Misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se, memoriã fecit mirabilium suorũ. Et cum Salomone: O quã suauis est Domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuã in filios demonstrares, pane suauissimo de cœlo præstito esurientes replens bonis, fastidiosos diuites dimittens inanes. Quæ, si quis secum cogitauerit, haud dubiè diuini amoris igne accendetur. Sit ergo hoc de causa præsentis festiuitatis dictum. Iã verò secundo &

Ioan. 13.

Psal. 110.

Luc. 1.

do & illud audiamus, quæ Ecclesiæ spes, qui fructus ex ipso sacramento defluant, quandoquidem summam illa in hoc tanquam omnium pretiosissimum thesaurum, siue angustatur, siue maledicitur, spem, fiduciã ponit. De qua re non nego copiosissime tractari posse, mihi tamen placuit hac vice vtilitatem, virtutem, & spem, quam dare potest vnica veteris testamenti figura, ostendere. Habet Regum liber tertius, quomodo Elias Propheta Domini viduam quandam pauperculam vnáq; cum illa filium, toto illo annonæ & famis tempore, vnius hydriæ tantũ farina cibauerit, ac conseruauerit. Ait enim: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, vsque in diem qua daturus est Dominus pluuiam super faciem terrę. Historiam ipse legito. Vidua paululum habebat farinæ, quantum vnus capi posset pugillus: incredibile, imò impossibile videbatur, toto illo triennio inde posse illam & filium sustentari: verumetiam Prophetæ credens, hydriam farina nõ deficere re ipsa comperit, licet quotidie in sui filij, atque etiam Prophetæ sustentationem illa vteretur. Hic nobis adumbrata fuit virtus atq; operatio huius sacramenti. Vidua Ecclesiam sub figura designat, non quia hæc virũ nõ habeat, sed quia peregrè profectum accipere sibi regnum, non videat. Fames spiritualem gratiæ egestatem, qua mundus pro peccatis affligitur, qua multi hominũ deficiunt, & succumbunt, indicat. Propter peccata enim etiam spiritualibus nubibus mandat Deus, ne pluant super homines salutarem diuini verbi pluuiam. Id quod primum in Synagoga Iudæorum, à quibus Apostoli cũ prædicatione Euangelij ad gentes conuersi sunt, videre est, tum etiamnum in multis alijs locis considerare licet, vbi olim Christianismus florebat, nunc verò sub immanissimo Turcarum Tyranno sudant homines derelicti salutaris verbi pluuia. Pluit quidem super illos Deus, quemadmodum super reliquos impios omnes: sed non saluificam puræ doctrinæ suiáque verbi pluuiam: sed laqueos, vt Dauid ait, vt sit mensa eorum, hoc est, sacra Scriptura non ad salutem ipsis, sed in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. In hac, quam Iudæi atque Gentes patiuntur, fame, sancta Ecclesia adhuc in hydria

3. Reg. 17

Luc. 19.

Isa. 5.

Acto. 14.

Psal. 10.

Psal. 68.

sua pugillum farinæ habet : nempe sacrosanctum corporis ac sanguinis domini sacramentum, quod quidem secundum externam speciem videtur exiguum, sed multam in se habet virtutem, & viduæ huic Ecclesiæ, eiusque filijs abundè satis spiritualis nutrimenti præstat, semper manens, nunquam deficit. Hanc enim promissionis fiduciam Ecclesia habet, vt vbique illa sit, illic & spiritum sanctum & Dei verbum, & S.S. Sacramenta esse.
Ioan.14. Ecce, inquit Christus, ego vobiscum sum vsque ad con-
Matt.28. summationem seculi. Porrò quod vis huic farinæ pugillo insit, satis ex huius diei demonstratur Euangelio.
Ioan.6. Caro mea, ait Christus, verè est cibus & sanguis meus verè est potus: nimirum, hoc sacramentum eandem in animam operatur virtutem, quam in corpus cibus externus. Deinde hoc etiam addit, quod quicunque carnem suam manducauerit, & sanguinem biberit, in se maneat, & se manentem habeat. Et hinc est quòd tantum ab initio fortitudinē ostenderunt credentes contra peccatum, Diabolum mundumque nempe Christo in ipsis
Acto.2. manente. Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum & cōmunicatione fractionis panis. Et quid multis? Qui manducat hunc panem, Christo teste, viuet in æternum. Ecce hic omnium in genere, & cuiusq; verè Christiani ex hoc sacramēto fructus est. Exurge igitur quisquis ingenuè, Christianus es, & propositum tibi hodie panem
1.Reg.39 comede. Grandis enim adhuc restat via, ad mōtem Dei, & in ipsa quidē via multa quæ horreas, vt peccata, mors, Diabolus, Infernus, obuiabunt: tum nisi habueris quo conforteris, periclitaberis. Quæ verò vel fortior refocillatio, vel prestantior consolatio haberi potest, hoc sacramento? Illic enim corpus, quod peccata nostra per-
1.Pet.2. tulit. Illuc Christus, qui mortem, Diabolum, mundum-
Ioan.16. que deuicit. Illic sanguis, qui chirographum damnatio-
Col.2. nis nostræ deleuit. Huc ergo accurramus omnes, sed & hoc agamus, quo tanto huic Sacramento debitus honor maneat. Idque tertium erit, quod in hanc festiuitatem pertinet, nempe vt ipsum pro sua reuerentia dignè veneremur. Externus enim hic honos, quem hodie ipsi exhibuimus, non ille verus est qui requiritur. Quanquàm enim Israël olim externo quodam ritu

vene-

veneraretur Arcam Domini, & ipsi etiã Philistæi æqua- 1.Re.4.
lem illi cum Dagon suo honorem impenderent, quia ta- &.6.
men vtrobiq; prevalebat impietas, minimè illo ritu Deũ 1.Reg.5
placabant, imò vtrobique corripiebantur, Israël quidem
apertè, Philistæi verò occultius. Quæ nobis exemplum
& monitio sint, ne externum aliquem honorem Sacra-
mento huic præstantes, simili correptioni reddamur ob-
noxij. Neque verò sine causa hæc me dixisse putetis,
volo. Nam & in nobis simile quid videmus: Summo
studio quidem illud honoramus, sed solummodo extrin-
secus, & his octo diebus. Quid verò intrinsecus?
Quid reliquo totius anni tempore? Quam in religio-
ne Christiana vitam ducimus? Quo gestu coram illo
incedimus? Qua ratione vtimur? Quid sub officijs di-
uinis facimus? Quo affectu altare accedimus? Sed quid 1.Cor. 2.
multa? Nõ minor est nostra iniquitas, quàm olim filiorũ
Heli coram Arca Domini. Nobis tamen videmur satis-
feciisse officio, si extrinsecus & semel quotannis vene-
ramur hoc sacramentum. Sed quæ Deo in his esse potest
voluntas? An fortè externum quid tantum à nobis exi-
git, & suscipit? Nullo modo. Vide enim, quia externo
solummodo ritu & pompa Arcam nostram honoramus;
fit vt Philistæi, permittente ita Deo, aduersum nos præ-
ualeant, fertq; omnia Sacramenta abstulerint, quãquam
sibijpsis ad æternum exitium, sicut & Philistęi nullo suo
commodo arcam Domini prædam diripuerunt. Sed, in-
quit, quid faciendum est, quo rectè veneremur Sacra-
menta? Hoc ipsum quod hodie externè in processione
factum meministi, facito internè & spiritualiter: & vero
honore Sacramenta veneratus eris. Principio ex Sacra-
tum Scripturarum thesauro, quicquid, inquam, ma-
gnum egregiumq; operatus est Deus, profer, quo for-
tior in huius sacramenti fide efficiaris. Deinde eadẽ ipsa
fides veluti fax ardẽs lucensq; prẽcedat. Tertio, spes fi-
duciaq; tua S.S. sacramẽtum leuet feratq;. Quarto, cum
exultationis voce tua Deo canat, ipsumque laudet dile-
ctio. Quinto ab vtroque latere quatuor virtutum capi-
ta: prudentia, nempe, fortitudo, iustitia & temperantia
comitentur te. Sexto, Reliquæ virtutes bonorum cogita
tionum virido de cespite gramen, piorumq; desideriorũ
atque

atque operum suauè olentes flores spargant. Septimo, sequatur obedientia, quæ Christum in omnibus ad crucem & mortẽ vsq; sequi parata sit: parata sit, inquã, quęcunq; habet in Dei honorẽ, & proximi commodum in medium adferre: Postremo è vico in vicum, hoc est, à cognitione ad fidem, à fide in Charitatẽ & pietatis opera, imò de virtute in virtutem procede, dum peruenias,
Psal. 83. vbi Deus Deorum videtur in Sion. Hæc si Christiani faceremus, debitum huic honorem sacramento impendissemus, sed & aduersarij non haberent, quo tanquàm externis, & inutilibus deditos nos contemnerent.

SERMO SECVNDVS.

QVo magis apud me, quibus in Ecclesia cæremonijs per annum vtamur, cogito: eo amplius & rectius, qui ab Apostolis in hæc vsque tempora doctrina atque exemplis suis nos rexerunt conseruaruntque, summo omnia studio instituisse atq; ordinasse inuenio. Cuius rei tria maximè obuia sunt testimonia. Primo, quod nihil eorum, quæ ad salutem nostram pertinent, prætermiserunt, quin quotannis vel semel ea credentibus proponerent. Secundo quod singulis præcipuis fidei articulis festos dies deputauerunt, quo remotis impedimentis commodius eorum meditationi incumberent. Tertio, quod eiuscemodi res non inconsultè cõsuderunt, sed suo quæque loco atque ordine instituerunt, id quod non minimum est intelligendis rebus compendium. Quisquis enim ordine docet, citò docet. Porrò, ita in Ecclesia fieri, festi dies hucusq; celebrati comprobant, quorum vnusquisq; suum Articulum proponit: & ita temporis ordinem atq; rei seruant, vt legenti Euangelij historias, Christianæq; fidei articulos intelligenti, iusto omnia ordine instituta esse non sit obscurum cognoscere. Et licet videri possit hoc festum inuerso ordine procedere, quod Sacramenti huius institutio non post spiritus sancti missionem, sed ante passionem etiam
Matt. 26. Christi, in ipsa nimirum cœna, facta sit, inueniemus tamen & hac parte minimè rei ordinem turbatum, si, cur Sacramenti huius in Ecclesia mentio fiat, cogitauerimus. Primo enim institutionis Sacramenti huius die, per tempus, plenè atque exactè, vti oportuit de eo omnia

scrutari

scrutari ac commemorare, occupatis & intentis in vnicam Christi seruatoris passionem omnibus, minimè licuit. Sed ideo memoriam eius planè prætermittere, quæ suæ institutionis die haberi non licuit, consultè fieri nō videtur. Maxima enim atque certissima diuinæ potētiæ, sapientię, & bonitatis testimonia habet, estq; veluti memoriale quoddam omnium mirabilium quæ fecit Deus ab initio. Cur igitur nullam specialem festiuitatem, in qua eiusmodi mirabilia Dei proponerentur commodè, ac tractarentur, haberet? Et quo id tempore fieri potest conuenientiùs, quam cū percipere illud inceperunt Credentes? At certū est, vt Lucas in Actis testatur, tum primùm Credentes sese exercuisse, ac perseuerasse in fractione panis, cùm spiritū sanctum iam accepissent, cœlitus. Nec mirum: Inspirante enim spiritu sancto tandem huius Sacramenti virtutem, operationem, fructus, consolationesq; didicerunt, & agnouerunt. Sanè & nos ardentiùs cum Apostolis primisq; Credentibus hāc Christi mensam accederemus, si cum ipsis antè Spiritum sanctum concepissemus. Et hic ordo etiam Prophetis non displicuit, vt in Ioële legimus, qui ait: Filiæ Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem Iustitiæ: nempe Christum. Hic enim principium omnis lætitiæ est & causa. Sed quid sequitur? Descendere faciet Dominus imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo: nimirum, superueniente spiritu sancto. Et mox: Et comedetis vescētes, & saturabimini, & laudabitis nomen Dei vestri, & scietis quia in medio Israël ego sum. Hoc ergo aduentū spiritus sancti mox sequetur: nempe, comedemus bonū diuite Christi manu acceptum: Deumque comedentes laudabimus. Huius ecce nos præsens festiuitas admonet, hac ratione etiam inuisibili modo ob oculos omniū Sacramentum ponitur, imò vniuscuiusque fores iuxta transfertur, vt eo homines ad manducandum, suscipiēdum incitentur magis. Et hæc sanè secunda ratio, cur huius Sacramenti festa dies post Penthecosten instituta sit. Tertia verò causa est, quod Ioannes hęc tria, Spiritū, aquam, & sanguinem cōiungit. Tres sunt, inquit, qui testimonium

Psal. 110.

Ioël. 2.

1. Ioan. 5.

Roma. 8. ſtimonium dant in terra. Spiritus, aqua & ſanguis. Spiritus ſanctus teſtimonium dat conſcientiæ noſtræ, quòd filij Dei ſumus. Aqua in regeneratione teſtimoniũ dat externè in populũ Dei aſſcitos eſſe nos. Corpus verò & ſanguis Chriſti in Sacramẽto hoc participantib. teſtimonium dant verè nos incorporatos eſſe Chriſto. Quomodo igitur Ioannes hęc tria in vnum coniungit, ita etiam Eccleſia vult cõiuncta manere, ipſa Pẽtecoſtes quidem Spiritus ſancti, ac ſequenti mox Dominica aquæ & regenerationis admonens, nõ incongruè tertiũ, hoc eſt, Sanguinem Sacramentum nempe corporis & ſanguinis Chriſti, hodie addit, vt nemo non fidelis Chriſti miles, quibus armis vndecunq; inſurgentibus aduerſis ſe poſſit tueri, munire, atq; firmare, agnoſcat. Vides ergo, ex enumeratis inſtitutionis ſuæ cauſis, hoc ipſum feſtum iuſto, vt alia, ſuoque ordine inſtitutum eſſe. Id quod ideo prolixiùs oſtẽdere neceſſe videbatur, vt videamus inſtituti huius vrgentes fuiſſe cauſas, aduerſus eos, qui huiuſmodi iam dudum abolita cuperẽt. Cum enim ipſo inſtitutionis ſuæ die, ſacramenti huius myſteria, temporis arctati anguſtia commemorare nequiuimus: meritò alia illi deputata eſt dies, & quia mox vbi cœlo elapſus fuiſſet ſpiritus ſanctus, Apoſtoli cõmunionem illius Sacramenti frequẽtare cœperunt, rectè & nos ad eius cõmunionem illo ipſo tempore excitamur. Et quia Ioãnes quoq; tria hæc, ſpiritũ, aquam, & ſanguinem, vt certiſſima ſalutis noſtræ, Deiq; erga nos dilectionis, ſigna & teſtimonia, copulauit: nos verò proximè præteritis diebus priora illa duo, Spiritũ & aquam in memoriã reuocauimus, aptè ſanè tertiũ nunc illis coniungimus. Quid ergo Eccleſię hoſtes huic inſtituto obganniunt? Sed, inquis, non de inſtitutione, ſed de vſu, imò abuſu feſti huius loquor. Incluſum enim in templo aſſeruatis ſacramentum, in plateis ac vicis circunfertis, adoratis: & ea omnia contra inſtitutum Chriſti, eoq; hic veſter cultus mera idolatria eſt. Agè ergo huic reſpondeamus, & iniquè huiuſmodi rebus Eccleſiam culpari damnariq́ue oſtendamus. Principiò verò & mihi quædam cùm in ſacerdotibus, tum etiam laicis diſplicere, non approbari omnia teſtor: quin & abuſus nonnullos irrepſiſſe, qui

rectius

rectius iamdudum vel emendati vel ablati essent. Video cultum, honoresque, quos huic Sacramento non sine fastu exhibemus, nihil ferè quàm externum ritum quendam ac pompam esse: & hoc sibi quisque placet magis, quasi satis abundè hoc sacramentum veneratus, quo superbiore ac procaciore fastu se omnium oculis exposuerit: nulla tamen interea pietas, nulla fides, nullus amor, nulla nec diligentia nec intentio in nobis animaduertitur. Equidem nō dubito, propterea, tot errores, tam grauia scādala Deum in Ecclesia permittere, quòd tot nominibus hoc sacramento abutimur: nempe iusto Dei iudicio, mensa nostra nobis fit deserta, & in retributionem & scandalum: completurq; in nobis, quod olim in Samuel scriptum est: Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt: esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Non enim dum verus Sacramenti huius vsus obseruatus est, Diabolo errorem machinis illud impugnare permissum fuit: & contra alios quidem fidei nostræ articulos iam olim ab initio pugnauit strenuè. Nullus verò aliquot centenis ab ascēsione Christi annis, aduersus hoc Sacramentum insurrexit: sed semper apud omnes Christianos hæreticos atque fideles sumus illi cultus exhibitus est. Sed tandem mille præterlapsis annis, cum iam charitas pietasq; in credentium pectoribus refrigesceret, tum, inquam, Diabolo hoc etiam, vt reliqua omnia, pugnare Sacramentum permissum est. Et id quidem impigrè fecit per Berengarium quendam, qui à CHRISTO nato anno millesimo quinquagesimo & primo vixit. Hunc Berengarium primum Sacramenti huius insectatorem posteà alij ita secuti sunt, vt hæc nostra tempora nullum in re Ecclesiastica maius dissidium, quàm in Sacramenti materia videant. Sic Deus ingratitudinem nostram, & diuinarum rerum abusum corripit, & vt nos ipsum honorificamus, ita rursum ille nos glorificat: iustus Dominus, & rectum iudicium eius. Sed hæc omitto, vt ad institutum redire liceat. Nolim ergo, inquam, quæ circa hoc Sacramentum fiunt excusare omnia: veruntamen nec quod bonum est reijcio

1. Reg. 2. Lucæ. 1.

Psal. 118.

reijcio & damno, nec vt solent qui simul cum zizania
Matt.13. triticum euellunt, quæ ab exordio Ecclesiæ obseruata sunt carpere velim. Ergo principio hoc ab aduersarijs quæro: quamobrem S.S. Sacramentum in Ecclesia asseruandum non sit? Non, inquiunt, hic Sacramentum, sed vbi distribuitur est. Sed hoc ipsum, quod aiunt, Sacræ Scripturæ testimonijs comprobent: id enim nisi fiat, nudis ipsorum verbis à Catholico & recepto Sanctę Ecclesiæ sensu nō amouebimur. Quod si hoc ais, ideo à Christo institutum fuisse non vt clausum pessulis in Ecclesia conseruetur, sed vt mauducetur, vt percipiatur: Accipi-
Matth.26 te ait enim, & manducate: rectè id quidem, frater, nulla alia ratione in Ecclesia asseruatur, nisi vt pro infirmorum necessitate suo semper percipiatur tempore. Sed addis: Non est Sacramentum iam, ita asseruatum. Respon. Audio id quidem, sed abs te, ita esse adhuc demonstratum non video. Addis præterea: Quemadmodū Aqua, Chrisma seu oleum cum non vtamur Sacramenta non sunt, ita sine vsu nostro, hoc Sacramentum non est. Respon. Non hoc tibi vnquàm concessum est, quod rectè concluſum sit. Iniqua hæc consequentia est. Nusquam enim Christus dixit: Hæc aqua, lauacrum regenerationis est: hoc oleum Sacramentum est: hic verò panem designans ait: Hoc est corpus meum. Vnde quoties illum panem, siue panis illius speciem demonstro, toties ibi Sacramētum corpus & sanguis Christi est. Virtus enim Sacramēti huius verbo Dei cōsistit: quo super conuenientē prolato materiā, est manetq; corpus Christi, seu hodie crāsue, seu post mensem percipiatur. Id quod irrefutabiliter demonstratiuū illud, HOC, conuincit. Aut tu his cōtrarium sacræ scripturæ testimonijs, adser. Si enim dixeris, naturâ ipsa comprobari, nempe quemadmodū panis nō nisi manducatus nutrit, & sigillum nisi impressum non confirmat: ita & hoc Sacramentum nisi mansum nihil prodest. Respon. Non hoc scripturas, sed incompositi cerebri tui est adferre somnia. Et quis es ô homo, qui tanta procacitate, leuissimis de causis, absque vllo scripturæ sensu de immensæ sublimitatis rebus, contra communē Catholicæ Ecclesiæ sensum loqui audes? An Dei opera per naturæ operationes probare vis, & quod in natura

non

non inuenis, nec in Dei factis credere consentis? An nō vides nihil in hoc Sacramento secundum naturam fieri? An, omnia hic per omniporens illud Dei verbum fieri non intelligis? Deinde, vt tibi concedam panem non nisi manducatum cibare: panis tamen qui postea manducantem nutrire potest, manet. Eadem etiam sigilli ratiò est: & ita sanè Sacramentum hoc nihil licet non vtentibus prosit, nihilominus in seipso Sacramentum permanet. Quanquam nec hoc concedo, quod nihil Sacramētum hoc vtilitatis nisi corporaliter dentibus mansum, adferat. Duplici enim ratione illo, nescio vtimur ne dicam, an fruimur: Spiritualiter & Sacramentaliter. Frui ergo illo per fidem, desiderium, deuotionemque solo licebit aspectu. Vides ergo adductas panis atque sigilli similitudines nihil in hac probare materia. Insuper, cum nonnunquam plus mille cōsecrantur hostiæ simul, audire cuperem: qua ratione corpus Christi non erit in quibusdam superfluis, cum tamen reliquæ omnes vt verum Christi corpus distributæ sint, & vnum idemq; Christi verbum etiam super superfluas prolatum est. Hic ergo, inquam, apertis scripturis ostēderent, non esse in quibusdam superfluis hostijs verum Christi corpus, ita vt id conuincerent. Et quando id faciunt minimè, vti nunquàm poterunt, sanè in communi Catholicæ Ecclesiæ perseuerabimus sensu, qui docet prolatis debita intentione & circunstantijs super panem consecrationis verbis, mox adesse corpus Christi, & manere dū forma illa panis manet. Ac ideo merito hoc Sacramentum in Ecclesia asseruatur. Idem de eo quod credentibus ostenditur, atque circunfertur dicere licet. Fit enim quicquid eius est, ideo, vt eo magis ad communionem populus incitetur, ac propterea non aduersatur, sed iuuat & commodat instituto Christi. At, inquis, vos adoratis isthoc, de quo loquimur Sacramentum. Respondeo: Sacramentum, id est, visibilem panis viniq; minimè adoramus speciem, sed ipsum Christum in Sacramento substantialiter præsentem. Sed nusquàm id, ais, Christus fieri præcepit, nec ideo instituit vt adoraretur in eo. Respon. Non ideo etiam Christus, vt adoraretur, in terras venit: sed vt illuderetur, &

Matt. 20 crucifigeretur. Filius hominis, inquit, non venit ministrari, sed ministrare: non tamen ideo magos idololatros dixeris, quod in præsepio iacentem adorauêre: nec cæcum natum impietatis argues, qui & ipse adorauit. Omnia hæc aduersariorum argumenta, ex impio fundamento emergunt: nempe omnem Dei cultum, sine certo mandato scripturæ meram idololatriam esse, nec vllum opus bonum æstimari, aut Deo placere, quod non præcepit. Sanè impium hoc fundamentum est, id quod vbique Scripturæ testimonijs approbatur.

Matt.2. Ioan.9.

Gene. 4. De Abel Moses tradit, quod ipsum & munera eius Deus accepta habuerit, nec vsquam tamen inuenitur hoc vt

Gene.8. faceret mandatum accepisset. Idē de Noë legimus, quod post diluuium Deo sacrificauerit, Deoque sacrificium illius placuerit, nusquam etiam hoc præcepisse Deum legitur. Ita Christo placuit, quod Magdalena vnxit

Ioan.12. breui post tempore crucifigendum, & factum laudat: nō tamen ita præceptum illi fuisse Euangelistarum vllus commemorat. Ita Lucas Euangelista Annæ viduæ pietatem prædicat, quod die ac nocte à templo non recesserit, quod Deo ieiunijs & obsecrationibus seruierit: neque tamen id vllius præcepti feciisse respectu scribitur. Et id genus exempla infinita propè adferre possem. vnde facilè est videre, nihil conuincere argumentum hoc quod aiunt: Christus non præcepit se adorari in sacramento, igitur adorandum non est. Nouit Ecclesia non minus hic præsentem esse Christum, quàm cùm in præsepio iacens vagiret, in cruce confossus penderet, aut etiam nunc à dextris Dei sedet. Tum nec ignorat Christi corpus non emortuam sed viuenti semper dietati vni tam carnem est. Semel enim mortuus est, iam non moritur vltra: & quod semel diuinitas assumpsit, nunquam deseret. Nam & eadem diuinitas Christi corpori in sepulchro, & animæ eius in inferno coiuncta mansit. Nouit etiam, non solum hominem eum, sed & Deum esse: eoque veneratur, adorat, inuocat: vbicunque præsentiam suam ostendit, siue in cœlo, in cruce, in præsepio, vel etiam in Sacramento. Vides ergo Christianos cùm Christum in Sacramento adorāt, nihil aduersus religionem nostrā, nihil idolatricū facere: sed quod debet, &

Rom.6.

lex

lex præcipit Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Sed nunquid satis est Sacramentum hoc in Ecclesia asseruare, ostẽdere, in eoq; Christum adorare? Minimè. Nam hac sola occasione quibusdam quicquid circa hoc Sacramentum facimus, reijcitur: quod nihil præterea agimus, quàm Sacramentum hoc externo ritu veneramur, monstramus, circunferimus, adoramus, secluſum reponimus, satisfeciſſe arbitrantes cum minimè id sufficiat. Quæris quid præterea requiratur? Accipite, inquit Christus, & manducate, hoc est corpus meum. Et iterum: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Et Propheta: Manducabitis, & saturabimini. Sed inquiet aliquis: Audio igitur non satisfieri huic festiuitati, nisi corporaliter omnes Sacramentum illud manducauerimus. Respon. Non hoc omnino necessarium esse aio. Veruntamen adhuc dico commodius nos nihil facturos esse hodie, quàm si Apostolorum imitantes exemplum, omnes hoc Sacramento participauerimus: ne semper nobis obijciant aduersarij, sæpe nos adorare Sacramentum hoc, sed vix semel toto anno communicare, id quod in primis præcepto mandatum est. Tum omnibus per necessarium duco Sacramentum hoc spiritualiter suscipere, si modò hãc diem rectè festam agere voluerimus. Huc ergo pertinet, quod Christus non simpliciter dicit: Manducate, hoc est corpus meum, sed præmittit: Accipite. Tũc porrò illud accipimus, cũ magni facinus, indubitatò credimus, cum gratiarum actione diligimus, sæpe cum omni diligentia commemoramus. Quod si ingenuè Christianus es, illud accipe, Dei omnipotentiã, sapientiã, & bonitatẽ maximè verò saluificã Christi passionẽ in memoriã reuoca: admirare hæc omnia, inq; ijsdem exulta, da gloriam Deo, iubila, & exulta, & quacunq; potes via incũbe, in tuos vsus hoc sacramentum conuertas. Ingens enim infœlicitas alioqui est, multa si quis possideat bona, quorum tamen vsum nesciat, ijsue vti non audeat, imò certissima Dei maledictio est, spirituales ob oculos habere cibos, ijsdem tamen non posse vti. Agite ergo cum omni pieta-

Deut. 6.

Matt. 26.

Ioan. 6.

Ioël. 2.

Ecclc. 6.

4. Reg. 7

te hoc Sacramentum apprehendamus, eoque illud diligentius, quo maiora hac tempestate contra nos insurgunt pericula. Nulla enim illo aduersus omne malum exurgens, peccatum, mortem, Diabolum, mundumque præsentius remedium est. Vnde & Apostoli ipsi ante omnia hoc se munierunt armaruntq; Sacramento contra persecutiones mundi, quemadmodum Actorum illud volumen testatur, cum perseuerantes eos fuisse in communione fractionis panis. Idem postea Sancti Martyres fecere. Nec vlla nos fortiori armatura etiamnũ aduersus immanissimæ crudelitatis hostem Turcam obfirmauerimus, quàm hoc ipso Sacramento: Primo enim, quo maiora excellentioraque in eo Dei videntur magnalia, eo firmiorem inde cõcipiemus fidem, quod ipse etiam nostrorum hostium vires possit infringere. Secundo, quo propinquior Christus in hoc Sacramento nobis est, eo confidentius ipsum inuocabimus. Tertio, quo manifestius hic videmus Christum pro nimia sua charitate mortem nostri causa voluisse subire, eo magis & nos animas nostras pro fratribus ponere, maximè pro Christo, ad conseruandam illius nominis inter impios gloriam, monemur. Quarto quo clarius hic claritatis, vnitatisque admonemur, cum omnes vnum corpus sumus, omnes de vno pane, & de vno calice participamus, eo fortius ad subueniendum omni quo licet modo fratribus nostris Turcæ persecutionem incursionesque sufferentibus, incitamur. Vides ex his omnibus quàm multis modis hoc Sacramentum commodis nostris cõmodet, tantum si rectè & cum intentione illi immoremur. Accipite ergo, ô Christiani, & manducate. Hoc enim vnum illud & præcipuũ huius festiuitatis institutũ est. Gratia Dei nobiscum, Amen.

Acto. 2.

SERMO TERTIVS.

Super antiphonam, O sacrum conuiuium.

EVãgelium hoc ita à Christo dictum, ita etiam à Ioanne perscriptum est, vt quomodo huic festiuitati conueniat, non sit necesse pluribus ostendere. Nemo tam rudis, qui non videat, idem vtrobique & in eundem finem omnia directa esse: nempe hoc apud se funda-

fundamento posito, quod Christus non solum fide apprehendendus, verumetiam in Sacramento percipiēdus & incorporandus nobis est. Et ea ratione quod Christus in Euangelio verbis docet, idipsum in Ecclesia præsentatur factis, & quod illic audimus, hic ipsi coràm videtes intelligimus. Iudæis sanè paulò ante Euangelij huius lectionem Christus loquens, ait: Non Moses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verū. Et mox, Ego sum panis viuus, qui de cœlo descēdi. Nobis præsens festiuitas loquitur: Ecce panis angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus. Mirum igitur, nostrum seculum aliud tanquàm verè diuinum & sanctum amplecti, aliud verò vt inutile & impium reijcit atque condemnat. Nulla de Euangelio querela est, & id quidem meritò. Tantum hæc festa dies quorundam palato insuauior est: cum tamen, vt dictum est, idem velit, requirat, vrgeat, quod Euangelium, quin apertè demonstrat, quod promissiones suas CHRISTVS impleuerit, ad gratias agendas nos hortatur, eiusmodi dona ac monilia magnificare docet, nempe quæ Opt. Maxi. pro charitate sua singulari in sempiternam fidem spemque nobis dispositi. Hæc illa sunt, quorum causa hæc festiuitas ordinata est. Si ergo iustum est, mirabilium beneficiorumque Dei meminisse, si propterea summæ illi maiestati laudes dicere Christianum est, si æquum est à Deo porrecta dona in pretio atque æstimatione habere: certè de hac festa die queramur non est. Nam quod nonnulli prætendunt: non ideo Sacramentum hoc institutum esse à Christo, vt adoretur, circunferatur, demonstretur, & spectaculum exponatur omnium oculis, sed tantùm vt de eo participemus: præcedenti sermone redargutum est ita, vt sit vnde piè Christianus conscientiam suam aduersus quorumcunque blateramenta pacificare possit. Sanè quod alij inferunt, nouum esse festiuitatis huius institutum, veteres nihil mouisse tale, nihilominus tamen in magno pretio Sacramentum hoc habuisse, facilis est solutio. Vero non ab est ante quadringentos annos nullum festiuitatis huius fuisse vsum. Tum facilè hoc quoque do,

non eam antiquioribus cæremoniarum numerositatem circa hoc Sacramentum fuisse, quæ nunc est. Neque enim illa tempora, quibus omnium mentes amore, pietate, & reuerentia erga illud ardebant Sacramentū, eiuscemodi externas admonitiones requirebant. Nemo tunc de veritate eius dubitabat, omnes verum Christi corpus sanguinemq;, imò totum Christum in eo præsentē indubitatò credebant, eoq; dignum arbitrabantur, summo illud haberi in pretio. Maturatè satis in primitiua olim Ecclesia credentes in varias diuidebantur sectas, hæresis hæresim, error tangebat errorem, alij alia atque alia adoriebantur: nemo tamen aliquot centenis annis post Apostolos de veritate corporis & sanguis Christi in hoc Sacramento addubitauit. Id quod sanè miraculo non caret, ac singulari quadam Dei prouidentia factum est. Nihil enim est per se mirabilius, nihil creditur difficilius, nihil est quod minus cum ratione nostra conuenit, in nulla re alia maiora exhibentur miracula, quàm in hoc Sacramento: nihilominus tamen DEVS, ne mille & aliquot annorum tempore impeteretur, conseruauit. Tum demum in Gallia Berengarius quidam non ita doctus, sed nasutus exurgens, primus in dubium vertit: sitne verè corpus & sanguis Christi in Sacramento, an non: Et hic sanè mox assecias sui erroris inuenit non paucos. Et quanquàm postea in Concilio Tyronensi eo induceretur, vt errore suo agnito, reuocaret, palynodiam caneret, ad Ecclesiæ sensum rursus accederet, idem tamen venenum in aliorum mētibus perseuerauit, qui deinde etiam atque etiam renouarunt illud & latius diuulgarunt. Itaque mortuo iam Berengario centum annis, Almaricus quidam errorem hunc renouauit, quem secutus est Vuicleff in Anglia, idemq; tertiò vulnus refricauit. Quando igitur tot modis Sacramentum hoc impetebatur, omnino necesse erat, vt quacunque licuit ratione simpliciores in amore, pietate, atque obseruantia eius retenti non seducerentur. Vide ergo hinc præsens isthæc festiuitas est. Nisi enim Berengarius cum suis successoribus credentes à reuerentia Sacramenti alienasset, hoc festo reducere eos necesse non fuisset. Eadem etiam ratio in alijs rebus videtur.

detur. Antequam Arrij increſceret error, pauca de Triade illa ſancta conſcripta ſunt: Neque enim neceſſe erat nemine hac de re hæſitante, omnium fide conſentiente. Et ſanè verisimile eſt, nullum illo tempore de Trinitate feſtum diem celebratum fuiſſe. Sed inſurgente aduerſus eam Arrio, & prævalente errore, vndique repugnãdum ſcribendum atque diſputandum erat: Illuc vt quotidiano ſacro fidei, quod de Triade illa eſt, ſymbolum palam confiterentur cantarentque ſacrificantes illic feſtum Trinitatis, inſtitutum eſt: nempe vt omnes in ea, quæ de Trinitatis myſterio, eſt fide conſtantes perſeuerarent. Similis hodiernæ ſolennitatis ratio eſt. Serò inſtituta eſt, ſerò Sacramentum hoc impugnauit Diabolus: Quod ſi citius impugnaſſet hic, tempeſtiuius patres contraſtetiſſent. Nulla ergo nobis reijciendi hoc feſtum ſupereſt occaſio. Quin verò ſi nullo vnquam tempore neceſſarium fuit, noſtro eſt quàm maxime. Quæris quì hoc? Ecce noſtra ætate non vnus aliquis Berengarius oppugnator Sacramẽti huius eſt, ſed innumeri. Ille ſignũ ſeu figurá tantũmodo corporis Chriſti eſſe aſſerit. Hic quidẽ corpus Chriſti eſſe nõ diffitetur, ſed ſimul cũ illo panẽ & vinũ manere aſſerit. Tertius ſacrificiũ negat. Quartus propter ambarum ſpecierum defenſionẽ litem mouet: Quintus conſecrandũ niſi preſentibus cõmunicãtibus, prohibet. Sextus denique ioculatorio modo ea leuitate tractat, ita nugas agit cum de eo loquitur, vt ſimplicibus rectius quicquam de eo opinari vix liceat. Et quis enumerandis his malis ſufficiet? Quid verò ſimplices fortiores in huius Sacramenti fide hoc ipſo feſto reddet, conſeruabitque? Sanè niſi iam inſtitutum eſſet, vt inſtituetur etiam nunc neceſsitas poſtulat. Non poteſt hoc Sacramentum ſatis inculcari, quin adhuc inculcetur neceſſe ſit. Nec tàm expreſſe eiꝰ tradi poteſt ratio, quin eò nos abducat hoſtis noſter, vt quotidiè amore noſtro erga ſummum illud Sacramentum, permultum decidat, pereatque deuotio. Quid velit aduerſarius, videmus: cogitationes illius nouimus: vtinam cognoſceremus etiã, & eam ob cauſam noſmet prudentius armaremus. Sed hæc dicere volui, ſimpliciũ cõmodis cõſulens. Nũc porrò & illud audiamus, qua ratione hodiè ipſum

nobis propositum sit Sacramentum, ne cæremonijs tantum dediti quasi confidere videamur, neue festa nostra tanquã pompę apparatum & ostentationẽ reijciant aduersarj. Sane quidem rudibus consultũ volentes, libenter cæremonias cõmiemus, vt ijs ad honorem & reuerẽtiam Sacramenti attrahantur. Neq; tamen dubito, si quis ea, quæ de Sacramento hoc nostro decantata sunt hodie altius secum considerauerit, fore vt rectius alijs de nobis iudicet, nimirũ non nudas esse cæremonias intelligẽs. Id nunc exẽplis demonstrare libet. En ergo ita hodie decãtatum audiuimus: O sacrũ conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futurę glorię nobis pignus datur. Alleluiah. Hanc Ecclesiæ cantionem commendatã vobis hac vice cupio, eamque hinc vobiscum deportetis, domiq; in mentium vestrarũ penetralia recludatis admoneo. Quicquid enim de hoc sacramento, vel cogitandum vel credendum, vel etiam æstimandum sit, omne his paucis verbis comprehensum est. Quinque verba (vt ita censeam) habet, quorum quodlibet peculiare aliquid, vel ad consolandas conscientias, vel ad cõfirmationem fidei vel ad excitandum amorem laudesque Dei, ad doctrinam, admonitionem, cautionemque plurimum valet. Suntque eiusmodi omnino, quę nemo sine magno dispendio ignorat, quibus etiam humanæ mentes aduersus ipsas inferni portas obfirmari atque muniri possunt. Imò etiam ijsdẽ his verbis quinq; rationes inuenimus, cur toties hoc sacramentũ proponatur, cur etiam toties acclamatur nobis: Tantum ergo sacramentum veneremur cernui, & antiquum documentum nouo cedat ritui, præstet fides supplementũ sensuum defectui. Prima oratio est, vt hoc amplius Christianæ dilectionis atque concordiæ admonea mur. Secunda, vt confidentius credamus, quòd Christus noster sit. Tertia, vt minus eorum, quæ Christus pro nobis fecit & passus est, obliuiscamur. Quarta, vt ardentius Dei gratiam desideremus: & quinta denique, vt audentius futuram gloriam speremus & expectemus. His de causis toties nobis Sacramentum hoc proponitur. An non tibi satis ponderosæ hæ rationes videntur? Quid Christianos magis decet mutua dilectione, quid

quid prodesse ac iuuare in omnibus magis poterit concordia? Quid in omni aduersitate certius firmiusq; erit, quàm Christo counitum esse? Quid nos fortius aduersus commissa poterit consolari, præter passionem mortemque Christi? Quid est quo magis indigemus, quàm gratia Dei? Quid beatius, quam in his etiam terris futuræ fœlicitatis arram custodire? Quod si vel vna tantum ex istis omnibus ratio subesset, minimè mirandum, imò dignum & iustum dicendum esset, etiam quotidie aut singulis horis Sacramentū istud proferri: quanto minus hanc consuetudinem vt inutilem, cum tot vrgentes causæ adsunt, damnare debemus? Propterea vt omnes his cæremonijs commodius vti possimus, non video quomodo rectius reliquum orationis impendam, nisi si cantionem illam Ecclesiæ fusius enarrauero. Vos interea monitos oro, sinite, hæc multum apud quemlibet vestrum verba valeant. proculdubio enim à Spiritu sancto profecta sunt, ex sacræ Scripturæ nimirum voluminibus desumpta. Principio igitur sacramentum hoc non simpliciter epulum, siue conuiuium dicimus. Dauid quidem cibum vocat, Christus verò cibum & potum appellat, sed & vitæ panem idem dicit. Paulus cœnam Domini, panem & calicem Domini nominat. Quæ omnia eò faciunt, vt non solum prædicetur, credatur, videatur & in pretio habeatur, verumetiam vt percipiatur, quemadmodum in primitiuæ videre est Ecclesiæ patribus: nempe, in doctrina Apostolorum, oratione, & fractione panis perseuerantibus. Hic porrò adhuc aliquid præter ea innuitur. aliud perceptioni illius tempus deputatum est, quando, quomodo cibus sit, qua etiam pietate percipiendum sit, traditur. Hodie non iam vt cibum simpliciter, sed veluti conuiuium proponitur. Id quod longè aliud est. Cibum enim pro se quisque, & solus capere potest: conuiuium est vbi plures simul discumbunt. Vult ergo Christus sacramentū hoc suū, non cibum esse, quem sibi quisque sumere possit: sed conuiuium, vbi multi, imò omnes Christiani simul manducēt. Et hic statim consideratur, ideò illud instituisse Christū, maximè, vt per ipsum Christiana conseruetur dilectio, nosque ad mutuam charitaē & vnanimitatem trahantur.

Psal. 110.
Ioan. 9.
1. Cor. 11.
Acto. 1.

hamur. Esse, inquã, debuit concordiæ signum, dilectionisque vinculum: quemadmodum in externa etiam consuetudine est, ibi amicitiam foueri, vbi plures manducaturi discumbunt. At vbi se quisque subtrahit, nullam ibi foueri dilectionem indicium est. Videte ergo fratres, hoc ipsum Christus voluit. & hac ratione Græcis συναξις dicitur, nos Communionem vocamus: rem nimirum, de qua plures homines, omnes Christiani participant. Ac propterea quidem Christus ante postque Sacramenti huius institutionẽ, tanta discipulos fidelesque suos diligentia, dilectionis mutuæ admonuit, suoque exemplo inculcauit. Imò hac ipsa etiam ratione in ijs rebus hoc sacramentum instituit, quæ ex multis vnum fiunt, vt in pane & vino: ex multis nanque granis vnus panis conficitur, & ex multis acinis vnum vinum confluit. Eiusmodi ergo sacramentum suum Christus esse voluit, quod ad vnitatem nos attraheret, imò quo ipsi inuicem vnus panis vnũque corpus efficeremur, maneremusque, quotquot de vno pane & de vno calice participamus. Et eo modo etiam veteres illo vsi sunt, cũ ex peregrinis conuenientes nationibus, hoc sacramentum veluti fidei concordiæque suæ testimonium alter alteri mittebant. Idem de primis Ecclesiæ membris post ascensionem domini legimus, quorum omnium hoc conuiuio cor vnũ & mens vna fuerat. Sit ergo illud primũ, cuius hoc sacramentum nos admonet, Christiana nempe vnitas. Ideo enim conuiuium dicitur. Quàm verò è re Christianæ Reipub. esset, nos vnicum hoc diligentius considerare verbum, qua tũ facilitate vitia nostra ipsimet agnosceremus? Quã nos peruersitatis illius nostrę puderet, qui tã multa de hoc sacramẽto loquimur, prędicamus, conscribimus: nihilominus rectà in sensum illius peccamus? quid illi discordia, lite, bello, simultate, inimicitia, sectis & denique disidio magis contrariũ? Quibus vero rebus hac nos tẽpestate perinde dediti sumus atq; discordijs inimicitijsque disseminãdis, & quod multò etiã pestilentius, ex ipso hoc eodémque sacramento disidiorũ semina causasque seligimus, quo Christus colligere nos, & in vnũ coalescere voluit. Et vt in summa dicam, nolumus vt nobis conuiuium sit, quo mutui admoneamur amoris quisque

de

de eo in suæ pertinaciæ angulum rapit ac detrahit, illoque pro suo arbitrio vtitur, inuisis & contemptis alijs omnibus. Et in tanta omnium discordia nunquã rectius in vsu fuisse hoc sacramentum nobis persuademus. Imò verò nunquam hoc modo illo vsi sunt credentes. Neque enim hucusque perstitissent, iam olim dissipata interijsset Religio, si tantum ad disseminanda dissidia ab exordio Ecclesiæ patres illo vsi fuissent. Sed melior sanctas mentes inhabitauit scientia, melioribus etiam vsibus hoc sacramentum accommodauit antiquitas, nempe ad vnanimitatis, dilectionis, pacisque incitamentum. Idẽ tu quoque ô ingenue Christiane facito, agnosce qua sacramentum hoc non cibus priuatorum est, sed conuiuium omnium Christianorum, scito, inquam, alios quoque inuitatos esse, partemq; in illo habere. Hoc age, vt in illa vnitate inueniaris, non solum cum omnibus in vniuersum, verumetiam cum quocunq; Christiano in specie: quandoquidem omnes ad eandem mẽsam tecum accumbere, eodem cibo potuque participare, idemque etiam tecum corpus esse agnoscis. Ecce hæc primum illud verbum nos docet. Sed & illud attende: Sacramentum hoc, non solum conuiuium sed et sacrum conuiuium esse. Id quod inter hunc aliosque cibos discernit, & quales hoc sacrum epulũ conuiuas requirat, admonet. Corinthijs Paulo adhuc viuo eò ferè res deuenerat, vt ex Sacro cõuiuio factũ fuisset prophanum, quare acriter eos Apostolus increpauit, primæ illius institutionis seriem denuo inculcans, vt sacrum esse conuiuium intelligerent, ac singulatim noctis illius, in qua Dominus in mortem tradebatur, meminit, quo Iudam omnes in memoriam reuocarent, ac latæ super eum sententiæ meminissent, vt quisque seipsum probaret, ne in tam sacrum conuiuium impingeret. Id quod nunc prætermitto, quod ad cœnæ domini tempus, quo communicare consueuimus, pertineat. Sed nunquid hoc totum illud est, inquis, quare sacramentum illud proponitur nobis, monstraturque hodie? Minimè. Nam & aliæ plures rationes subsunt: nempe, quod ipse CHRISTVS in eodem Sacramento sit, hoc est, nó solum admonemur illius communionis, quę nobis cũ fratribus cæteris est, verumetiá illius, quę nos Christo cõ

1. Cor. 11.

iungit.

Ioan. 17. iungit. Non hoc solũ ille vult, vt inter nos fratres cõmunem foueamus amorẽ, sed ipse etiã se nobiscũ, nosq; secum vnũ esse exigit. Quid enim prodesset adeò nos mẽbra inuicem coagulata esse, nisi & ipse Christus vnũ nobiscum esset? In externis quidẽ rebus cõcordia nonnihil
Pro. 18. cõmodat, teste Salomone: Frater, inquit, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma est. Sed in spiritualibus, nisi cũ Deo vnum facti, nihil prodest. Propterea in cœna nõ so-
Ioan. 13. lum dicit: Mandatũ nouum do vobis vt diligatis inuicẽ:
Ioan. 17. sed addit postea: Pro eis rogo pater, vt sint vnum sicut & nos vnũ sumus. Ego in eis & tu in me, vt sint cõsummati in vnũ. Quin propterea etiã non solum Euangeliũ suum dedit in corda nostra, non solũ etiã spiritum suum in animas nostras infudit: sed etiã corpus sanguinẽq; suũ porrigit, vt eo arctiùs fortiusq; illi cõiungamur, incorporemurq; ac si diceret: Ecce oẽs ad eandẽ mensam inuitaui,
Zach. 2. vt vnanimes sitis, pacemq; cõseruetis: Quod si feceritis, ero & ipse ego vester, & qui vos tetigerit, pupillam oculi mei tanget. Nec solum inhabitabo in vobis: verumetiam vnum vobiscum corpus ero, ita vt membra vestra mea sint, in quæ deitatis meæ potentiam effundam. Illa enim vos indigetis, & mihi eius abundãs copia est. Ecce quomodo Sacramento hoc non solùm fraternitatis, quæ inter nos erit, verumetiam coniũctionis nostræ cum Christo, admonemur. Id enim significamus, cùm in Ecclesia canimus: O sacrum conuiuiũ, in quo Christus sumitur. An non igitur immensa consolatio est, quia Sacramentũ hoc certissimum testimonium perhibet, quòd cũ Christo & electis omnibus communicamus? Quomodo in terris sufferri possemus sublimiùs? quam hoc sacramento firmiorẽ spẽ desideramus? Ad hæc in eo etiã memoria passionis Christi recolitur. Quid verò aliud Christi passio fuit, præter victimam pro peccatis nostris? Illius ergo passionis & victimæ (hoc est, quod Christus idem corpus quod in sacramento percipimus, eundem sanguinem quem hic bibimus Deo patri obtulerit) in hoc sacramento memoria recolitur, nec memoria tantum, verumetiam quasi visibili quodã repræsentatur: Nõ quod denuò crucifigatur, vt quidam blasphemi blaterant: sed quia crucifixus & in semetipso oblatus Christus, Deo patri in sempiter-

piternam memoriam præsentatur, quòd tam charã, pretiosam, dignam, sufficientemq; victimã pro delictorũ nostrorũ expiatione dignatus sit suscipere. Hac ratione in hoc Sacramento memoria passionis Christi recolitur, quæ sanè vna in præcipuis institutionis eius causis est. Accipite, inquit Christus: Hoc facite in meã commemorationem. Manducabimus & bibemus, eiusque passionẽ in memoriam reuocabimus. Hæc duo sanè cunctis temporibus in vsu manent. Sed quia ad perceptionem Sacramenti illius non cogimur: non ideo tamen passionis memoria intermittitur. Id quod præcipuũ in Ecclesia sacrũ est, iuge nempe sacrificium, quod nulla die prætermittitur. Hæc summa fiducia nostra est, quòd corpus Christi in cruce oblatũ, & sanguinem eius in nostrorũ peccatorum remissionẽ effusum habemus. Illa nempe oblatio irã Dei mitigauit. Ille sanguis peccata nostra abluit. Illa oblatione omnia nobis obtinuit: Et quia duo illa certò nobis adsunt, non est, quod porrò Dei iram extimescamus, nec oberunt commissa mala, imò omnia etiam num apud Deũ patrẽ impetrare licebit. Et hoc tertium vult. Nondum tamen ad finẽ peruenimus. Nã in hoc ipso etiã Sacramento mens nostra impletur gratia, nec id immeritò. Quæ enim illic gratia deesse potest, vbi Christus præstò est, & sumitur? Reuolue sextũ Ioannis caput, vnde hæc Euangelica lectio desumpta est, haud dubiè, quæ gratiarũ dona à Christo sperare possimus, inuenies. Et quid de gratiarum donis tantum dico? In hoc ipso sacramẽto etiã futuræ gloriæ nobis pignus datur. Certissimum est, infallibilius futuræ felicitatis pignus habere non posse nos hoc sacramento: quemadmodum nec ditiorem hic gratiæ fontem habere licet eodem sacramento. Qui mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Pignus huius promissionis quæris, en tibi sacramentum hoc atque in sacramentum arræ loco ipsum Christum. Si enim Deus donauit nobis filium suum, quomodo non omnia simul cũ illo donabit? Hinc nempe est, quod toties in Ioanne, cũ huius cibi meminit, vitam pollicetur. Sic igitur opinor videre licet, quantum in hoc Sacramento situm sit, eoque nobis pretiosius honoratiusque æstimabitur. Gratia Dei nobiscum, Amen.

Matt. 26.

Ioan. 6.

Ioan. 12.

Rom. 8.

Ioan. 6.

SER-

SERMO QVARTVS.

SI fas esset humana dicta diuinis admiscere eloquijs, oppidò quàm hunc sermonem cum Gentili quadam historia exordiri, cuperem. Sed Ieremias Propheta id
Ier.23. fieri prohibet: quid paleis ad triticum? ait. Vnicum enim Dei verbum verus animarum cibus est, quicquid humanus dictat sensus, quantumlibet egregium, si ad diuina verba conferatur paleæ sunt. Veruntamen quid oberit, ex Gentium historijs vsurpare, quod multorum
1.Cor.15. emendationi commodet? Nam & Paulus ideo quædam
Acto.17. ex poëtis, Menandro, Arato & Epimenide in Epistolis
Tit.1. concionibusque suis citauit. Liceat ergo ex Gentium scriptis exẽpla hortationesq; mutuare virtutum, veritas tamen ac fundamentum in Dei verbo petenda est. Cu-
T.Li.dec. ius igitur præsens me festiuitas admoneat, audi: Titus Li
3.lib.1. uius de Annibala Carthaginensium duce refert, quòd rebus priùs quã verbis adhortandos milites ratus, circundato ad spectaculũ exercitu captiuos montanos vinctos in medio cõstituit, armisq; Gallicis ante eorũ pedes proiectis, interrogare interpretẽ iussit: quis si vinculis leuaretur, armaq; & equum victor acciperet, decertare ferro vellet? Cum ad vnum omnes ferrum pugnamque poscerent: & deiecta esset in id sors: se quisque eum optabat, quem fortuna in id certamẽ eligeret. Vt cuiusq; sors exciderat, alacer, inter gratulantes gaudio exultans cum sui moris tripudijs arma raptim capiebat, vbi verò dimicarent, is habitus animorum non inter eiusdem modo conditionis homines erat, sed etiam inter spectantes vulgo: vt non vincentium magis, quàm benè morientium fortuna laudaretur. Dum sic aliquot spectatis paribus affectos dimisisset: concione inde aduocata ita apud eos locutus fertur: Si quem animum in alienæ sortis exemplo paulò ante habuistis, eundem mox in æstimanda fortuna vestra habueritis, vicimus milites. Neque enim spectaculum modo illud, sed quædam veluti imago vestræ conditionis erat: ac nescio, an maiora vincula maioresq; necessitates vobis, quàm captiuis vestris fortuna circunderit. Dextra læuaque duo maria claudunt, nullámne ad effugium quidem nauem habentibus: circà Padus amnis maior violentiorque Rhodano: à tergo Alpes vrgent,

vix

vix integris vobis ac vigentibus transitæ. Hic vobis vincendum aut moriendum milites est. Hoc modo dux ille milites suos, primum spectaculo deinde sermone animauit. Volui autem hanc historiam ideo sermonis huius exordio enarrare, quod idem in nobis nunc fieri videatur. Et alijs quidem festiuitatis verbis tantum modo cohortamur: hic & verbis & facto simul. Egregiũ sanè & iucundum hodie omnium oculis exhibitum est spectaculũ. Plenum cõsolatione Euangelium audiuimus. Quod si ingenui Christiani sumus, nostrã exhortationem vtrunq; ducimus, non solum Euangelium, verumetiam supplicationem. Neque hæc sine ratione moneo. Inuenias enim qui vtrunque simul contemnant. Sunt alij, quibus processio hæc ambitiosum videtur spectaculum, quasi ob superbiæ pompam & ostentationem instituta sit, eoq; plus mundo quã Deo placere studeant. Taceo interim plures esse, qui erga sacramenti huius maiestatem nec fide accendantur, nec pietate moueantur, & quo se hodie magis cernuos in supplicatione ostentarunt, eo maiore impietate reliquo totius anni tempore ista & negligunt & contemnunt. Iam verò non hoc veteres supplicationis illius instituto quæsiuerunt, vt ostentationi seruiret inani, sed quod Annibal spectaculo suo, hoc nẽpe Ecclesia ista supplicatione vult. Adhortari atque animare, vt fide in Deum fortius perstemus, vt pertinaciori virtute hosti nostro nos opponamus, vt minus mortem aliaq́ue aduersa timeamus. Quod ergo Annibal militibus suis locutus est, idem ego hic cunctis in vniuersum Christianis loquor. Si integrum est ò fratres cor vestrum erga Deum, si id animus loquitur, quod corpora hodie cernua ostenderunt, vicimus, imò vero fœlices beatiq́ue sumus. Quid enim totus hic orbis damni inferet, si ita in fide Religioneq́; cõcordes sumus, quales nos in hodie in supplicatione publica exhibuimus? Quã cladẽ Diabolus in nos inducet, si ita vt hodie in diuinorũ operũ consideratione Deiq́; laudibus perseuerauerimus? Quomodo mors ceteraq́; aduersa, ita semper in tãti Sacramẽti memoria persistentes territabit? Videtis ergo, opinor, qua ratione ipsa etiam supplicatio hodierna, quam alij, vt vanam superstitionem damnant, nobis commodare possit quan-

quanto magis Euangelium, ipsiusque Sacramenti institutio? Sed quid his immoror? Sic festiuitas isthæc instituta, sic scripturis, cõcionibus cęremonijsq; ornata est, vt merito exultemus Christiani: quanquã vt nũc sunt hominũ mores & flendum erit. Nũ nunc de illis dico, qui hãc festam diem planè reijciunt. Quid enim mihi de ijs, qui
1. Cor. 5. foris sunt iudicare? Iudicem Deum habent, cui rationem reddent de quocunque cùm facto tum verbo, siue illud bonum, siue impium. De nobisipsis loquor, qui hanc festiuitatem celebrare nõ recusamus, qui diuersos sanè honores huic Sacramento impendimus. An igitur non est res mirum in modum miseranda, illa nos habere bona, tamen omnino non aut certè rarissimè ijs vti? An non dignum omnium risu, ita nos festos agere dies, ita multum circa hoc sacramentum turgere pompis, nec vnquam tamen quid hæc ipsa sibi velint cogitare? An non est contemptus, per omnes plateas sacramentum hoc propter omnium fores deferri, à nemine tamen recipi. Iam verò id Deo in nobis placeat, impossibile est. quid illis contigerit
Num. 12. qui olim dicebant: Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo. Iterũ ergo mihi de hac solẽnitate dicendũ est, si quo tandẽ modo expergisci, & serio erga hoc sacramentũ affici poterimus. Ac principio quidẽ nõ ignoro multa de hoc festo dicta atq; scripta esse, nec solũ multa verũetiam varia, & sibi inuicẽ admodũ dissimilia: nõ tñ meum propositũ est hic enumerare, neq; enim tẽpus sufficeret. Et sanè ita insulsè quidã de eo dixerũt scripseruntq;, idẽque nũc faciunt, vt tædeat ijs earum disperdere tempus, nempe non ignorantes conuenientiora. Deflendũ tamen est, tot dissensiones ex hoc ipso Sacramento enatas esse, quod alioqui fidei summæque nostræ spei seruare potuit. Sed hæc malignus ille spiritus, assiduus sempiternusque salutis nostræ hostis excitat, vrget, promouet. Nostram ille naturam ad curiositatem nouit pronam, eoque curiosa & in disceptationẽ controuersiasque pertinentia affert, vt vtiliora magisque necessaria postponamus. Nouimus cogitationes eius, inquit Apostolus: vtinam dolos impostorasque illius altius considerauerimus. Quid igitur de Sacramento hoc scriptura loquitur? De
Matt. 26. hoc ipso ergo loquar. In Matth. ita legimus: vespere facto discum-

discumbebat cum duodecim: & cœnantibus eis, accepit panẽ Iesus & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Paulus sic habet: Panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est. Quoniam vnus panis, & vnũ corpus multi sumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. 1. Cor. 10.

In Euangelio hodierno sic legimus: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ioan. 6.

Dauid ita testatur. Memoriam fecit mirabiliũ suorũ, escam dedit timẽtibus se. Psal. 110.

Hæc omnia de Sacramẽto nostra dicta scriptaque sunt, vt nulli dubium sit, magnum aliquid in eo situm esse. An tibi indignum fortè videbitur toto anno vel semel illud in memoriã reuocare? Et quod illi considerationi tempus hoc ipso aptius est? Superiore dominica de regenerationis lauacro dictum est, quod sit veluti ianua ad Christianã Religionẽ, & quod nemo regnum Dei videre possit, nisi natus fuerit denuo ex aqua & Spiritu sancto. Quæ autem vtilitas est nasci vitamque accipere, nisi qua ratione eadem conseruari possit, norit? Iam verò quemadmodum nemo hac vita fruitur, nisi prius nascatur, ita nemo eandẽ conseruat, nisi cõuenientibus cibis vtatur. Quod si igitur omnibus necessarium est, nouam cœlitus vitam accipere: erit haud dubiè non minus necessarium, singulari cœlitus cibo ad acceptæ vitę conseruationem vti. Huic rei præsens seruit festiuitas, quæ ipsum demonstrat cibum, quo spiritualis vita conseruanda est. Et qua meliori ratione ordinari hæc instituique possent? Vtique omnibus animantibus hanc primam natura curam indidit, vt mox nata, quomodo adeptam tueantur vitam, quærant. Tum Ioannes duo illa connectit: Hic est, inquit, qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus. Non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. 1. Ioan. 5.

Quæ primũ quidem de persona Christi possunt intelligi. hic venit in aqua & sanguine, hoc est, baptizari voluit, deinde & mori. Omnia nostri causa. Deinde etiam intelligi possunt de præcipuis illis sacramentis, per quæ Christus potissimum ad nos venit. Aqua baptismum, sanguis verò altaris sacramẽtum significat. Per aquam, hoc est in baptismo vitam largitur: per sanguinem, id est, per altaris sacramentum data vitam cõ

seruat. Hæc enim duo præcipua sunt sacramenta, quibus salus nostra consistit. Nunquid ergo rectè aliud sequitur, nobisq; gradatim proponuntur? Si superiore dominica de baptismo audiuimus, merito hic de hoc sacramento docemur. Quid ergo in hanc festiuitatẽ inuehimur, quæ ideo instituta, est, vt spiritualem ob oculos habeamus cibũ, quo spiritus vita in nobis conseruanda est. Illic inuehamur, ac conqueramur, si quãdo hic cibus detraheretur nobis. Id quod multi nostro seculo accusant: nempe Laicis detineri alteram sacramenti speciem. Hinc ergo opinor, videre licet, iustã huius festiuitatis causam esse. Hæc summa est, vt cum festiuitatis, tum ipsius etiam sacramenti verum vsum apprehendamus. Hic ergo non solum apertis oculis circunspiciamus, verumetiam mentes in eas res, quæ hodie nobis considerandæ proponuntur, excitemus, quo suo etiam tempore desiderium
3.Reg.19 fruendis illis mentes nostras occupet. Nec id sine causa dico. Adhuc in deserto sumus, longa nobis via restat. Tum nec Satan cum sua Isabel, hoc est mundo, insidiari non cessat. Quod si propterea deficere noluerimus, por-
Psal. 110. rectum à DEO cibum arripiamus. Sic enim Dauid loquens ait: Miserator & misericors Dominus escam de-
Ioan.6. dit timentibus se. Quæ verò esca illa? Caro mea, inquit Christus, verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Sed hic non tantum in externum sacramentum contuendum est, sed totus Christus, quem fide sumimus, in-
Ibidem. tuendus. Hic noster, quem Deus dedit, cibus est. Non Moses, inquit Christus dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Sed ideo hunc panem Deus præcipuè ad spiritualis vitæ in nobis conseruationem dat. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, imò habet vitam æternam. Vides ergo virtutem & fructus huius cibi: vides, inquam, quod longè ab alijs diuersus cibus est. Magnificè quidem magni illius
Ester.1. Assueri Regis apparatus splendidus, celebre illud conuiuium, describitur: sed sumptuosa tantum fuerat ostentatio. Ideo enim tantum dispendium fecit, vt diuitias
3.Reg.4. gloriæ regni sui ostenderet. Ita etiã Tertius Regũ liber describit sumptus, quos Regalis mẽsa Salomonis quotidie

die requirebat. Sed inutilis sumptus ille erat, quo ita subditos aggrauauit, vt postea de eo apud filiũ eius pro mitigatione supplicarent. Ita deniq; Baltasari Regis Babyloniæ conuiuia descripsit Daniel, sed quẽ sortita sint exitũ, manus illa in parietẽ scribens indicat. Ita postremò ipse etiam Deus murmurantem in deserto Israelẽ coturnicibus cibauit. Ita Israëlitæ manna vescebantur. Sed quid Scriptura ait: adhuc, inquit, escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Ita ijdem cibum habebant manna. Sed quid Paulus dicit? Non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Ita etiamnum sua mundus frequentat conuiuia, quæ sæpissimè peccatum augent, damna inferunt, stomachum grauant, substantiam eneruant, caput lædunt, vitam breuiant, vt interim alia multa inde nascentia taceam. Hoc solum conuiuium, quod CHRISTVS apparauit nobis salutiferum est. Qui manducat hunc panem, inquit, viuet in æternum. Infelices nos, qui tantam gratiam non agnoscimus, tantis bonis nõ vtimur, tantamque Dei gratiam non magnificamus. Eia ergo vel hoc solum quid Dauid de hoc conuiuio canat, consideremus. Dominus, inquit, escam dedit. Non quiuis Dominus, sed misericors & miserator. Vide quibus propheta hic vtatur verbis. Nunquid vel hæc sola animos nostros ad amorem desideriumq; mouẽt? Si enim Dominus hanc escã dedit, egregium quid & excellens esse nemo sanè dubitat. Tum verò si idem hic Dominus misericors est, haud dubiè omniũ vtilitati hoc dato consultũ voluit. Si enim officeret incommodaretq;, profectò qui dedit, misericors non esset, sed Tyrannus. Quare si Deus hanc escam dedit, nemo & salutiferam & vtilem esse dubitat. Si enim parentes filijs nostris nihil nociui maliue damus, quomodo nõ etiã Deus dabit Spiritum bonum petentibus se? Vis autem & qualis sit cibus, nosse? Audi quid consequenter Propheta de Deo, atq; hac esca addat. Memoriam, inquit, mirabilium suorum fecit. Audis quia memoriale sit omnium mirabilium: quæ ab initio hucusque fecit Deus, præterea ipsa etiam esca quam dedit, mirabile deitatis factum est. Id quod cum breuitate docebo. Principiò enim, nunquid vbique Scriptura magnificè CHRISTI dilectionem prædicat? Cùm dilexis-

3. Reg. 12. Dan. 5. Exod. 16. Psal. 77. 1. Cor. 10. Ioan. 6. Psal. 110. Luc. 11.

Ioan. 13. set suos qui erant in mundo, in finem vsque dilexit eos.
Gal. 1. Et Paulus: dilexit nos, inquit, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Et iterum dilexit me, inquit, &
2. Thes. 1. tradidit semetipsum pro me. Et: dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam in gratia. Cuius quidé dilectionis quid nos rectius præter hoc ipsum Sacramentum admonebit? Hic enim apertè videmus quantum in nos ipse impenderit. Hic corpus, quod pro nobis in mortem tradidit: hic ille sanguis, quem pro nobis effudit. Quibus qui non admoneri potest dilectionis illius magnæ, quo alio modo admoneri possit, non video. Per se ipsum sanè rarò aut nunquam illius recordabitur, Igitur sacramentum hoc memoriale mirabilium Dei dicitur. Ad hæc & eorum memoriale est, quæ Christus docuit. Docuit verò nos obedientiam erga Deum, patientiam in cruce & afflictionibus, amorem, beneficentiam erga fratres: docuit, inquam, hæc non verbis tantũ, sed et exemplo suo. Iam verò eorũ omnium nos admonet hoc sacramentum: nempe, quales esse nos deceat erga Deũ in obedientia, quales in cruce, quales in fratres. Hic enim maximè consideramus, quam in passione sua Christus exhibuit obedientiam, patientiam, & dilectionem. Primũ, nẽpe obedientiam, erga Deum: secundũ, scilicet, patientiam erga semetipsum: tertium, nimirum dilectionẽ erga proximos nostros: quo meritò pudeat nos, in hoc sacramentum oculos conuertentes. Pudeat, inquam, nos, tantæ inobedientiæ in Deum, impatientiæ erga persecutores, & indolentiæ erga proximũ. Non dubito quin idẽ Sacramentum eius farinæ plurimarum rerum nos præterea admonere possit, si tantùm diligenti illud indagine scrutari voluerimus. Sed ea de re hæc dixisse sufficiat. Nunc illud quæramus, quomodo in seipso etiam mirabile Dei opus sit. Certissimum autem est mera hic esse Dei mirabilia, siue primam eius institutionem, siue consecrationem, siue etiam perceptionem considerauerimus. In institutione enim mirabilia diuinæ sapientiæ opera videmus, nempe quòd tam grata hanc medicinam ad languentium dispositiones temperatura miscuit. Omniũ autẽ vox est, primũ hominẽ in vetito cibo offendisse, propterea quòd plus serpenti quã Deo crediderit. Aduersus huiusce-

huiusmodi peccatū hunc Deus cibū per Christum ordinauit, vult etiā nunc suo verbo quàm nostræ rationi credamus magis. Et quidem ita fiat oportet. In hoc enim sacramento, oēs sensus nostri exteriores, solo auditu excepto, falluntur. Vt olim Isaac Patriarcham præter auditum cæteri sensus fallebant omnes, Vox quidem Iacob: manus verò, manus Esau, ita & in hoc Sacramento. Nihil sanè præter panem videmus, præter panem nihil vel gustamus, vel olfacimus, vel etiam contingimus. Ex solo verbi Dei auditu, corpus Christi esse audimus. Et hæc diuinæ in sacramento mirabilia sapientiæ sunt. Porrò in consecratione eiusdem alia mirabilia consideramus, nimirum mirabilia diuinæ omnipotentiæ, quam licet sæpe Deus, mutatis creaturis ostenderit, cū Israēli aquam de petra durissima produxit in deserto, nihil in petra siue quod ad substantiā siuę quod ad naturā & formā. Prius etiā cū amarā aquam in dulcē & potabilem conuerteret, substantia quidem aquæ mansit, sed accidens amaritudo conuertebatur in dulcedinem. Postea cū Christus aquam mutauit in vinū, substantia simul & proprietas aquæ vertebantur in substantiā atque naturā vini. Hic verò nouū quid docente Euangelio intelligimus, nempe, substantia panis vertitur in substantiam corporis Christi. Accidentia vero panis, vt albedo, olfactus, gustus, permanent. Et hæc mirabilia sunt diuinæ omnipotentiæ. Postremo verò in perceptione sacramenti huius bonitatis diuinæ mirabilia considerantur, quod seipsum nobis populis suis manducandū dat. Sanè nullus sub sole tā celeber populus, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. Sed tū maxime huius bonitatis in hoc Sacramento videbis mirabilia, si varios inde nascentes fructus consideraueris: nempe, quòd per illud Christo primum, deinde Catholicæ Ecclesiæ incorporamur, denique etiā aduersus omnes aduersitates cōfirmamur. Hinc ergo facilè est colligere, qualis hoc sacramentum sit esca, quàm meritò illud dicamus: Sacrum conuiuium, in quo Christum sumimus, eiusque gratiam suscipimus, memoriam passionis recolimus, & futuræ gloriæ pignus accipimus. Gratia Dei nobiscum, vt hæc cogitemus sedulò, Amen.

Gen. 3.

Gen. 27.

Exod. 17.

Exod. 15.

Deut. 4.

SERMO QVINTVS.

In historiam Danielis, quem dominus per prophetam in lacu leonum cibauit. Daniel. 4.

CVm mecum, quid hæc festiuitas velit, cur credentibus feriari indictum sit, diligentius perpendo, nescio, quo meliore modo hunc sermonem exordiar, quàm exclamatione illa, aut potius gratiarũ actione, quã heri sacerdotum chorus Deo cecinit: O quàm suauis est Domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cœlo præstito esurientes replens bonis, fastidiosos diuites dimittens inanes. Sap.16. Hæc verba plenis vocibus decantata sunt heri in vesperis, ad excitãdas omnium mentes in considerationẽ diuinæ omnipotentiæ, in admirationem diuinæ sapientiæ, & considerationem diuinæ munificentiæ, imò etiam ad gratias agendas pro omni bono, gratia atq; dono, quorum hæc nos solennitas admonet. Id, inquam, quæsitum est hic enarratis verbis. Et sanè ea ipsa sunt, quæ præsens à nobis postulat festiuitas, & tũ de mũ piè rectèq; celebrata erit, quando pro se quisque dicere potest, corde, inquam, atq; animo admirari potest. Quæ Domine operum tuorum maiestas est, quam mirabilia sunt iudicia tua Domine Deus, quàm immensa est tua munificentia, quàm speciosa sunt dona tua in hoc sacramento, quod nobis miserijs fameq; pressis filijs tuis spirituale cibum, per Christum filium tuum demisisti cœlitus? Quisquis hæc corde oreq; dixerit, rectè hanc festiuitatem celebrauit. Hæc enim instituti huius ratio est, vt omnipotentem virtutẽ, incomprehensibilem sapientiam, ineffabilem amorem, & omnium excellentissima dona Domini & Dei nostri cõmodius agnoscamus, magnificemus, exaltemus, laudemus, & prædicemus: vt eo fortiores in fide, firmiores in spe, ardentiores in charitate, tandem etiam feruentiores in oratione, promptiores in obedientia, æquanimiores in cruce efficeremur. Hæc, inquam, huius solennitatis ratio est. Sapiens quidem ille hæc eadem in viliore, nimirum manna, quærit. Deut.8. Sed nec solus ille. Idem enim antè illum in Mose videre est. Mirum sanè quo ille verborum exquisitissimorum splendore cœlestem illũ panẽ prædicet.

Vocat

Vocat panem angelorum, panẽ cœli delectabilem, & omnis etiam saporis suauitatem habentẽ, escam qua filijs suis Deus dulcedinẽ suã voluerit ostendere, vniuscuiusque non necessitati modò, sed & voluptati deseruientẽ. Et quæ tam multarum appellationum intentio, quid his quæsiuit, nisi vt sui seculi credentes diuinæ illius, quã in mãna cognoscerẽt, potẽtiæ, sapiẽtiæ ac bonitatis cõsideratione eiusmodi Deũ cõfiteri, venerari, colere atq; prædicare mouerentur incitarenturq;? Idẽ Dauid in Psalmis egit In Deute. Moses Dei populũ admoniturus eorum, quæ Dominus inter ipsum fecisset, ante oia Mannæ meminit: Recordaberis, inquit, cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu & patres tui, vt ostenderet tibi, quod non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Quod si veteris testamenti populus Mannæ illius sui toties, tam multis verbis, & lõgo post tẽpore, quam dari desiuisset, vt in eo Dei omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatisque recordarentur, vt fidem suam confirmarent, vt sese ad omnis generis pietatem excitaret, admonendus fuit: quanto æquius Christiani nostri Sacramenti longè præcellentioris panis, in quo ipsum Deum, Deiq́ue virtutem, sapientiã, bonitatemq́ue multo rectius clariusque, quam illic in Manna cognoscimus, admonemur? Quid enim Manna, si ad hoc sacramentum æstimetur? Patres vestri, inquit Christus Iudæis loquens, manducauerunt Manna, & mortui sunt. Et: Non Moses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panẽ de cœlo verum. Et iterum: Operamini cibũ qui non perit, sed qui permanet in vitã æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim pater signauit Deus. Illic figura tantum & vmbra fuit, hic lux & ipsa est veritas. Nemo igitur, nũc nos denuo sacramenti nostri admoneri miretur, nemo id inane quid aut iniquum arbitretur. Si enim ille populus, quod multis parasangis minus erat, tanti æstimauit, toties cõmemorauit, tam magnificè prædicauit, cur nobis non liceat facere idem in eo quod maius est? Quod si tantum illo tẽpore, dum illud vescebantur, prædicatum fuisset Manna, fortè & nobis sufficere cogitaremus, si tantũ Cœnę dominicę,

Sap. 6.

Psal. 77.

Deut. 8.

Ioan. 6.

Ibidem.

Ibidem.

hoc est, cum omnes sacramento nostro cómunicare con
sueuimus, eius admoneremur tempore. Sed quia apertis
simè constant, cessante Manna, memoriã tamen eius per-
durauisse, & veluti ingens Dei opus, vti re vera erat, di-
uulgatũ fuisse omnibus, non verbis modo, vt demonstra
Exod.16. tũ est, sed & factis (veluti cum Moses Aaroni mandat, vt
sumpto vase mittat ibi Man, quantũ Gomor capere pos-
sit, reponatque in Arca recluſum intra tabernaculũ do-
mus Dei, ad seruandũ in generationes sempiternas) sanè
non est quod quis miretur, nostrum hoc sacramentũ nõ
illo solũ tẽpore, quando secundũ corpus illud vescimur,
verumetiam hac ipsa festiuitate, quibus licet modis, in
memoriam reuocari, imò in Ecclesia asseruari ob memo
riam indelebilẽ: idque eo maximè, quod non ignoremus,
aut certè ignorare non debemus, ita voluntatẽ postulare
Christi, non modo secundum corpus, & semel tantum
quotannis, verumetiam spirituali modo, & quotidie
corpus, sanguinem suum percipiamus. Hoc est autem spi
ritualiter manducare hunc, obedientiam & dilectionem
eius cogitare: quarum illam erga Deum, hanc hominibus
exhibuit, cùm sua se sponte in mortem tradidit: & quod
pro nobis passus sit, corpus suum in nostram redemptio-
nem impenderit, sanguinem suum in ablutionem deli-
ctorum nostrorum effuderit: & denique in hoc ipso exul-
tare. Sed & hunc eundem pro nobis crucifixum Chri-
stum fide, spe, & charitate apprehendere, quicquid de di-
lectione Dei Scriptura tradit, toto pectore credere, quod
nos quoque eorum in numerum asciti sumus, pro quibus
Christus eam mortem subijt, confidere: ideoque plena fi
ducia illi adhærere, ipsum prædicare ac venerari, omne
nostrum in eum desiderium conuertere. Hoc est Christũ
spiritualiter manducasse, id quod maioris sanè ponderis
est, quàm corporaliter tantum hoc sacramentum vesci.
Quare, si peculiare tempus corporali manducationi il-
lius sacramenti institutum est, cur non etiam spirituali
eiusdem sacri communioni suum attribuendum tempus
est? Fit ergo hoc ipsum hodie, & quidem hoc maximè
nunc facere exercereque nos necessum est, si tamen ex
hac festiuitate fructus aliquis expectandus est. Proinde co
piosius aliquanto de hac ipsa festiuitate dicendũ mihi est,

placuit-

placuitq; veteris testamenti historiam, non inconuenien
tem proposito meo, in medium adferre, eamq; qua pote
ro breuitate discutere, in ea etiam hunc sermonem cõclu
dere. Est autẽ illa Danielis plena miraculis historia, quẽ
Dominus per Prophetam cibauit & cõseruauit. Hæc tra
dit, Danielem prophetam Domini innocentẽ & indem-
natum in lacum leonum Babyloniæ proiectum fuisse, vt
ibi discerptus à leonibus periret. Gratus enim & charus
Regi, aulicorum ac primorum in esconcitauit inuidiam,
qui non ferentes exotici hominis fidem tantum apud
Regem mereri gratiæ, hoc damnabant & accusabant,
quod rectius & laudassent & secuti fuissent: Orare eum Dan. 6.
quotidie ter ad Deum suum, confringere idola Bel in- Dan. 14.
cusant: nempe inimici æquitatis, in primis Satan tantam
viri probitatem abolere ita laborant, vt licet faueret rex,
tamen quia sibi domuiq; suæ imminens, si non dam-
nasset, periculum timebat, leonibus discerpiendũ adiju-
dicauit, non diffidens hominem innocentẽ mortis pos-
se effugere periculũ, contra quem, non dictante Iustitia,
sed metu concitante, mortis protulisset sententiã. Deus
tuus, Danielem allocutus ait, quẽ colis semper, ipse libe
rabit te. Et sanè verum hunc iniqui Iudicis sermonem
fuisse postea probauit euẽtus. Permisit Deus impios de-
latores cordis sui exatiari desiderio, impiæ volũtati insi-
gnem pietate virum tradidit, vt in eo quod vellẽt, face-
rent. Interea tamen suam quoque non obscurè ostende-
bat gratiã. Si inuidebant Danieli Regis fauorẽ, inutti etiã
cogebantur agnoscere quæ in ipso erat Dei gratiam,
qui & defensor & adiutor astitit, cum rex saluare non po
tuit: imò sua ipsorum cùm temporali, tum sempiterna
perditione, non Regis solum, verumetiam Dei iram ex-
periri & sufferre cogebantur. Hucusque hæc historia in
sexto cap. Danielis descripta est: nihil tamen adhuc,
quod huic festo conueniat, in ea narratum est. Verùm
consequenti narratione, hæc eadẽ historia repetitur, sed
& aliud ibi recensetur miraculũ, quod Deus Danieli in-
ter leones posito exhibuit & hoc ipsum huic diei cõue-
nit, diuinæ nos cõsolationis in hoc sacramẽto admonẽs.
Quæris quale sit illud miraculũ? Refert Scriptura, cum
Daniel in locũ leonũ missus esse, fuisset Prophetã nomi Dan. 14.

ne Abacuc in Iudęa,quē meſſoribus ſuis in campū cibos ferentem Angelus Domini acceptis capillis capitis ſui, per aëra in Babylonem ad locum leonū, in quo ſedebat Daniel portauit.Ab hoc Daniel accipiens prandiū, non hos in vſus paratū ſurgens comedit, gratiasq; Deo egit. Hæc,inquam,Scriptura illic enarrat, conueniuntq; huic feſtiuitati, imò quaſi figura ſunt eorum, quæ hodie in nobis per hoc ſacramentū operatur Deus.Quid Daniel, niſi quilibet credentium?Quid locus ille, ſiue leonū cauea,niſi lachrymarum vallis in qua terrifica omnis generis monſtra ſunt?Quid verò cibus ille, quem Deus per Prophetam ſuū ad nos mittit,præter verbum,& ſacramēta eius,maximè tamen hoc, de quo hodie nobis Eccleſia loquitur? Rectè ergo Prudētius noſtrę religionis poëta Chriſtianus, hoc ſenſu eam hiſtoriā tam exquiſitis verbis explicuit,vt conuenientiorē optauerim nullā. Hunc & ipſe ſequar,nihil moratus, quod in Iudęorū Biblijs nō habeatur iſta hiſtoria,nec recipiatur. Sufficit enim huic inſtituto meo,quòd publicè in Eccleſia legitur, & quod alij ante me inde tā diſſerendi materiam ſumpſerūt,maximè verò quod nihil in ea ſit fidei noſtræ contrarium,nihil repugnans. Potuit hæc hisque maiora Deus noſter: Eliam per coruos quotidie panem carnesque adferentes
3.Reg.17 cibauit: Cur igitur non etiam per Prophetam è Iudæa Danieli in Babilone ſedenti cibos mittere potuiſſet? Agite ergo videamus,qua ratione Prudentius hanc hiſtoriam ad ſpiritualem eſcam ac conſolationem, quā Deus in tribulationibus poſitis largiri & conferre ſolet, referat. Principiò igitur occaſione à corporali cibo ſumpta, quomodo pro corporis etiam refectione laudes Deo dicendæ ſint,docet. Paſtis(inquit)viſceribus,ciboq; ſum-
Prudent. pto.Quē lex corporis imbecilla poſcit, Laudemq; lingua Deo patri rependat.Hoc primū Poëta veluti fundamētum ponit,& in minori,quid in maiori pręſtandū ſit, monet. Mox enim omiſſo corporali cibo ad ſpiritualē eſcam tranſit, vbi ipſam quoque Danielis hiſtoriā exempli loco ponit,Sed nos tu gemino fouens paratu,Artus atque animas vtroque paſtu Confirmas pater, ac vigore comples.Sic olim tua prælucens poteſtas inter rauiſonos ſitum leones: illapſis dapibus virū refouit. Illū

fuſi-

fusile lumen execrantem. Et curuare caput sub expolita aëris materia nefas putantem. Plebs diræ Babylonis & Tyrannus morti subdiderant: feris dicarant sæuis protinus hauſtibus vorandum. His addit exclamationem festiuã: O semper pietas, fidesq; tuta, Lambũt indomiti virum leones, intactumq; Dei tremunt alumnũ. Astant cominus & iubas reponunt. Mansuescit rabies fameq; blanda, Prædã rictibus lãbunt incruentã. Postremò ipsum factum describit, Angelum atque Prophetam officia sua præstitisse, dum Angelus Prophetã portauit, Propheta cibos attulit, Danieli ab vtroq; ministratũ est, qui & ipse Dei factũ agnoscit. His sumptis Danielus excitauit in cœlum faciẽ, ciboq; fortis. Amen reddit, Halleluiah dixit. Hęc omnia ergo ad nostrã doctrinã, spẽ, & exẽplum scripta factaq; sunt. Nos Daniel, nõ qualis iam in cœlesti Ierusalem, sed qualis tum erat in Babylonia, vbi non hominibus solùm odio habitus erat, verumetiam feris indomitis vorandus proiectus est. Nos, inquam, ille Daniel sumus, imo verò esse debuimus, puta, sic illuminati in agnitione Dei, ita fortes in fide, ita seduli in oratione & diuino cultu, tam casti vita in mundo, tam humiles erga Deũ, tam patientes in omni aduersitate. His coloribus Danielem scriptura depingit. Hæc illa ipsa, quæ decent Christianos omnes, sunt. Et sanè, si tales Danieles essemus, non minus nobis præsentẽ Deũ experiremur, quã suo tẽpore Daniel. Babylon mundus est, in quo per omnẽ vitam peregrini, imò captiui in miserijs sumus. Vera patria nostra cœlestis Ierusalem, non terrenus, sed spiritualis paradisus, ex quo peccatum nos profligauit. Promissione tamen accepta speramus, nos illuc reduces reuersuros, sed non nisi peractis septuaginta annis, hoc est, vitæ huius tempore. Interea sub amaris Babyloniæ salicibus sedemus, in multa, quam Deus super nos induxit, tribulatione, in qua tamen perire nos nõ permittit. Babylon mundus non solus impijs hominibus, verumetiam immanissimis leonibus nobis insidiantibus plenus est. Duplex tentationum genus, internæ, externæ: corporis, & spiritus. Vtrunq; genus Dauid expertus est. Ferre enim eũ nolebant homines, deuorare volebant leones. Nec verus Christianus quisquã est, qui

Hiere. 29

Psal. 136.

qui non vtriusq; generis tribulationes cum ab hominibus, tum ab impijs spiritibus sentiat & sustineat. Quicunque enim hic piè volunt viuere, inquit Apostolus, persecutionē patiētur. Et Christus, si inquit, mūdus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Quàm porrò venenatum, quàm insatiabile mundi sit odiū aduersus pios, pulchrè Prudentius indicat: Vexamur (inquit) premimur, malis rotamur, oderunt, lacerant, trahunt, lacessunt, Iuncta est supplicijs fides iniquis. Si quis vspiam verè Christianus est, si quis se huic mundo conformare nolit, quotidiè ea his & maiora & immitiora experitur. Tolerabilia tamen hæc forent omnia, quādoquidem externa tantum & temporalis illa calamitas est, nihil incommodans animæ. Mundus bona eripere, corpus in Crucem agere, vitamq́ue potest adimere: quod præterea possit, nihil est. Sed habet præterea Babylon leones immanissimos, non corpus solum infestātes, verumetiam animæ insidiantes, nimirum Spirituales tribulationes, quas aduersum nos impius Spiritus excitat. Ille enim leo, ille immanis ac sæuissima bestia, quæ circumfremit, & vorare tentat, Insanos acuens furore dētes: nempe mortem, peccatū, Infernū: his dentibus inuadit nos Leo, iugulumq́ue petit: commissis nos territat, territat morte atque inferno, quorū aliud alio terribilius est. Quid autē conscius sibi peccator insurgente leone & aduersus se ferales dentes acuente, potest, nisi exhorrescere, & cōtremiscere? Quàm sæuissimā horribilemq́; trucidationē in orbe excitauit Morte. Neq; enim quisquam illius manus effugere potest, cùm omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur. Quot hominū milia hæc bestia spirituali morte peccati iugulat? Quot deuorat & Inferno deglutit? Ecce hæc omnia dū in mundo sumus, expectamus, incursiones cùm impiorū hominum, tum etiā infernaliū leonū vix euitamus. Et hic quidem Daniel in leonum cauea iacet: cū spirituales tentationes ita aduersus vnū aliquem hominē insurgunt, vt simul vnaq́; vice ante oculos videat mortē, quam euitare non licet: peccatū quod fecit: & infernum quē meritus est. Hic sanè non minori auxilio consolationeq́; opus est, quàm Danieli in leonum lacu posito, alioqui enim aduersus

2. Tim. 3.

Ioan. 15.

Matth. 10

1. Pet. 5.

2. Reg. 14

uersus hunc infernalé leoné, imò tot immaniſsimas cõtra beſtias minimè perſtabit. Sed quis certior Deo in his omnibus anxietatibus defenſor? Tu nos triſtifico velut Tyranno, Mundi ſcilicet impotentis actu, Concluſos regis & ferá repellis. Quomodo id fit? Sacris nos reficis cibis ab alto. Quales verò cibi illi? Nil eſt dulcius, aut magis ſaporũ, nil quod plus hominé iuuare poſsit, quã vatis pia præcinentis orſa. Hic ergo cibus, quem in lacu Leonũ poſitis nobis Deus per Prophetas ſuos mittit, S. S. verbum eius. Nullã nos hac parte inopiã premere permittit. Id quod vnicũ illud eſt, quo in omni tribulatione corporali atque ſpirituali nos conſeruare poſſumus. O quot milia hominũ infernalis hæc beſtia iã olim deuoraſſet, hunc ſi non habuiſſent cibũ: imò verò quis noſtrũ niſi conſolatione ac virtute ex verbo Dei concepta immaniſsimæ beluæ vires poſſet diſcutere? Magnũ ſanè & egregium quid per ſe eſt, quod verbũ hoc ſuum Deus ſemper ad nos mittit. Maius verò eſt, quod etiam Sacramenta ſua, maximè verò illud corporis & ſanguinis Chriſti coniungit verbo. Id quod duplici nos conſolatione reficit. Quicquid enim in verbo Dei promiſſum eſt, hoc ipſum videmus, habemus, contrectamus, poſsidemus, ac fruimur in hoc ſacramento. Et quid Babylon, mundus cũ ſuis Tyrannis, imò inuidis hominibus, immaniſsimisq; feris dãna inferet, cũ non ſolùm verbũ Dei legimus, & audimus, verumetiã Chriſtum ipſum ſempiternũ & ſubſtantiale Dei verbũ, in hoc Sacramento percipere poſſumus? Quid aduerſus Chriſtũ Deum Diabolus, quantũlibet fortis? Confidite, inquit, ego vici mundũ. Quomodo obeſſe peccatum, mors, infernusque poſſunt, vbi corpus pro totius mundi peccatis immolatum, & ſanguis pro omniũ delictis effuſus eſt, imò vbi humanitas Chriſti Deũ reconcilians, & imprimis deitas Chriſti eſt, qui peccatũ, mortẽ, infernumq; deuicit? Hic ergo cibus quem Deus largitur. Cibus, inquam, quem principio quidẽ Chriſtus meſſoribus, hoc eſt, Apoſtolis ſuis, quos ipſe meſſores vocat, coxerat. His primùm ad virtutem conſolationemque hoc ſacramentum dedit. Sed non illis tantùm: Nam & nobis eum quotidie porrigit per Prophetas ſuos, miniſtros

Ioan. 16.

Ioan. 4. Matt. 26.

Eccleſiæ,

Ecclesiæ, quibus præceptum est, vt sumant, & dent cęteris. Horum officium est, Euangeliũ prædicare, sacramẽta administrare, idq; sine intermissione, dũ in Babylone, in mundo, & regno Satanæ, inter impios homines, immanissimosq; leones sumus. Hoc enim nos conseruare potest. His sumptis licet insolẽs potestas prauũ iudicet, irrogetq; mortẽ, impasti licet intuãtur leones. Nos semper Dominum patrem fatentes: In te Christe loquemur vnum. Constãterq; tuam crucẽ ferentes. Ecce hoc modo prius ille Prudentius hãc Danielis in leonũ caueam positi historiam, & cibos per Prophetã allatos explicuit. Et quid huic festo conuenientius esse posset? Ipsa enim & genuina intentio est, non solùm huius festi, verumetiam ipsius adeò sacramenti. Ne ergo contemnamus rem ita necessariã: potius verò gratias agamus, qui tam piè nobis prouidit, Deo, potius cum tota piorũ corona hoc sacramentum veneremur, magnificemusq;, atq; omni tempore spiritualiter tantùm per fidem, & iugem meditationẽ suscipiamus. Precemur Deũ, vt semper hunc nobis panem det, ne deficiamus vnquam, aut succumbamus. Sed hoc quoque studeamus, vt veri Danieles simus atq; dicamur, qui corpore quidem in Babylone in mundo sumus, affectu tamẽ semper cœlestẽ suspiremus Ierosolymam, quotidiè precemur Deum, illiq; soli adhærescamus, nec eo minùs irreprehensibiles in mũdo viuamus. Talibus enim hominibus suos Deus largitur cibos, tales etiam digni sunt diuina consolatione. Deus Opt. Max. ita hic in terris hoc Sacramento concedat vti, vt olim in æternum Christo frui liceat, Amen.

Ioan. 20.

SERMO SEXTVS.

PRæsens festiuitas historiæ cuiusdã veteris Testamẽti, in qua Achab rex impius tam iniquè, tam etiã Tyrannicè cõtra iustũ Naboth egisse describitur, nõ solùm hæreditatem & vineã, verùm etiã ipsam vitã auferens, me admonet, sed per contrariũ. Neq; verò dubito, esse quosdã qui quomodo Christiana hęc & lęta festiuitas tam impiæ ac tristi historiæ conueniat, mirẽtur. Vtiq; enim diuersa sunt, quę illic de Achab legimus, & quę hic de Christo. Ille alienis sua diripuit: Christus quod suum est pro nobis impendit, imò seipsum etiam dedit nobis.

3 4. Reg. 21

Achab

Achab suam quæsiuit voluptatẽ, egestatem pauperes nihil moratus: Christus nostræ seruit vtilitati, nihil pretij sui magnitudinem veritus. Ille trucidat innocuos: Christus etiã fontes redimit. Ille sęuitia imperitauit: hic rexit misericordia. Vtiq; hæc dissimilia sunt, liceretq; nõ immerito admirari, quomodo hæc festiuitas, illaq; historia cõueniant. Sed opinor hãc ipsam dissimilitudinem hãc festiuitatem nemini nõ facere chariorem atq; iucundiorem. Quo enim peiùs audit Achab, quòd tantam in suos ostendit tyrannidẽ, eo honorificentiora sunt, quæ hodie de Christo canuntur: Se nascẽs dedit socium, conuescẽs in edulium, se moriẽs in pretium, se regnans dat in præmium. Hæc gloria, hic honos Regis nostri est. Hac parte nemini vnquã cessit, nec cedet aliquãdo. Longè alia res est in mundo, alia etiã videmus in Achab. Charior ergo nobis Christus noster esse debuit, gratior isthęc festiuitas erit, in qua tãta Christi gratia nõ modò verbis denũciatur, sed etiã factis quibusdã proponitur. Si dolendum est, iustũ Naboth sub truculentissimo Tyranno Achab, nõ solùm vinea spoliari, verumetiã vita priuari, certè lætitia dignum est sempiterna, quòd Christus non solùm vitam nobis, verumetiam propriam sempiternamq; hæreditatem confert. Huius fortè arram seu hypothecam petis? In hanc festiuitatem inspice, contemplare hocce sacramentum. Quid enim hoc sacramentum, nisi certum & indubitatum sigillum est, quo Christus diploma hæreditatis cõfirmauit? Quid, inquã, nisi certissimũ futuræ felicitatis pignus est? Qua enim ratione Testamentũ suũ Christus confirmasset obsignassetque fortius, nisi S. S. corpore, sanguine, atque morte sua? Quod ergo nobis quoque firmius æternæ illius hæreditatis pignus exhiberi posset, pręter ipsissimum corpus & sanguinem, quo illa ad nos peruenit, ac parta est? An verò non est dignum lætitia, si quis, quãtæ sibi pijsq; alijs omnibus hęreditatis ius, datis codicillis obtigerit, quàm certum eius rei pignus acceperit, diligẽtiùs secũ cogitauerit? Et quid hæc solennitas vult, nisi eiusce modi rerũ nos admonere & veluti ob oculos depicta ponere? Decebat sanè nostra sponte & semper hæc cogitare, summamq; in eis voluptatem nostrã quærere, fidẽ etiã confirmare, ad Dei dilectionem

ctionem nosmet excitare. Sed, dolor, quis tam cęcus, qui hac in re negligentiā nostram non videat? Apostoli, & cum ipsis nascentis Ecclesiæ patres, quotidie hoc tractauerunt sacramentū, suamq; in eo spem atque fortitudinem quæsierunt: Nos integro anno vix semel eius recordamur, adhuc rarius cogitaturi, nisi aliorū exemplis & admoneremur & cōpelleremur. Quid verò infœlicius, quàm multa possidere, quibus tamen vti pro voluntate non cōcedatur? Quis pauperior homine, cui dedit Deus diuitias, non tamen tribuit ei potestatem, vt comedat ex eis. Quid infortunatius q̄ primas ferre, nec semet accōmodare posse ijs? Quid reprehēsibilius, quàm quod donatur, nolle accipere. Quid vesanius oblatum auxiliū aspernari? Ân non hæc nobis conuenire tibi videntur? Quis enim spiritualibus bonis opulētior nobis? Omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitā & pietatem donata sunt, Petro teste. Et Paulus, Gratias, inquit, ago Deo meo pro vobis, quia in omnibus diuites facti estis, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia. Quot verò homines inter nos, qui suas ipsi ignorant opes? Quot, qui ne quidē cogitant spiritualia? Quot, qui donis Dei abutuntur. Quot deniq;, qui seipsos ijs nequissimè priuant? Cū ergo horum nouissimorū temporum, maiorem in credentibus humanam considerare licet negligentiam, quā in superiorū ætatum Christianis, nemo miretur nos tum verbis tum cæremonijs nunc quoque, quàm olim, incitari atque impelli diligentius. Id quod propterea præfari placuit, quod non ignoro esse nōnullos, qui inutile institutum, hanc festiuitatē cum cęremonijs suis atque Ecclesiæ traditione, autumant: minimè cōsiderantes, ideo sic ordinatū esse maximè, vt negligēgentes admoneantur, suspicere, suasque opes Dei dona agnoscere. Ideo, inquam, hæc festiuitas instituta est, vt cōmodè liceat perpendere, quid nobis in testamēto hoc suo Christus ordinauerit, quod in hebdomada sancta feciſſe non licuit. Ideo supplicationes frequentamus, vt palàm in mundo coram Iudæis, Gentib. Turcis, atque hæreticis profiteamur, quod minimè non solùm fidei, verumetiā mundi iudicio minutissimarū rerum ad fidē pertinentium erubescamus. Ideo oblatum nobis demō-

Acto. 2.

2. Pet. 1.

2. Cor. 1.

stratur

ſtratur ſacramentu m,ac ſi dicatur:Ecce, quotquot adeſtis credentes,quanta ſe pietate, quo affectu erga nos diuina illa & ſumma Maieſtas humiliauit, qua miſericordia nos aſſumpſit. Verè nõ eſt alia ſub ſole iſto tam grã- Deut. 4.
dis natio, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi,ſicut Deus noſter adeſt nobis:apertè enim hic videmus, quia Deus noſter Dominus ſit,eſſeq; velit.Hic habemus obuium,quo in omni poſſumus tribulatione cõſolari. Hic videmus,quanti nos faciat Deus,quàm nos ipſe diligat. Hic oẽs inimici noſtri confundũtur. Hic firmũ argumẽtum,quod nihil nobis ſit recuſaturus Deus.Hic certum pignus, quod etiam nos tandem aliquando in æternam fœlicitatẽ ſit recepturus. Qui enim filiũ ſuum vnigeni- Roma. 8
tum nobis dedit, quomodo non etiam omnia cum illo donauit? Agite igitur lætemur & demus gloriam Deo. Eiuſcemodi patrem Deum diligamus ac prædicemus, timeamus atq; honorificemus. Curramus poſt promiſſam hæreditatem,vbi æternum viſuri ac fruituri ſumus, quicquid hic per fidem in S.S. Sacramento ſuſcipimus. His nos affari, inſtituti ratio eſt, quotieſcunque venerandum hoc Sacramentum oſtenditur. Sanè vana inſtitutio non eſt, ſi hoc modo ſuſcipitur ac vſurpatur,ſumma (vt ad inſtitutum recurrat oratio)eſt cur gratias Deo referamus, qui non Tyrannum aliquem, vt Achab, ſed propitium ſeruatorem Ieſum Chriſtum paſtorem & Regem habemus. Et hæc de feſtiuitate præſenti dixiſſe ſufficeret. Sed non poſſum non fuſius aliquid de eadem dicere, vt exhorter & moneam pias mentes, quod feſta dies ſuadet maiori cum vtilitate impendere. Ac principiò,ſi cui mens pia ac Chriſtiana eſt,quę ſacramenti huius amore ac deſiderio tangitur, hunc quo nunc meliore modo admoneam neſcio,quàm ſi Dei per Prophetam Ioëlem pios quoſque admonentis verba adduxero. Filiæ (inquit ille) Sion, exultate & lætamini in Domino Ioël. 2.
veſtro,quia dedit vobis doctorem iuſtitię,& deſcendere faciet Dominus ad vos imbrem matutinum & ſerotinum, ſicut in principio. Et implebuntur areæ frumento,& redundabũt torcularia vino & oleo.Et comedetis veſcentes,& ſaturabimini,& laudabitis nomẽ Domini Dei veſtri,qui fecit mirabilia vobiſcum.Hæc ver-

ba omnibus cupio quàm commendatissima esse. Satis enim (vt arbitror) magnam, nec festo huic inconuenientẽ continent, monitionem, inquam, & consolationem. Neque verò leue quid æstimandum est, quod tanta eos pietate Deus alloquitur, tanto discrimine inter ipsos cæterosque homines diuidit. Paulò enim ante idem Deus loquens ait: Nolite timere animalia regionis, quia germinauerunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus & vinea dederũt virtutem suam. Quibus sanè verbis carnales illos, qui semper in populo suo inueniuntur, Deus intelligi vult, quos iam non homines, sed animalia regionis vocat. Neque sanè honoratiore appellatione digni sunt, quicunque carnalia tantum cogitant, in his exultant, ac horum iactura sese excruciant, ij sanè nihil à brutis animalibus faciunt alienum. His ergo, cùm præter temporanea quærunt nihil, Deus temporanea ac caduca tantùm promittit. Illos verò hominum sihorumque dignatur nomine, qui spiritalia atque æterna cogitant. Et ipsi soli his appellationibus digni sunt, vt homines dicãtur, Deiq; siue Sion, hoc est, Sanctæ Christianæ Ecclesiæ filij. Ipsos etiam longè alia ratione affatur DEVS quàm carnales. Exultate & lætamini, inquit, filiæ Sion, filij Christianę Ecclesię. Lætamini, non quia lignum protulit fructũ suum, sed in Domino Deo vestro, qui misit vobis Doctorem iustitiæ, eum nimirum, qui vos Deo reconciliauit, peccata nostra abstulit, imo ipse reconciliatio pro peccatis vestris factus, iustitiam, meritaq; sua vobis largitus est, viamq; salutis ostẽdit. Lætamini etiam in Domino Deo vestro, quod descendere facit ad vos pluuiã matutinã & serotinam, hoc est, dum tempus est gratiæ salutem animarum vestrarum impertit, ad vesperam verò resurrectionem etiam ac salutem corporum daturus. Lætamini deniq; quia areã vestram implet frumento, & redũdare facit torcularia vestra vino & oleo, hoc est, in omnis generis afflictionibus diuersa etiã consolationum largitur dona. Nam quia in area frumentum triturat, ac ventilabro à paleis segregatur, tum etiã in torculari vua premitur, vinumq; à racemis seligitur: in vtroque crucis & tribulationis significatio est. Tum ergo area nostra frumento,

mento, & torcular musto oleoque plenum est, vbi adesse diuinæ consolationis diuersa sentitur gratia. Hanc verò vberiorem nemo habet credentibus. His enim Dominus loquitur: In mundo pressuram habebitis, in me verò pacem. Ecce enim, an non abundans est consolatio, homini Crucis presso torculari, quod hodierno Euangelio Christus ait: Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Hoc igitur est piorum in omni aduersitate gaudium, quod panem vitæ, ac calicem salutis semper in promptu habeant. Quarto: Lætamini, inquit Ioël, in Domino Deo vestro, quòd reddiderit vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo & eruca, hoc est, quòd per Christum recompensauit, quicquid Adam perdidit, diabolus abstulit, peccatum & mors vastauerunt. Quintò: Lætamini in Domino Deo vestro, quia in medio vestri est, nec confundamini coram inimicis vestris in æternũ, imò ad nihilum rediget omnes inimicos vestros. Postremò: Lętamini in Domino Deo vestro, quia ipse est Dominus vester, & non est alius præter eum, qui nó relinquet vos alteri, secum conseruabit in æternum. Et comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen Dei vestri in æternum, qui fecit mirabilia vobiscũ. Ecce hac ad nos Propheta acclamatione vtitur, atq; ipsa ego ad cunctos pios adhortatione vtor. Nec difficile est, cui vel cõmunis ratio ineſt, videre, quã omnibus partib. cõueniẽter huic festiuitati illa admonitio quadret, & quòd omnia illa in hoc Sacramento non modò proponantur ac promittantur, verumetiam conferantur ac donentur. Vtinam omnes illius farinæ essemus homines, qui tantis diuinæ gratiæ donis sese accommodantes, capaces eorundem efficerentur. Quæ hæc omnium salus esset? Quanta cum delectatione Dei eam gustaremus dulcedinem? qua (vt heri in vesperis testati sumus) esurientes implet, dimissis inanibus diuitibus. Væ hac tanta cõsolatione spoliatis omnibus, vt sunt cuiuscunque conditionis increduli. Væ, inquam, omnibus, quicunq; sese hac consolatione priuant, vt sunt negligẽtes & pseudochristiani omnes: quorum alij eiuscemodi bona nó curant, alij in ea grauissimè impingũt. Vnde totus hic mũ-

Ioan. 16.

Ioan. 16.

Luc. 1.

dus videre atque in semetipso experiri cogitur, in nos competere, & veluti seueriss imum, tamē æquissimū diuinæ iustitiæ iudicium incumbere, quod Paulus olim loquutus est in Euāgelio, quod alioqui virtus Dei est in
Roma. 1. salutem omni credenti, reuelari iram Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiā hominū eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent: Cognoscentes Deum ex creaturis, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis: quia communicauerunt veritatem Dei in mendaciū, & euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratū est insipiens cor eorū. An non autem hæc omnia in nobis impleri tibi videtur? Cui enim populo rectius tribuitur, cognouisse Deū, nisi Christianis? O ingentē Dei gratiam cognoscere Deum. Hæc
Ioan. 17. est vita æterna, ait Christus, vt cognoscāt te solū verum Deum, & quē misisti Iesum Christū. Et: Pater, Cōfiteor
Matt. 11. tibi, abscōdisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Sed & quē populū præter credētes magis dedecet, q
Roma. 1. Paulus subdit: Non vt Deū glorificauerunt. Vtinam hęc inquam dici de nobis nō possent. Sed, dolor, contrariū nunc nimis apertè in multis cognoscitur. Sed, nihil, inquis, prætermissum est hodie, quod Dei sacramētiq; huius honori seruiat. Nō nego id quidē externo ritu factū esse: Sed hoc nondum est Deum glorificare, vt Deū decet. Quæ Deo in externo honore potest esse voluntas? Fide, Spe, & Charitate colitur Deus, vt Augustinus testis est. Et Christus ipse: Veri adoratores adorabunt
Ioan. 4. patrem in Spiritu & veritate. Frondes pāgere, graminibus pauimēta substernere, pretiosis ornari vestibus, carmina pangere, pulsare campanas, & organa, ob Dei Sacramentiq́ue huius honorem, dum cor adest, malum non est. Sed verus Dei cultus nondum est, Deus enim Spiritus est, & qui adorant eum in spiritu & veritate adorare, & honorare oportet. Tum Christus propterea non venit, nec ideo sese in Sacramentum hoc dedit, quod tantopere externos hos quærat honores. Minimè. Alia eaq́ue maiora ad hanc rem requiruntur. Quanquam & corporalem, externum cultum ipsi debemus: animam enim,

enim,& corpus,& rem ab ipso accepimus,ijdem quoq; illi seruire æquum est, sed in his maximè fidem, spem, charitatem, obedientiã, timorẽ & magnificentiã postulat. Hic ergo suã quisq; scrutetur conscientiã, & quo affectu Deum magnificet, quid credat, quid speret, quid amet, quid timeat, secum quærat. Tum verò & illud attendat, cui rei toto anno studeat, quam in Ecclesia vitæ rationem sequatur, quæ via sua in huius Sacramenti præsentia, quomodo vtatur fruatúrue, quo animo accedat: & sanè minus verè nobis conuenire Pauli sermonẽ inueniet. Deum cognouerunt, sed non vt Deum glorificauerunt. Propterea nec illud adeò mirandũ est, quod tertium quoque illud in nobis consideretur: Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Tradidit eos Deus in reprobum sensum. An non cogitationes nostræ circa hoc Sacramentum egregiè nos seduxerunt atque impingere fecerunt? An non horrenda cæcitas est insipidi cordis nostri, vt nec aperto & claro verbo credamus? An non reprobus sensus est, ea contemnere, quæ maximè possent commodare? Quod bonum est, malum: quod malum, bonum dicimus: lucem tenebras, tenebras lucẽ ponimus. An non peruersus intellectus est, quod honori nostro seruit, erubescere: quæ extremæ ignominiæ sunt, iactare: tam turpi leuitate de grauissimis rebus loqui? Ecce hanc Deus mercedem rependit, nempe vanas inutilesq; cogitationes, obscuratũ cor, sensumq; reprobũ, ex quibus necessario vita impudica sequitur. Hæc, inquã, merces nostra, hoc stipendium est, quòd Deum cognoscentes, non vti Deum glorificamus: quid sit hoc Sacramentũ & quis auctor eius scientes, tanta tamen leuitate tractamus, tam turpi de eo sermone loquimur, tam deniq; impiè in ipsius præsentia conuersamur. Et quis eam ob rem acriore seuerioreque nos animaduersione dignos non intelligit? Vtiq; quam olim Deus in populum Iudaicum pro ingratitudine ipsorum pœnæ seueritatem immiserit, nouimus. Dimisi (inquit Deus ad Mosen loquens) scilicet peccatum hoc populi mei iuxta verbum tuum. Viuo ego. Attamen quia viderunt maiestatem meam & signa, & tamen tentauerunt me iam per

Roma. 1.

Isai. 5.

Num. 14.

decem vices, nó videbunt terram, pro qua iuraui patri-
2.Reg. 6. bus eorum. Et in solitudine hac iacebunt cadauera ve-
1.Reg. 6. stra. Tum nec ignoramus quam multi in Arcam Dei im-
1.Reg. 4. pegerint. Osa eam tantum manu attigit, & occisus est. Sed & Bethsamitæ corporeis eam aspexerunt oculis, quod vetitum erat ipsis, & mox occisi sunt. Israël etiam vniuersus pompas solennes, sed externas sine fide vlla illi instituerunt, & mox deinde cæsi ab hostibus, ipsam perdiderunt. Philistæi ad se rapuerunt arcam, sed in idolatria perseuerantes ita percutiebantur, vt quamcunque in ciuitatem introduceretur illa, illic mortis pa-
2.Reg.6. uor esset & vlulatus vsque in cœlum ascenderet. Dauidem risit Michol, quod lusisset ante arcam Domini, eoque & ipsa vsque in diem mortis prolem non peperit. Acriori igitur exhortatione nobis opus est (vt nunc sunt hominum mores atque tempora) quandoquidem
Heb.10. omnino horrendum est in manus Domini incidere. Si enim irritam quis faciens legem Mosi, sine vlla commiseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, sanguinemque testamenti, in quo san-
Hebr. 11. ctificatus est, pollutum dixerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Tantam ergo aduersus seculi huius proteruiam commodiorem exhortationē vnde sumam, nescio, quā illa Pauli dicentis: Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eū qui super terram loquebatur: multò minùs nos, qui de cœlis loquentem nobis auertimus, cuius vox mouit terrā. Et ite-
1.Cor.10 rū: Nolo vos ignorare fratres, quoniā patres nostri omnes sub nube fuerunt, omnes mare transierūt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari. Et omnes eādē escā spiritalem manducauerunt, & omnes eundē potum spiritalē biberunt, sed non in pluribus eorū beneplacitum est Deo. Nā prostrati sunt in deserto. Hæc aūt in figura facta sunt nostri, vt nó simus cōcupiscentes ma-
2.Cor. 6. lorū, sicut & illi concupierūt. Hęc omnia huius seculi leuitas meritò & rectè perpēderet. Hodie, inquit Dauid, si
Psal. 94. audieritis vocē Domini, nolite obdurare corda vestra, sicut patres vestri obdurauerūt. Quapropter gratiā Dei nó suscipiamus in vanū, vt Paulus in genere quidē mo-

ner,

net, tamē peculiari quodā modo de hoc festo & S. S. Sacramento intelligi potest. Vtique enim & ipsum ad gratiam Dei pertinet, imò vero præcipua eius pars est, vnde & nomen εὐχαριστία non solùm gratiā, sed bonā gratiam, dignamque laude significat. Non id sine causa inditum illi nomen est, vt & gratia, & bona gratia nominetur. Primò enim nullo nostro merito sed gratia à gratioso Deo nobis collatum est. Deinde etiam eorū tātùm commodo datum est, qui coram Deo gratiosi, hoc est, accepti, siue in gratia sunt. Tertio, ipsum Christum plenum illum gratia in se continet. Vnde non sine causa, ne gratiam hanc in vacuum recipiamus, admonemur. Ille verò in vacuum recipit, qui hoc Sacramentum nulla sui emendatione percipit, qui nec fide confirmatur, nec spe certior, nec charitate fit flagrantior, nec maiori ac promptiori erga Dei mandata & ad imitandum, Christum obedientia mouetur. Agite ergo ne hanc in vacuum receperimus gratiam. Donum illa per se ingens est, pretiosum est, summè vtile est, per necessarium omnibus est. Tum à summo Deo summa charitate & gratia nobis venit. Beatos planè nos rectè recipientes: infelices nos ac væ nobis, si ingrati fuerimus. Gratia Dei nobiscum, Amen.

Eucharistia cur dicta.

Ioan. 1.

SERMO SEPTIMVS.

In prosam: Lauda Sion saluatorem, lauda ducem & Pastorem.

FEsta istha̅c ac solennis dies illius me dicti admonet, quo Manasses Rex Ierusalem olim Dei Optimè Maximè & Maiestatem & misericordiam, pœnitentiam agens, inter alia multa confessus est, dicens: Immensa & inuestigabilis misericordia promissionis tuæ, quoniam tu es Dominus altissimus super omnem terram, longanimis, & multum misericors, & pœnitens super malitiam hominum. Habent sanè hæc verba, quod pijs mentibus plurimum prodesse queat: imò vnica peccatorum consolatio est, nosse, quia D E I immensa & inuestigabilis sit misericordia. Horum igitur verborum iuxta præsentē festiuitatem memini, neq; verò qua conuenientiori ratione hunc sermonē exordiar, scio.

2. Par. 36.

scio. Primò quòd hodie id genus verba in Ecclesia vtimur. Sic enim audiuimus dicentem: Immensa diuinæ largitatis beneficia exhibita populo Christiano inæstimabilem ei conferunt dignitatem. Quæ sanè illis Manassæ verbis, quibus Dei misericordiam immensam esse testatur, non absurdè competunt. Id quod hoc ipso festo apertè consideratur. Quid enim sacramentum hoc nisi certum & infallibile diuinæ charitatis & misericordiæ argumentum est? Se nascens dedit socium, conuescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium. Et quid vt omnia faceret, nisi amor atque misericordia mouit? Sanè vulgaris neque amor neque charitas est cuius eiusmodi effecta sunt. Neque vllum in omnibus historijs exemplũ huius inuenire licet, siue homines siue fictitios stultæ gentilitatis Deos consideres.

Ioan. 13. Maiorem, Christo Deo teste, charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Inuenti quidem sunt & inter Gentes, qui sese amicorum gratia in mortem dederũt: vt in Romanis, Curtius, Decij, Attilius Regulus, & alij: in Athenienſibus Codrus: Idque in hominum natura summum est, quæ charitatem suam nullo maiore argumento ostendere potest. Sed apud Deum & patrem nostrum & amor & charitas multò sublimior est, imò apud ipsum omnia immẽsa, omnia

Phil. 2. sunt inperuestigabilia. Primò enim, cùm Christus naturalis ille Dei filius in forma Dei, Deo per omnia æqualis esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiẽs, humiliauit, obediens factus vsque ad crucem. Hoc nulli fecit secundus, nec habebit secundum aliquem. Deinde

Rom. 5. Ioan. 17. Gen. 15. non solùm pro amicis, verumetiã pro inimicis suis mortem subijt. Neque id ante postúe ipsum fecit alter, nec faciet aliquando. Tertiò non solùm secum suos habere in cœlis, verumetiam eorum ipse merces esse vult. Id quod ipsum quoque nemo secundus potest. Ad hæc pro sua omnipotenti sempiternaque sapientia eiusmodi medium modumque inuenit & disposuit, quo etiam his in terris, licet inuisibiliter, tamẽ verè ipsum habere, percipere, fruique possimus, idq; in certissimum suæ dilectionis atque misericordiæ pignus. Et illud sanè immensa est misericordia. Hoc ergo festo apertum fit, verè ac-

 est è

rectè Manassen dixisse, ijs ipsis verbis, quibus & ipse exordij loco vsus sum. Neque vlla eius firmior validiór que, quàm hoc sacramentum esse & haberi poterit demonstratio. Vnde apud pios multa quæstione aut disputatione opus non est, cur tanta cum magnificentia hoc sacramentũ in Ecclesia veneretur, cur illi hæc dies festa instituta. Acta Apostolorum legenti, manifestum est, hoc in primis habuisse veteris Ecclesiæ patres, cùm & Apostoli, & qui cũ ipsis credebant, post acceptum spiritũ sanctum in hoc sese exercentes perseuerarũt, fidémque suã coràm in fidelibus testati sunt. Erant, inquit Lucas, perseuerantes in doctrina Apostolorum, & in fractione panis. Tum nemo ignorat ipsa institutionis sacramenti huius die, non licuisse prolixo sermone, vti necesse est, hac de re loqui, quòd mox passionis sequebatur sermo. Propterea necesse erat olim institui solennem diem, maximè verò illo tempore, quo Apostoli quàm diligentissimè illi vsi sunt. Et hæ rationes pijs omnibus proculdubio sufficiũt. Si porrò quis cõtentiosus esse noluerit, nec his acquiescere, huic ego respondeo: nouis morbis, nouis remedijs obuiandũ est. Quod si nihil ab hæreticis in Ecclesia fuisset deuastatũ, quod Ecclesia instauraret nihil habuisset: si Berengarius, de quo alibi dictum est, qui primus sacramenti huius veritatem negauit, in Ecclesiæ manusisset gremio, cur hoc festum institueret Vrbanus non habuisset. Sed quia ille sacramentum hoc omnium contemptui expositum erat, hic necessario maiori diligentia prædicauit, scripsit, aliaque instituit quo pristinæ restitueretur dignitati, quod callapsum fuerat. Hoc ergo modo etiamnum festam hanc diem celebrem agimus, Deo qui eiusmodi thesaurum donauit, gratias agentes, fidem nostram aduersus veterum nouorumque hæreticorum errores confitentes, coram Iudæis atque Gentibus, quod non erubescamus: Fidei nostræ confessionem testificantes, ignauos ad reuerentiam, amorem, & pietatem huius sacramenti incitamus. Sed & contemptores admonemus hoc ipso, vt nõ hominis se, sed Dei instituta contẽptui habere magno suo malo cogitẽt. Hęc iam festi huius omnisq; solennitatis præsentis causa est. Hæc remedia noua, quibus Ecclesia nouis Berengarij

Act. 2.

Institutio Festi huius.

aliorumque medetur morbis. Et hæc illis dicta sint, qui sine aliquo dispendio hanc ab Ecclesia solennitatē propelli arbitrantur, quod aliquando sine illa steterit, non considerantes, quod multo melius ac rectius Berēgarico illo errore vacuos esse liceret. Verùm enimuero repetito renouatoq; nostris tēporibus errore, ita planè, vt apud multos indubitatæ veritatis auctoritatem obtineat: contrarium illi remedium repetendū est. Derelinquant potius errorē: sacramentū hoc iusto honore, vt olim, venerentur: & Ecclesiam, nullum hęreticum, qui hunc errorē resuscitet, aliquando proditurum certiorem faciant: tum ipsi hanc festiuitatem Ecclesię nō esse necessariam spōte fatebimur. Vbi enim morbus nec adest nec timetur, remedio opus non est: vbi vltrò paratisq; animis fiūt, quæ fieri cōueniunt, exhortationis locus non est. Sintq; hæc de hac festa die in genere dicta. At vulgi causa etiam in specie aliquid de eadem mihi dicendum est. Cui quidē instituto cantiones Ecclesię inseruient, quæ nunc ac deinceps eo diligētiùs interpretari laborabo, quo alios negligentiam suam in cultu Dei pertinacius defendere video, hoc ipso quod eas non intelligant. Materna igitur tibi enarrabo lingua, quæ de sacramento hodie inter alia deçantata sunt. Sequentiam (quam vocant) siue prosam, qua summam festiuitatis huius, hoc est, quid hic cogitandum, dicendum, faciendum, petendumque sit, in se complectitur. Illa ergo sic habet: Lauda Sion saluatorem, lauda ducem & pastorem in hymnis & cantieis. Quantum potest, tantùm aude, quia maior omni laude, nec laudare sufficis, &c. Hoc modo pro cuiusque voluntate vti illa licebit. Est enim hæc Ecclesiastica cantio, quam per se meliora non inuenientibus hic proponere placuit. Habet autem, vt dixi, quicquid de hoc Sacramento credendum, cogitandum, dicēdum, quicquid hic faciendum, orandumque est, & ita habet, vt rectiùs clariusque enarrari non possint. Ea ipsa etiam quàm compendiosè possum explicare, ac Scripturarū testimonijs, veluti digito ostendere, libet, quicquid in ea dicitur vt nemo non, cui fundamēto Ecclesiasticæ cōciones innitantur, videat. Duobus ergo primis versibus Sion spiritalis, Ecclesia, nempe Chatholica ad laudandū Deū ex-

exhortatur. Et sanè Deum laudare primum huius festiuitatis esse decet. Neque id vlla demonstratione eget Scripturarum. Deum enim laudare, decentissimum Christianorum studium est. Propterea enim vocati omnes, vt annunciemus virtutes eius, qui de tenebris vocauit nos in admirabile lumen suum. Tum in Isaia ipse loquitur dicens: Populum istum formaui mihi, laudem meam enarrabit. Vnde & Paulus monet, vt impleti spiritu sancto loquamur nobismetipsis in Psalmis, hymnis, & cãticis spiritalibus, cantantes & psallentes Deo in cordibus nostris, gratias agentes pro omnibus. Magna enim vt id præstemus causa est. Et tria illa hodie decantata epitheta idipsum monent, nimirum, cum Sion laudare iubetur & saluatorem, & ducem, & pastorem. Hæc enim tria in Christo nunquàm non inueniuntur. Saluator est enim qui nos à peccato, & morte liberauit: Dux, qui in omne bonum præcedens inducit: Pastor, qui nos in optimum salutaris pascuæ locum collocatos ab hoste, lupo tuetur atque defendit. Et quid hac præstanti referri potest rectius laude gratiarumque actione? Non autem negligenter hoc, sed vt possimus vigilanter faciendum est. Minus enim illo est quicquid conamur, maiorque ille est omni laude, nec laudare digne sufficimus. Ecce hæc priores duo versus exigunt. Estque hoc dictum in genere. Verùm mox alia subiungitur ratio, qua hac die peculiari quodam modo & fortius ad gratiarum actiones cohortamur. Panis viuus & vitalis quem Apostolis suis in Cœna CHRISTVS eo modo proposuit, vt etiam nobis hodie proponatur. Qui certè rectè panis viuus & vitalis dicitur. Ita enim eum CHRISTVS ipse vocare non dedignatur. Ego sum, inquit, panis ille viuus, qui de cœlo descendit. Et: Sicut me misit viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. An non speciali laude dignum est, eiuscemodi nobis à Deo patre cibum datum esse, ac dari hodie? Nobis, inquam, quia quod patres in manna perceperunt, hoc nostro pane omni comparatione minus est. Et huc collatio illa sancti sacramenti huius nostri cum manna Iudæorum pertinet. Superbè gloriabantur Iudæi, patres suos à Deo in deserto cœlestem

1. Pet. 2.
Isa. 43.
Ephe. 5.
Luc. 1.
Eccle. 43.
Ioan. 6.

leſtem panem accepiſſe, tamen mortuos eos, & magna ex parte in peccatis mortuos eſſe fateri cogebantur. Manna enim quod acceperant, neque à corporali, neque ab æterna morte liberare potuit. Propterea verè Chriſtus ip-
Ibidem. ſorum iactantiam refellit. Non, inquit, Moſes dedit vobis panem de cœlo, ſed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Et hoc ſequentes duo alij verſus volunt, quibus cauſa diuinæ laudis innuitur. Nimirum ideo hæc Dei laus inſtituta eſt ſpecialis, quod nobis menſam pa-
Pſal. 22. rauit, aduerſus omnes qui tribulant nos. Id quod in ſequentibus clarius adhuc, qualis ſit menſa, quam Deus ſuis parauit, oſtenditur. In hac menſa noui regis, nouum paſcha noue legis phaſe vetus terminat. Ecce tibi his verbis expreſſum, que hęc menſa ſit. Menſa, non hominis alicuius priuati, ſed Regis, nec cuiuſlibet Regis ſed noui, cui Deus ipſe (poſt multam huius mundi altercationem) regnum, regnum, inquam, ſempiternum tra-
Dan. 4. didit teſte angelo in Daniele, qui poſt quatuor potentiſſima orbis regna, Babylonicum, Perſicum, Græcũ, & Romanum, regem ſurrecturum alium aſſerebat, cuius poteſtas æterna, cuius regnum ſempiternum eſſet futurum. Hic rex Chriſtus eſt, qui omnes nos ad hanc menſam inuitat. Et quis honos cõtingere nobis poſſet amplior? Aut quis in hac tãti Regis menſa exquiſitum excellensq; expectandum quid eſſe, non arbitratur? Et quæ rex noſter apponit fercula? Nouum paſcha nouæ legis. His ſane verbis ſacramentum noſtrum, imò ipſe Chriſtus cũ Iudæo-
Exod. 12. rum agno phaſe confertur. Illud vetus phaſe veteris legis erat, hoc nouum paſcha nouæ legis eſt. Quemadmodum ergo illud primùm immolabatur, deinde veſcebatur, ita & noſtrum ſacramentum primùm offertur, deinde frangitur. Illud figura & vmbra erat, hoc veritas & lux eſt. Vt igitur figura veritati, vt nox diei cedit, ita phaſe vetus Paſcha noſtrum, qui eſt Chriſtus immolatus, terminat. Hoc ſolùm agamus, vt hoc ipſum pa-
1. Cor. 5. ſcha noſtrum in azymis ſinceritatis & veritatis epulemur. Iã verò & illud hac Eccleſiaſtica cantione deſcribitur ordine, quid de hoc ſacramento Eccleſia credat: quo ſanè omnes hæreticorum errores, quibus Satan hoc nouum paſcha impetijt, refutantur. Id quod præcipuè cum

omni

omni diligentia considerandum est, maximè nostra ętate, quæ tam diuersam fidem atque doctrinam de eo tradit. A principio Sancta Catholica Ecclesia & credit & palàm docet, sacramentum hoc non solum vti spiritalem cibũ, verùmetiam vt sacrificium datum esse nobis: Vnde et nouum pascha dicitur nouæ legis. Erat enim phase apud Iudæos in præcipuis sacrificijs, veteris testamenti. Idque prius immolabatur, deinde comedebatur, in memoriam exitus ipsorum de terra Aegypti. Eadem ratio sacramenti nostri est. Atque hic mox eorum sententia confunditur, qui hoc sacramentum aiunt testamentũ esse, quo nobis aliquid à Deo confertur, non verò sacrificium, quo nos Deo aliquid donemus offeramusq;: nempe hoc vrgentes, non posse in eodem cõsistere sacrificare & comedere, non intelligentes non solum agnum phase, verumetiam omnia ferè alia sacrificia hæc duo comprehendisse, vt primùm immolarentur, & deinde comederẽtur. Deinde Ecclesia credit atque docet, nõ Apostolos solũ à Christo semel hoc Sancto corpore & sanguine suo pastos esse, verumetiam quoscunque subsequentes, imo & ipsos qui nos vsque ad finem mundi secuturi sunt credentes. Quod in cœna Christus gesserit, faciendum hoc expresserit in sui memoriam. Id quod Euangelistæ nostri & Paulus clarissimè exprimunt, cùm Christi verba referunt mandantis: Hoc facite in meam commemorationẽ. Quo rursus & eorum opinio incredulitasque refellitur, qui Christum eam post se reliquisse, ac hominibus datam esse potestatem diffidunt: impossibile arbitrantes, humana voce Christum è cœlo posse euocari, inque panem impelli, nõ considerantes, sola Christi verba hæc operari, quibus nihil vnquam impossibile fuit, vt in tot tantisq; miraculis, quæ solo virtutis suæ verbo operatus est, videre non est difficile. Et quomodo non in hoc etiam sacramento omnipotens verbi illius virtus operaretur? Nõ humana possibilitas, sed diuini verbi respicienda est potestas. Quartò Ecclesia credit, docetq; præcipuam, cur Christus hoc sacramentum instituerit, fuisse causam, vt sanctæ passionis oblationisq; in cruce factæ apud omnes haberetur memoria, ac cõseruaretur. Et illud est, quod canimus: Facien dum hoc expresit in sui memoriam. Quo quartus circa

Exod. 12.

Matt. 26.

1. Cor. 11.

hoc

hoc sacramentum error confunditur, quo alij sine iudicio docent, simplicesque in eam persuasionem inducũt, quod ideo institutum sit, vt peccatorum inde petatur remissio, cùm tamen aliud sacramentum ordinatum sit ad remittenda delicta, nimirum Pœnitentia. Et hinc est, quod omnes fere pœnitentiam negligãt, cùm quisq; peccatorum remissionem compendiosiore via sibi promittat, nimirum in hoc sacramento, vbi longè minus laboris est, quàm in pœnitentia. Hinc quoq;, quòd rudiores admodum vtranque speciem vrgent: nam cùm in verbis calicis remissionis peccatorũ fit mentio, arbitrantur se minimè remissionem peccatorum consecuturos, nisi sumpto è calice sacramento. Id quod falsissimum est depraua ti sensus commentum. Nusquàm enim sacris scripturis traditum est, sanguinem in remissionem peccatorum bibi, sed in remissionem peccatorum effusum esse, hoc manifestè probatur. Antè remissum sit peccatum oportet, quàm percipias hoc sacramentum, alioqui ad iudicium & condemnationem percipies hoc sacramentum. Propterea Catholicæ sanctæ Ecclesiæ doctrina est: Sacramentum hoc offerendum simul atque percipiendum esse, nõ solùm in remissionem peccatorum, verumetiam in memoriam passionis Christi. Illud enim Christus in cruce meruit: hoc semper necessarium est. Quinto etiam hæc fides atque doctrina Ecclesiæ est, in ipso hoc sacramento, panem ac vinum per consecrationem in corpus ac sanguinem Christi conuerti, id quod verum salutis nostræ sacrificium est. Dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis, & vinum in sanguinem. Et hic iam Berengariorum contunditur schisma, quo tradunt sacramentum hoc non esse substantiale Christi corpus, tantummodo figurã eius cõtinere: id quod fit, quando propriæ suæ opinationi, quã infallibili Dei verbo plus tribuunt. Propterea rectè nobis Ecclesia consulit, cùm rationem captiuare docet, vt sola in diuinis rebus fides operetur. Quod non capis, quod nõ vides, animosa firmat fides præter rerũ ordinẽ. Sextò & hoc credit traditq; Ecclesia, quòd post factã consecrationẽ, nec panis nec vinũ illic maneat, sed signa & circunstantiæ tantũ panis ac vini, sub quibus maxima, nimirũ corpus & sanguis Christi com-

comprehenduntur. Id quod ipsa etiam institutionis verba innuunt. Non enim Christus dixit: Hic panis est corpus meũ, siue in hoc pane est, sed simpliciter: Hoc est corpus meũ. Quo rursus erroris arguuntur, qui transsubstantiationem negant, existimantes panem & corpus, vinum cum sanguine simul adesse, occasionem verò erroris sui aucupantes ex eo, quòd Paulus integrum seu totum hoc sacramentum vnum panem dicit. Septimò, Ecclesiæ, hæc fides atque doctrina est: Integrum Christum sub vtraq; specie esse. Cuius fundamentũ in Ioanne est, qui ait: Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus. Semel solutus est Christus nimirũ in morte, quãdo à carne eius sanguis, & à corpore soluebatur anima. Quanquã deitas ipsi⁹ nihil horũ dereliquit. At nũc porrò integer ac totus vbique Christus manet, non caro à sanguine, non corpus diuiditur ab anima. Vbi corpus, illic & anima: vbi caro, illic & etiã sanguis est, illic & deitas ipsa prẽsens est, sed cũ ratione. Nã sub specie panis, primũ & maximè corpus Christi est, cõsecutiuè autẽ & sanguis. Sic etiam sub specie vini, principaliter sanguis Christi est, consecutiuè verò & corpus, & anima, & deitas eius. Et hìc illis respondetur, qui Christũ in hoc sacramento diuisum esse autumant. Scilicet, sub panis specie solũ corpus Christi, sub vini specie solum sanguinẽ, quod nec est, nec esse vnquam potest. Christi enim, posteaquã resurrexisset, corpus & sanguis, anima & deitas coniuncta sunt rursum, amplius non soluitur, totus & integer sub vtraque specie manet. Octauò credit ac docet Ecclesia: Licet in multas partes sacramentum hoc fractũ nonnunquam in multos distribuatur, integrum tamen manere Christum, eumque nec diuidi dentibus, nec frangi manibus. Nec plus qui solus accipit, nec minus qui cum mille participat, vterq; enim & quilibet eorũ totũ Christum habet. Id ergo repugnat Capernaitarum errori, qui corpus Christi dentibus carpendum, & quo alter plus sibi sumeret, hoc alteri relinqui minus, putauerunt. Sed negat Ecclesia: A sumente enim non concisus, non confractus, non diuisus, integer accipitur. Sumit vnus, sumunt mille, quantum isti tantum ille, nec sumptus consumitur. Postremò Ecclesia credit ac docet, hoc Sacramen-

1. Ioan. 4.

mentum credentibus fructiferum esse, malos verò non sine salutis discrimine illud participare: Mors est malis, vita bonis: vide paris sumptionis quàm sit dispar exitus. Id, quod ex Paulo sumptum est, simúlque negligentiam
1. Cor. 11. cùm Ecclesiasticorum, tum vulgi circa hoc Sacramentũ damnat. Eadem enim sæpè & sacerdotum sacrificantium, & plebis cõmunicantis est negligentia. Nemo illud mortem esse malis, nemo paris sumptionis tam disparem exitum cogitat. Ecce hæc Catholica Sanctę Ecclesiæ de hoc Sacramento & fides & confessio est, qua quicquid Satan aduersus illud molitus est, mouereque porrò posit, resutatum est. Huic iam exclamationem iungit, deinde & preces addit. Ecce panis angelorum, hoc corpus & sanguis, anima deitásq; Christi est, quod summa exultatione semMatt. 15. per intuentur Angeli, factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus. Id quod non nunc exco
Gen. 22. gitatur, sed in figuris præsignatur, cum Isaac immolatur,
Exod. 12. agnus paschæ deputatur, datur manna patribus. Hæc illa Ecclesiæ exclamatio, qua hic præsente Sacramento filios suos exhortatur. Huic adduntur preces. Bone pastor, panis verè Iesu, nostri miserere, tu nos pasce, nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viuentiũ. Tu qui cuncta scis & vales, qui nos pascis hic mortales, tuos ibi commensales cohæredes, coæquales et sodales fac sanctorum ciuiũ. Amen. His precibus Ecclesia cantionem suam, quam laude diuina inceperat, concludit. Vtile simul atque necessarium, maximè his malis diebus iudico, si quis sumpta tẽporis commoditate, quæque huius verba secum ponderauerit. Equidem occasionem vobis dare volui, quod solum nunc licuit. Prolixius enim ea de re loqui nõ datur. Pius ille Thomas Aquinas, cui hæc Ecclesiastica, vnáque cum illa totum Officium tribuitur, nihil quod ad confirmationem conseruationémque fidei nostræ in hoc sacramentũ facere posit videri prætermisit. Faxit Deus Optimus Maximus vt hæc mente sequamur. Amen,

SERMO OCTAVVS.

SI nulla alia Deum, vt suo sancto spiritu nos ad vnitatem fidei, Christianæque doctrinæ reduceret, instanter & assiduè orandi daretur occasio, sola tamen hæc festiuitas moueret. Quo enim res quæque melior est,

eo ma-

eo maior quærendi adest causa, cum ab vsu eius prohibemur. Ecclesiam vero corporis ac sanguinis Christi sacramento nihil habere melius, nihil pretiosius, vti quo vno veluti corporaliter & substãtialiter Christo incorporamur (Qui enim manducat carnem meã & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo, ipse ait) fatemur omnes. An non igitur conquerendum merito est, quod nostro hoc seculo, ipsius Sacraméti causa tot quæstiones mouentur, tot disceptationes rixæque exortæ, imò tot conuitia & maledicta nata sunt, vt plurimi homines hoc sacramentum minus curent, & fructu, quẽ inde percipere poterãt, priuantur? An nõ ingenui hominis Christiani, est Deum ardentissimis votis precari, vt nos in vera Sacramenti huius fide coniungat, atq; in eadem conseruet, quo maiori cum vtilitate illo vtamur? Quãdiu enim amara illa inter nos vigent iurgia, verum vsum in Sacraméto hoc nulla inueniet partiũ, quod contentionibus eiusce modi dilectionis rũpitur vinculũ, contra verò inuidia & odium in nobis excitatur, id quod huic sacramento plane contrarium est. Est enim illud vnitati sacramentum, amoris pignus. Iam mihi hic vide, an non sit omnium miseratione digna res, quod Christus tanta diligentia, mera, ingenti, atque ineffabili dilectione ad sempiternam suorum consolationem instituit, hoc propria peruersitate nobis inutile reddimus. Propterea hũc hodiernæ festiuitatis sermonem quomodo conuenientius exordiar nescio, quã si omnes in genere, & quemlibet vestrum vrgentissimè admonuero, vt iam iam atque deinceps quandocunque hoc sacramentum intuendi datur oportunitas, aut ipsi illud in memoriam vestram reuocaueritis, singuli precemini atq; dicatis: Verã ô Deus hic nostris mentibus insere fidem, ne nos errare in fide, doctrina, vsuque huius Sacramenti patiare. Satanam hoc tanto nos thesauro priuare, eumq; incommodum nobis reddere, ne permittas. Da gratiam, qua voluntatẽ tuam in hoc sacramento agnoscant omnes, rectè de illo sentiant ac doceant, iustè etiam suis vsibus accommodent. Omnem circa hoc sacramentum dubietatis, erroris, superstitionis, abusus denique nebulam cordibus tuorum exime. Da vt Ecclesiæ proceres hac parte præter tuam Ioan. 16.

gloriam, ac mystici corporis tui salutē nihil quærāt. Hac arbitror oratione summè opus esse, aut simili huic festo conuenienti, præsertim nostro hoc seculo. Vnde & vos eius omni studio admoneo aq; hortor. Non enim parū quid nostra refert hoc sacramentū. Quare iā porrò nōnihil mihi dicēdū puto de festi huius institutione, quid à nobis postulet, vt eo vobis piè cogitandi hodie atq; operandi detur occasio maior. Ac principiò, hanc festiuitatē nulla alia ratione institutā esse, quàm vt credētibus cum diligentia meditandis Dei miraculis ac gratijs daretur tēpus & occasio, certissimum est. Hic enim miraculorū miraculum, & gratiam aliam alia abundantiorē cōperimus. Hic Deum omnia verbo suo posse, & quoduis facere. Hic discimus, nihil tā charū Deo esse, cuius nos quoque nō velit facere participes, imò quòd noster esse velit, quantus quantus est. Nemo tā rudis: qui hoc sacramē-
Psal. 76. tum cōsiderans cū Dauid nō dicat: Tu es Deus qui facis mirabilia, tu es Deus solus. Et cū Ieremia: Nō est simi-
Ier. 10. lis tui Domine, magnus es tu, & magnū nomē tuum in fortitudine. Quis nō timebit te o Rex Gentiū? Rursus nemo in spiritualibus tā negligens, qui non vel semel
Psal. 144. degustata sacramenti huius suauitate, cum Dauid dicat: Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicā nomini tuo in seculum. Et mox: Suauis Dominus vniuersis & miserationes eius super omnia opera eius. Quum ergo magna in hoc Sacramento Dei mirabilia, ingentem diuinæ bonitatis inuenimus gratiā, meritò maiori hæc indagamus studio. Sanè si alijs quę Christ⁹ pro nobis fecit & passus est, propriæ ac peculiares festiuitates, imò & octauæ, hoc est, octo continui dies, quibus omnia rectè atque vt decet, ordine cùm prędicentur, tùm considerentur, instituti sunt, cur non & hoc Dei opus, sacramentum hoc, inquam, peculiare quoddam tempus, meditandis prædicādisque Dei in eo nobis exhibitis donis aptum haberet? Et conuenienti ordine hæc facta fuissent, quinta Cœnæ dominicæ feria, qua Christus hoc sacramentū instituit, sed passionis illo ipso die, imò & eadem hora auspicandus sermo impedit. Cum enim duo facilè præcipua Dei miracula vno eodemque tempore nec proponi, nec pro maiestate explicari possunt, rectè illud Ecclesia tēpus in

alte-

alterius, hoc est, passionis seruatoris nostri Iesu Christi meditationem impendit, & sacramenti huius commendationē in aliud tempus differt. Et hæc hodiernæ festiuitatis causa est, quam nemo, nisi Dei operum meditationem malam dixerit, arguet. Quòd si eorum meditatio atque laus mala est, erit & ista hæc festiuitas mala: Si verò bona est & digna Dei operum confessio & prædicatio, etiam vel semel toto anno Dei opera atq; gratiam in hoc sacramento magnificare atque prædicare bonum, & dignū erit. Atque hæc de causa huius festiuitatis sint dicta. Sed hic aduersarij obijciunt, non illa, sed alia longè diuersa inter nos fieri, vt festiuitatem hanc maxima ex parte ad externas pompas & ostentationem, imò etiā ad inutilem sumptuū profusionem directā esse, quasi verò Dei in ornatu auri, argēti, margarytarumq;, et pōpis, quàm in spiritualibus animæ ornamentis, maior voluntas sit: Tum quòd ipsum Sacramentum deferimus, ostentamus, adoramus, quorum nihil in Euangelio præscriptū est. Atque hic sane, non diffiteor, verum esse, non hanc solùm, verumetiam alias festiuitates maxima ex parte, in externas pompam & ostentationem inuersas. Cæremonijs, campanarum sonitu atq; clangore festa nostra peragimus, quod reliquum est raro cogitamus. Inuenias enim plures, qui processione hac, quam vocant, pomposissime instructa, abundè satis factum esse huic festiuitati, nihil referre, si reliquo totius diei tempore sacramentum hoc ne quidē cogitent, imò verò toto die Christum ipsum atque sacramentum eius blasphemijs, nefandisque actibus iniquissimè insectati fuerint, arbitrantur. Sed non hoc Christiano, quin potius Ethnico more festos dies agere est. Idque nulla non ætate, vt inutile, superstitiosum, & pomposum Ecclesia arguit & damnauit, nedum docuit, vt veterum Ecclesiæ doctorum monumenta testantur. Nemo igitur Ecclesiam, quòd è quibusdam hæc festiuitas magis superstitiosè quàm piè peragitur, accuset. Tollantur abusus, maneant res. Et hæc priori obiectioni responsa sint. Et alteri quidem respondens, ipse fateor, quod sacramentum, ostendimus, circumferimus, adoramus, nusquam esse mandato præscriptum. Sed ideo malum esse ea facere, nondum ostensum est. Non enim cōstat sibi, quod

quidam dicunt: Impium esse & minimè Deo placere, quicquid Scripturis nec præceptum, nec suasum est. CHRISTVS nullum cibum credentibus suis interdixit, imò liberũ fecit quemcunq; vellent, cum ait: Quod
Matt.15. intrat in os, non coinquinat hominem: nihilominus tamen primo Concilio ijs, qui ex præputio conuersi erant, vt ad tempus quibusdam cibis abstinerent, cõcordiæ causa, mandarunt Apostoli. Hoc, inquam, nusquàm præceperat Dominus: non tamen id statuentes, peccarunt. Non ergo consequitur, si dixero: Hoc Scripturis sacris mandatum non est, ergo malum est. Sed si dixero: Hoc Scripturis repugnat, aut consentaneum non est, sic sanè formam argumenti, & quidẽ iusti haberet. Quicquid enim Scripturis sacris repugnat, sine dubio malum est. In alijs rebus sufficit, consentaneum esse scripturis, & ex ijsdem
Luc.9. elici posse. Qui enim non est aduersum vos, inquit Christus, pro vobis est. Ita & hic mihi dicere libet: Non ideo malũ est sacramentũ circunferre & ostẽdere, quod Christus id fieri non præcepit. Primo enim nulla Scriptura id prohibet. Secundo scripturis vehementer etiam consentaneum est, Christus enim nullam aliam sacramenti
Matt. 26. huius causam, præter sui memorię conseruationem in nobis, indicauit. Sed circunlatio illa & demonstratio sacramenti ad excitandam atque conseruandam Christi in nobis memoriam facere potest. Sanè optimus vsus esset, perceptione siue participatione eius Christi in nobis fouere memoriã. Id quod in exordio Ecclesiæ patres factitasse Lucas commemorat, cum perseuerasse eos in doctri
Act.2. na Apostolorum, & in fractione panis, tradit. Etsi hæc de sacramento hoc participandi pietas quotidie, aut certè quauis septimana vicibus aliquot in nobis cõsideraretur: hac circunlatione, & demonstratione opus non esset. Sed quis ardorem hunc extinctum esse, quis pietatem illã refriguisse iam olim, non videt, & ita sanè, vt vix semel toto anno ad communicationẽ inducamur? Et quid hic Ecclesiæ facto opus est? Ingens peccatum, grande dedecus est, hoc tanto Thesauro locupletatos esse, nec eo tamen vti. Grauius delinqueremus, maioreq; cum dedecore fieret, si Christi etiã memoriam aboleri pateremur. Ecce igitur hoc ipsum præuenire Ecclesia laborat. Cum ad quotidia-

tidianam sacramenti huius perceptionem nō compellit: quod potest, prestat: ob oculos positū sacramentū ostentat, antefert nobis, vt in plateis, vicis, atque ipsis domibus contueri liceat, si fortè ex aspectu ad perceptionem eius aliquo modo moueri & excitari possimus. Nec quic quam hæc Ecclesiæ supplicatio tam requirit, quàm quod obuijs omnibus dicere vult: Quid ó mortalium infelicissimi facitis? Quid cogitationes vestras vanè consumitis? Omnem in temporanea curam vestram impēditis, quod maxime oportuit, relinquitis. Christum, inquā, salutis omnis fontem maximo vestro incommodo negligitis. O miserā Adæ propaginā. Cur tantum tanti Regis munus proijcitis? Quid proprio filio Deus dare potuit præstantius? Quid filius relinquere vobis proprio suo corpore & sanguine excellentius? Ecce corpus, quod pro vobis traditum est. Ecce sanguinem qui pro vobis effusus est, imo quē ipse tradidit, atq; effudit. Et quæ vestra ingratitudo est, hæc nolle agnoscere, nolle memoria tenere, nolle cogitare? Quam vobismetipsis calamitatem inducitis, quàm grauiter Deum ad iram prouocatis, qui hæc eius dona respuitis, odistis, & nefando modo in calumniam rapitis. Hoccine Deus in vobis meruit? Hoccine patri pijssimo repēditis filij, creatura creatori talia redditis? An homo summum illud bonum cum negligere, tùm conuitijs insectari audebit? Conuertimini credentes, ab execranda illa negligentia vestra desistite, vocationem vestram agnoscite, ad Christum conuertimini, & huius sacramenti respectu, quid ille vobis præstiterit, recolligite. Ne vosmet tātis bonis spoliare, &c. Hoc modo sapientia Dei hoc die vbiq; & in plateis clamitat. Vsquequo paruuli diligitis infantiā? Cōuertimini ad me, ne postea flentes audiatis: Vocaui vos, & renuistis, extendi manum meam, & non est qui respiceret. Et ego quoq; de interitu vestro ridebo. Inuocabitis me, & ego non exaudiam. Hoc, inquam, nec quid aliud Ecclesia vult, sacramentum hoc circunferens omniumque oculis exponens. Et hic vides, festiuitatem hanc, quantum ad institutionem eius nihil mali continere. Vnum adhuc restat, quo homines plerunq; seducuntur: nimirum quod nonnulli aiunt: Tandiu manere corpus Christi in sacramento, dū verba profe Prou. 1.

runtur. Id quod ita esse nequit. Sequeretur enim: Primò, neminem corpus sanguinemq; Christi percipere: quod antequam os intrat, verba transierunt. Secundò, solũ vnũ ex duodecim illis Apostolis corpus & sanguinem Christi percepisse, nempe eum cui Christus cum verborũ enunciatione repente & simul in os dedisset. Semel enim tantùm hæc verba pronunciauit, vt ex omnibus Euangelistis apertè constat. Quin etiam ex Christi verbis, cùm
Ioan. 6. ait: Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo, colligi potest, etiam iamdudum pronunciatis verbis, ipsoq; sacramento sumpto, corpus tamẽ & sanguinẽ Christi manere in homine. Cur ergo non etiam in Sacramẽto, alibi asseruatũ ipsum corpus atque sanguis idem manerẽt? Rursus, si corpus Christi tamdiu in sacramento mansit, dum duodecim ordine illo perciperent, imò si etiamnũ hodie idem corpus ac sanguis in sacramento manent, dum aliquot centena homines communicant, cur non etiam in sequentem diem in loco honoratiore manerent? Aut si id negas, scripturas et rationes adfer cur illud ita esse possit, hoc non possit. Interea dum scripturas, tuam sententiam affirmantes inuenis, nos cum Catholica S. Ecclesia, corpus ac sanguinem Christi in Sacramento, etiã pronunciatis verbis, licet nõ statim sumatur, attamen vt sumetur in futuro, seruatur, manere credemus atq; cõfitebimur. Sumere enim illud,
Matt. 26. præcipuus eius vsus est. Accipite & mãducate, ipse Christus ait. Ex his omnibus satis, opinor, apertè declaratur, nihil mali in hac festiuitate esse, sed illuc potiùs respicere, vt Christi satisfiat institutioni. Iã quid ea à nobis quoque requirat, quærendũ est. Non enim per se bonã esse rẽ quampiam, satis est, sed rectè illa vtendum est. Sed, nunquid hodie satisfactũ illi est? inquis. Nihil enim quod ad huiꝰ festi gloriã facere videbatur prętermissũ est. Tũ protulimus quicquid pretiosum repositũ habuimus. Nũquid hæc feciſſe sufficit? Resp. Sufficeret, si Deus tantũ externa requireret. Sed hęc Deo satis esse superiùs negatũ est:
Prou. 23. alia enim præterea requirit. Fili mi, inquit, præbe mihi
Ioan. 4. cor tuum. Et Christus in Euangelio: Deus est spiritus, & qui adorant eum, oportet in Spiritu & veritate adorare. Quemadmodum enim ad bonum nauis non extrinsecus

pictam

pictam esse, sed validam: & ad bonum gladij non argentea vagina amictum, sed acutum esse sufficit: ita ad perfectionem cultus diuini non sufficit pomposum, sed pium esse, & ex imo pectoris prodire. Quòd si quæris, quid hęc festiuitas requirat? Tria sunt: Memoria Christi, gratiarũ actio, & iustus sacramenti huius vsus. Primo omnium cũ hoc sacramentum aspicis, ipse Christus totaque illius passio tibi in mentem veniat. Tum patris dilectionem cogita, qua sola motus, filium suum vnigenitum dedit, vt ipse Christus testatur. Non enim nos ipsum priùs dilexi- Ioan. 3.
mus, sed ipse prior dilexit nos, teste Ioanne. Vnde & pu- 1. Ioan. 4.
deat te tam paruipendisse Deum, imò omnia reliqua prę stantiora duxisse ipso. Deinde etiam paratam Christi obedientiam in memoriam reuoca, qua ad crucem vsq; humiliauit se: contrà inobedientiam tuam in Deum, atque mandata eius argue. Tertiò ineffabilem Christi dilectionem, qua se totum quantus quantus est, pro nobis impendit, cogita: tuæque te, qui vel minimum etiã Christo ac mẽbris ipsius denegas, pudeat immanitatis. Quartò, hoc nos sacrificio, corpori nempe & sanguine Christi ab æterna morte atq; damnatione ereptos redẽptosq; esse, tecũ perpende: tuamq;, qui nunquã dignas Deo exolueris grates, ingratitudinem corripe. Quintò hoc sacrificium, corpus scilicet & sanguinem Christi omnium perfectissimum, Deoque patri gratissimum esse, considera: tuamque incredulitatem, pusillanimitatemq;, qui tam certo diuini amoris pignore donatus, tamen desperationi appropinquas, increpa. Hæc aliaque id genus, pijs hic cogitanda sunt. Nondum tamen satis est, nisi etiam grati Deo laudes decantauerimus. Hinc enim sacramento huic nomen inditum est, εὐχαριστία, quod est gratiarum actio, dicitur. Illo enim quàm maximè ad gratias Deo agendas incitamur. Id quod Deo acceptissimum, nobis verò conuenientissimum est. Populum istum, inquit Dominus, Isa. 43.
formaui mihi, laudem meã enarrabit. vnde & Paulus mo- 1. Thes. 5.
net, vt in omnibus gratias agamus Deo: hoc enim ipsi beneplacitum esse. Si verò in omnibus laudandus est Deus, quanto magis in hoc sacramento? Propterea in quotidiano etiam Sacrificio dicimus: Gratias agamus Domino Deo nostro. Et hęc quidẽ nobis hac maximè die dictũ putemus.

temus. Vtique enim Deo hic gratias agere dignum & iustum, æquum & salutare est. Et væ nobis, si hac parte ingrati fuerimus. Tertiò danda est opera, vt recte ante omnia hoc sacramento vtamur. Hac enim parte horrendè ac perditissimè delinquimus, qui tam impiè, ridiculè, tam leuiter, tá impudenter, ab omni timore Dei alienissimi hoc sacramentum tractamus. Et quis hæc videre sine gemitu possit? Quis hic iram diuinam non timebit, quis seuerissimum illius iudicium non extimescit? Quid horribilius, quàm immundis tanta Dei mysteria tractare manibus, impuris hæc facere mentibus? Ad vos ó Sacer-
Malach. 1. dotes os meum est, Malachias ait, Laudem meam annunciare debuistis, & ecce despicitis me. Oblationē mundā debuistis nomini meo in omni loco offerre, & ecce panem pollutum offertis super altare meū, illotis manibus, conscientia polluta corporis & sanguinis mei sacrificium tractatis. Hæc ó fratres cogitemus, ne idem nobis, quod Heli filijs contingat, qui quidem egregiè sibi in Arca Dei placebant, ac confidebant, sed quia iniquè sacerdotale munus ac sacrificia explebant, quia dum admonerentur desistere ab iniquitate sua nolebant, factum est, vt vna die ambo perirent, simulque & Arcam Dei, & sacerdotium cum sacrificio, & vitam, & denique ipsum Deum amitterent. Proinde diligentius vigilemus ipsorum exemplis moniti, vt rectius hoc nostro Sacramento vtamur, quàm illi Arca vsi sunt, alioqui ijsdem pœnis subiecti peribimus. Gratia Dei nobiscum. Amen.

SERMO NONVS.

Psal. 80. EVangelio hodierno sic regius ille Propheta accinit: Deus cibauit illos ex adipe frumēti, & de petra melle saturauit eos. Neq; sane sine ratione fit, cui Euangelium ipsum causam, vt fieri debeat, administrat. Psalmus, vnde hic versiculus desumptus est, propriè quidem de Sacramento hoc nihil habet, multaque minus huius festiuitatis meminit: sed solummodo quid Israëlitis Aegyptum exeuntibus contigerit, narrans, ad spirituale nos exhortatur gaudium, quòd eundem quem ipsi Deum habeamus, eiusmodi planè, qui non solùm præteritis seculis beneficus in suos fuerit, verùmetiam eandem liberalitatis,

ralitatis suæ munificentiam promittat nobis in posterũ. Aperi os tuum, inquit, & ego adimplebo illud. Hæc illius Psalmi summa est. Porrò quis tam stupidus, vt, nobis quoque hoc ipso occasionem dari, rememorandi quæ olim Deus benefecerit nobis, quæ nunc, quæ aliquando facturus est, ac propterea in Domino Deo nostro etiam exultandum, non videat? Vbi enim modica & temporanea dona ea maiestate proponuntur, vtique cuique nostrũ, quanti magna illa spiritualia ac sempiterna bona promissiones sque æstimanda sint, manifestatur. Sit ergo hoc dictum in Israële corporaliter impleuerit Deus, eos sque non simpliciter pane quouis, sed adipe frumẽti, quod est, optimo frugum genere cibauit, tum etiam non modo aqua è petra, sed & melle, hoc est, optimo potu liberalissime (id enim hic tropus vult) potauit, saturauit, impleuit: excellentius quid tamen est, quod credentibus nobis exhibuit spiritualiter, atque etiamnum exhibet: cibauit olim, cibat etiãnum: potauit olim, potat etiamnum. Iam olim prẽterierant apud Israëlem, quorum postea hic Dauid meminit. Manna enim dabatur illis quousque Iordanem transirent, tantumque in deserto vescebantur illud. At deinde corripiens misit in eos magnam famem, vt tempore Eliæ tandem etiam omnes ex ea, quam dederat, terra eiecit. Nobiscum verò vsque ad consummationem seculi, ipso testante, permanet. Maiori igitur ratione nobis hic psalmus conuenit, quàm illis. Quid ergo Propheta dicit? Cibauit & potauit eos. Ecce vtrunque ponit, vtrunque etiam natura exigit. Non cibum solùm, verumetiam potum: non potum solùm, sed & cibum. Et iuxta hunc sensum hæc verba innuunt, quod copiosè, quicquid ad naturæ conseruationem requiritur, Deus contulerit. Sed & illud vide, quibus rebus ipse & cibauerit & potauerit nos: nempe non simplici pane, sed adipe frumenti: non aqua, sed melle. Vbi verò id melius & expressius egit, quàm in Sacramento? Quid enim hoc sacramentum est, præter omnium frugum ciborumque adipem? Et quid nisi mel de petra sunt, quæ Christus ante & post consecrationem huius dixit, verba? Et his iam duobus Christus cibat potatque nos, verbo suo atque sacramento reficit

Iosue. 5.
3. Reg. 17
Matt. 26.

nos, non alterutro solo sed vtroque simul. Paulus quidem sacramentum hoc, Domini panem vocat. Quemadmodum enim panis priusquàm panis fiat, in minutissimos atomos conterendus est, igne, & aqua coquendus est: ita non sine magna impensa ad nos iste panis peruenit. Est certè nunc cibus delectatione plenus: sed nō fructus, non consolatio in eo parata nobis cōsideranda solum est, verumetiam præcedentia ipsa, nimirum passio ac mors Christi respicienda sunt. Granum illud frumenti Christus, priusquam nobis panis fieret, conteri oportuit, ac mori. Vnde hoc Sacramentum panis dicitur. Licebit & adipem frumenti dicere. In omni enim ciborum genere, præstantissimum est, non solùm contenti, hoc est, corporis & sanguinis Christi ratione, verùmetiam significati. Est enim omniū promissionū Dei sigillum, de quo alibi latiùs dictū est. Vnde nō immeritò hodie cecinimus: Cibauit nos adipe frumenti. Additur autem & illud: Et de petra melle saturauit nos. Id quod in hoc ipso etiam sacramento, si verba, quibus Christus, dum illud institueret, vsus est, quæ verè nil præter mel sapiunt, rectè degustamus, cōsideratur. Quid enim dulcius, quid pium animum magis exhilarare potest, quàm quod Christus ait: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinē, in me manet & ego in illo, & viuet in æternum, nō morietur? Quid homini optabilius vita? Quid præstantius obuenire nobis possit, quàm non mori in æternum? Quid ergo homini deesse potest, qui in Christo manet, & illum manentem in se habet? Si quis ergo nulla his verbis dulcedine afficitur, lapide insensibilior est. Et hoc modo cuiuis apertum esse potest, non immeritò nos hodie canere: Cibauit nos Deus ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit nos. Et hæc pijs mentibus sufficerent, ad hanc festiuitatem cum gaudio Spiritus, Deiq; laudibus transigendam, nullaq; validiore exhortatione opus foret. Sed quia hanc solennitatem alijs contemptui esse, alijs nihil præter ostentationem & pompam haberi video, fusiùs mihi aliquanto de eadem dicendum est. Sanè dolendum est, nullum his rebus inueniri medium post tam multas disputationes, quum tamen meo iudicio, facilè inueniri posset, si modò veram

Ioan. 6.

institu-

institutionis eius causam scrutari liberet. Nemo sanè prudens hanc ipsam solennitatē rideret. Principio enim iam peractis festiuitatibus alijs omnibus, huius Sacramenti institutionem, quę propriè ante passionem Christi facta est, vbi etiam breuis quidem eius, propter sequentem passionis historiā, cui rectè omnes sensus mētesque intendunt, sed tamen aliqua mētio facta est, rursus atque ab integro in medium proponi. Duæ igitur dum concurrerent maximi ponderis res, eæq; breui illo tempore simul in cōcione tractari pro maiestate rei, atque credentium vtilitate satis commodè non possent, passio verò illius temporis ita principem locum obtinuit, vt Sacramenti huius institutio, vti cùm æquum, tum necessarium erat, cogitari atque perpendi non posset: hanc ecce diem patres instituere, qua omnibus per otium commodè de eo cogitare, loqui, atque discere vacaret. Id quod patres magna diligentia consideraue-runt, suamque erga hoc Sacramentum pietatem & deuotionem, interne, externè, anima atque corporis in mentis exultatione, atq; oris confessione, summè declarauerunt: sed & fidem, spem, charitatemq; suam in Deū externa reuerentia ac cultu testati sunt. Cuius rei etiamnum apud nos sunt vestigia quædam & indicia, sed imperfecta ac prope obliterata. Apud plerosque enim tantùm externa quædam pompa & ostentatio est, sine mente, sine vlla pietate: & quæ ergo inde vtilitas sperari potest? Quid mirum si alij eiusmodi nostra dictis atq; scriptis rideant? Solus, qui nihil immeditatus dicit facitue, sapiens mundo est. Hinc prouerbia: quod Apollini tribuitur, Inter mille vix vnum sapientem inueniri: Et quod Salomon ait: Stultorum infinitum esse numerum. Eccl. 1. Id quod veriùs quàm vel nos decet, vel cōducit, in nobis manifestatur, præcipuè in hoc festo. Quicquid hodie peregimus, vbique gaudium quoddam præ se fert: gaudium, inquam, non leue, sed magnum: Nec qui hodiernas cæremonias considerauit, secus dicere potuit. Quàm pauci verò sunt, qui quid eiusmodi lætitiæ signa velint, intelligant. Et licet sciant nonnulli, non tamen expendunt. Nihilominus tamen immiscemus nos alijs: si quid faciunt, facimus: si canunt, canimus:

si

si quò eũt, & illuc sequimur. Hic gradum sistimus, atq; bellè satis hanc festam diem celebrasse videmur nobis, cum hæc fecimus: cùm tamen de nobis quoq; dici debuit etiam in externis: Ecce populum intelligentem atque sapientem, sed maxima parte tantùm qui Deũ labijs honorat, cuius cor longè est ab eo. Populus nos sumus, imò verò nec frigidi nec tepidi meritoq; ne nos euomat Deus, timemus. Proinde intentis oculis, quæ huius festi atq; gaudij sit ratio considerandum est. Est autem magna illa Dei patris bonitas, quam toties, in tã grauibus rebus, tam aperte experti sumus. Huius, inquã, maximè nos admonet Sacramentũ, vt quod Christus etiam in sui commemorationem, imò Dauid teste in memoriam omnium mirabilium suorum instituit. Sed quæ illa mirabilia, in quibus bonitatem beneficentiamq; suam Deus ostendit, esse possunt: nisi Dei filium hominem factum, passione suã ac morte pro peccatis nostris satisfeciſſe, per resurrectionem suam super omnia exaltatum esse, ipsã passionis suæ merita, ipsam resurrectionis suæ victoriam, tum gratiam & pacem cum Deo, electis suis cuiuscunq; fuerunt cõditionis omnibus donauisse, & quod nos quoque in reliquorum numero admisit? Hæc, inquam, mirabilia illa, atq; plena dilectionis opera sunt, quorum hoc sacramento hodie admonemur. Ecclesia enim quasi omnibus dicere videtur in hęc verba: Videte ô Christiani, quanto dilectionis affectu summa illa Maiestas sese humiliauit, quanta pietate in nos respiciens nobis præuidit. Nulla sanè alia natio est, quæ habeat Deus appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. Quo vno facto declaratur, quod diuina illa sapientia loquitur, nimirum delicias Dei esse cum filijs hominum. Et hic iam cum Ieremia rectè cõfitemur, dicentes. Quis similis tibi, magnum est nomen tuum. Et quod Samuel monet: Timete Dominum, & seruite ei in veritate, & ex toto corde vestro. Vidistis enim magnifica, quæ in vobis gesserit Dominus. Neq; enim piè mentes decentius vtiliusq; aliquid cogitabunt, quàm si cogitationibus suis omnibus huic Sacramento intendant. Primum enim eiusmodi cogitatio contra peccatũ, mortem, infernum, omnemq; desperationem solatur ac erigit.

Deut.4. Isai.29. Apoc.3.

Deut.4. Prou.8.

Iere.10. 1.Reg.12.

git. Deinde etiam fidem confirmat, spem erigit, charitatem accendit, non in Deum solummodo, verum etiã in homines, longanimitatem in perturbatione, promptitudinem in omne bonum conferret. Quæ eiusmodi sunt, vt sine ijs non liceat esse Christianis, hoc licet seculo rariora considerentur, vt enim hæc tempora sunt, exigua admodum hominum fides est, imbecilla spes est, charitas refriguit, pietas perijt, lõganimitas nulla est, veruntamen vnicum hoc Sacramentum hæc omnia in nobis instaurare posset, si modo diligenter ac rectè illi intenderimus. Et quur miramur, tanta illud hodie grauitate proponi? Principio enim licet per baptismum ex Aegypto, hoc est, diabolica potestate erepti ac liberati per mare rubrum transiuimus, salebrosum tamen desertum cum Israële nobis restat, in quo plurimæ occurrunt tentationes, ac longa grandisue via cum Elia nobis peragrãda est, in qua vndique pericula insurgunt, vnde non solùm exhortatione ad pergendum, ne deficiamus, quemadmodum Eliam vrgebat Angelus, excitans è somno, verumetiam spiritualis cibi alimento opus est, imò verò non minore, quàm Mosi olim præsidio atque auxilio opus est. Ille enim cum transiret desertum ad Dominum vociferatur, dicens: Si nõ tu ipse præcedas nos, ne educas de loco isto. Et hoc dixit qui præter homines quod timeret, nihil habebat. Elias vnicam tantùm mulierem, quam timeret habuit, ita tamen pusillanimis erat, ipsam vt mortem concupisceret. Et nobis homines ipseq; cum suo principe mundus timendus est, quem tamen effugere poterimus, si cum Elia deserta petẽtes, subter vnicam Christi crucis iuniperum requieuerimus: vbi non iam angeli, sed ipsius Christi vocem audimus, dicentis: Cõfidite, ego vici mundum. Et iterum: Qui sequitur me, tollat crucem suam, & sic sequatur me. Et: Nolite timere eos, qui concidunt corpus, animam autẽ nõ possunt occidere. Quin sub hac iunipero cibum potumque, hoc est, consolationem aduersus omnem mundi huius perfidiam atque stratagemata inuenimus. nempe cum nihil nos posset solicitare, quod nõ ipse prius pro nobis passus esset. Primus enim hunc passionis crucisque calicem hausit, quo nos minus abhorreremus. Proinde non est,

3. Reg. 19 Exod. 33. 3. Reg. 19 Ioan. 16. Matth. 16 Matth. 10

quur

quur tantopere homines mundúmue timeamus. Quid enim aduersum nos possunt? Corpus, atq; bona tollere possunt. Non magna iactura æstimanda est, perdere, quo alioqui carendum est. Ablato corpore, quod præstantius est, tenemus, animam ipsumq; Deum. Et quidem horum causa, peculiares quosdã hostes habemus, animæ nostræ insidiantes, nimirũ peccatũ, mors, infernus atq; Dei iudicium. Quos licet nõ semper experiamur in nobis, certissimè tamen aliquando experiemur. Mors enim certa ventura est, tum hauddubiè peccata tua tibi se offerẽt, & deniq; iudicium Dei præfinitum in prouidẽtia Dei obseruat diem. Triceps imago horribilis. Et quis aduersus mortem, peccatum, atq; iudicium Dei persistere potest? Inimici tui, inquit Christus, circundabũt te vallo, & coangustabunt te vndiq;, & ad terram prosternent te. Tria sunt, quorum primũ mortis, secundũ peccati, tertiũ iudicij Dei atq; inferni opus est. Contra hos omnes nemo, nisi in Christũ respexerit, persistere potest. Hic enim imago vitæ tibi est, si mors territat: imago gratiæ est, si peccatate coãgũstant: imago bonitatis Dei est, si diuinũ te iudicium solicitat. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Ego sum panis viuus. Et mox: Qui mãducat meã carnem & bibit meũ sanguinẽ, in me manet, & ego in illo. Quibus quid aliud Christus vult, nisi quòd credentibus suis seipsum exhibet? Et hoc modo sacramentũ hoc certissimũ indiciũ est, Christũ intolerabile iugũ peccatũ, quod (Dauid testãte) graue onus est, & virgam humerorũ nostrorũ mortem, quę pro peccato in omnes venit, & baculũ exactoris, hoc est, infernũ & æternũ Dei iudicium à nobis abstulisse: imò verò vita sua mortẽ nostrã, obediẽtia sua peccatũ nostrũ: dilectione sua infernũ dãnationemq; nostram deleuisse: tum etiã se totum in nostrã dedisse salutem. Ecce omniũ horum præsens festiuitas nos admonet, quæ ideo instituta est, vt in vitæ huius via sursum ad cœlos discamus respicere, vbi, ne deficiamus, aut hostium insultantiũ vi opprimamur, cibus potusque refectio atque fortitudo quærenda est. In Christo nimirum per participationem sacramenti corporis & sanguinis sui, compendiosissimè verò omnium, per spiritalem eius preceptionem,

Mat. 11.
Ioan. 6.
Psal. 37.

nem, quod est, per fidem, quærenda isthæc sunt. Nihil enim sine fide participatio prodest. Quandoquidem in cœna Dominica corporaliter sumpsisse hoc Sacramentum, Ecclesiæ satis non est, nisi & hodie illud proponēs, ad spiritalem participationem excitet. Tunc verò spiritaliter Christi corpus & sanguinem percipis, quando dilectionem, qua Deus pater filium suū dedit: obedientiam, qua se Christus in cruce obtulit, sanguinemque suum in mundi precium effudit, commemoras, admiraris, in ijsque exultas, fide, spe, atque dilectione eadē apprehendis, Scripturæ de Dei dilectione testificanti credis, ipsum te quoque in eorum, quos Christus morte sua liberauit, numero esse speras, ac propterea ipsi mente ac dilectione adhæresceis, prędicas ipsum ac colis, desiderio illius traheris, confidens illi inniteris: hoc, inquam, spiritaliter est corpus sanguinemque Christi percipere, hoc ipsum maxime hac festiuitate in nobis requiritur. Atque tunc demum illi satisfactum est, quando consideratione & quotidiana Sacramenti huius propositione ad fidem, ad spem, ad Charitatem, ad æquanimitatem, ad deuotionem omnemq; pietatē incitamur: atq; illud ipsum in nobis cùm erga Deū, tum erga proximū consideramus, quod in seipso Christus, cum summam erga Deum obediētiam, perfectissimam erga proximum charitatem exhiberet, habuit. Hæc, inquam, in nobis quoque consideraremus in supplicatione hodierna, nimirum obedientiam & dilectionem. Hæc instituti huius intentio est. Sed quid rarius illo? Refriguit charitas, vicit malitia, nosque ipsi dissipati sumus, imò non dissipati solùm, sed & inuicem exasperati. Cui tamen animorū exasperationi præsentis festiuitatis atque ipsius Sacramenti huius sedula cogitatio mederi posset. Profectò si in huius Sacramenti præsentia, quanto pretio redēpti sumus, cogitaremus, minimè tanta peruicacia, proteruia, petulantia atque insolentia in omnē impietatem leuitatemq; nosmet præcipitaremus. Sed nec tam ingrati, nec tam socordes erga Deum, neq; etiā tam tædioſi, pigri, negligentesq; in cultu diuino, omnisq; boni exercitatione essemus, si hic, quā per Christū Deus charitatē nobis exhibuit, in memoriam reuocaremus, cōseruaremusq;.

Philip. 2.

Matt. 26.

Deniq;

Denique nulla tam execranda in nobis, perdendi, exurendi, trucidandiq; inueniretur cupiditas, si in hoc Sacramento, quomodo omnes per Christum redempti sumus, cogitaremus, atque ô vtinam nemo nõ Christianus, cum ad lites, ad iurgia, ad contentiones iuris, ad bella, ad cædes, ad profligationes, ad perditiones descenditur, huius S.S. Sacramenti meminisset: haud dubie proprijs conscientijs arguerentur, dicentibus: quid facitis Credentes? Quid cogitatis? nescitis cuius spiritus sitis? An ignoratis vocationem vestram, qua vocati estis ad maxima nimirum, vt vnum corpus vnus idemq; spiritus sitis, quemadmodum & vnã fidem, vnum baptisma, vnum Deum, vnum Christum, vnũ Euangelium, vnamque futuram hæreditatem habetis? An nõ audistis Paulum dicentem, quod omnes vnus panis, vnumq; corpus sumus, quicunq; de vno pane & de vno calice participamus? An ignoratis, quia hoc Sacramentum vinculum est, quo Christiani compingimur, in quo vt fratres & domesticos nos inuicem agnoscere debemus? An nescitis fortè, quia Christus nihil æquè grauiter, atq; dilectionem præcepit, mandauit, inculcauit: nihil perinde in suis abominetur atque dissentiones, zelum, iurgia? An non audistis quia Deus non dissidia, sed pacem concordiamq; suorum quærit? Et qui fieri posset, ita inuicem exacerbati perseueramus, si hoc modo sacramẽtum hoc intueremur? Non ergo, quod toties nũc sacramentũ hoc nobis proponitur, demonstraturque, conquerendũ est, imò potius ardentissimis votis optandum est, vt nunquã ex conspectu & nostro & omnium credentium amoueretur, si quo modo amarulentia plurimorũ leniri, amorque excitari possit. Leuemus fratres oculos nostros, quemadmodum & Moses populũ Dei horratus est, viã, qua à Deo ducimur, respiciamus. In peccatis quidẽ nascimur, sed mox lauachrum paratum adest, in quo peccata abluuntur. Deficiendum nobis esset in via, & ecce mensam nobis parauit Deus, aduersus omnes qui tribulant nos. Si ergo quicquam aduersi insurgit, quod verum Manna, verum illum cœlestem panem habeamus paratum cogitandum est. Panem, inquam, nũquàm deficientem. Christus enim, qui heri & hodie est, vsque in

Ephes. 4.
1. Cor. 10
Ioan. 13.
Matth. 20
1. Cor. 14
Deut. 8.
Psal. 23.
Heb. 13.

æternum

æternum permanebit. Quid ergo tantopere mundus, huius incursus solicitant, Deo nos cœlitus tam manifestè erigente ac consolante? Ille ipse ergo gratiam suã nobis impertiat omnibus, Amen.

SERMO DECIMVS.

PRæter Euangeliũ hoc, in quo exquisitissimis verbis de spirituali corporis & sanguinis sui cibo, fide proprie percipiendo, Christus loquitur, etiã Epistola legitur, in qua de eiusdẽ corporis & sanguinis Christi sacramento, corporaliter etiã sumendo, Paulus Apostolus scripsit. Et quidem pulchrè Euangelio huic Epistola illa coniuncta est, vt vtraq; corporis & sanguinis Christi perceptio simul consideretur. Quibus Ecclesia hanc orationẽ annectit. Deus, inquit, qui nobis sub sacramẽto mirabili passionis tuæ memoriã reliquisti, tribue quęsum⁹ ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redẽptionis tuæ fructũ in nobis iugiter sentiamus. Et hanc orationem si quis Euãgelio atque Epistolę addiderit, tria habebit, vnde quod meditetur hodie abũdè sumere possit, cętera licet nesciat. Tria, inquam, in quæ totã hanc festiuitatẽ licebit contrahere. Si cui enim huic festæ diei satisfacere animus est, primò omniũ, quod sacrum corpus & sanguinẽ suum in mortẽ ad effundendum pro multis Christus dederit, firma fide credendũ & meditandũ est. Deinde etiã, quod idem ipsum nobis corpus suũ & sanguinem det. Ac tertiò, quomodo vtroq; cõmodè vtendũ sit, quærendũ est. Ad primum Euangelium hoc refertur, ad secundũ Epistola, ad tertiũ Ecclesiæ oratio. Euangeliũ, inquam, primo seruit, hic enim Christus corpus sanguinemq́; suũ in spiritualem cibum dedit, qui fide percipiẽdus est, eo planè modo, quo superiore Dominica ad Nicodemũ dixisse audiuimus. Sicut Moses exaltauit serpentẽ in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis, vt qui credit in illũ nõ perear, sed habeat vitam æternã. Epistola hodie lecta Sacramenti huius institutionem respicit. Tum oratio Ecclesiæ verum vtriusque vsum docet. Et quomodo tota festi huius intentio vel rectius, vel compendiosius proponi, quàm his tribus, posset? Nam & in cantionibus Ecclesiæ cæteris tres veteris testamenti figuræ, nõ

1. Cor. 11.

Ioan. 3.

solùm festo huic, verumetiã tribus illis partibus, quarũ memini, aptissimè conuenientes accinuntur. Prima enim figura, quæ est agni paschæ, passionem Christi respicit. Altera mannæ, institutionem Sacramenti huius. Tertia Eliæ, qui tantùm ex vno pane subcinericio robur concepit, vt sine alterius cibi alimento vllo quadraginta diebus & totidem noctibus per deserta vsq; ad montem Dei Oreb pergeret, ad vtriusq;, nimirũ passionis Christi, & Sacramenti institutionis fructum respicit. Et hæc omnia ostendere, minimè (vt intelligentibus patet) erit difficilè. Sed hac vice exordij loco huius sermonis Euangelium, Epistolam, atque orationem Ecclesiæ placuit conferre. Atque vtinam hæc ipsa tria probè consideraremus. Profectò, si non maiori cõmoditati, huic tamen seruiret, vt hæc ipsa festiuitas etiã apud hostes maiorem consequeretur autoritatem, qui nullum alioqui ridendi calumniandiq; finem norunt, nimirum considerantes in externis quibusdam cæremonijs hærere nos tantùm, nec quid præterea cogitare, imò sepe quod facimus ignorare, nec quare id fiat, intelligere: festos dies celebrare, sed causam nescire: externo habitu gaudium ostentare, nulla tamen mentis lætitia moueri: Deum labijs honorificare, corde tamen longè ab eo abesse. Quãquam vnicum Euangelium hoc, Epistola atq; oratio satis declarant, non cæremoniarum causa hanc festiuitatẽ institutam esse, sed potius multa longè maiora à nobis requirere. Sanè inuicem ad reuerentiam Sacramenti huius exhortamur: tantùm ergo sacramentũ veneremur cernui, & quæ sequuntur: sed & facto reuerentiã quandam exhibemus, coram Iudæis simul atq; Gẽtibus, tum & hæreticis confitentes, quod minimè erubescamus fidem nostram, atq; omnia ea, licet minutissima, quæ ad salutem nostram pertinent, incitamus hoc ipso vulgus hominum ad reuerentiam atq; amorem sacramenti huius, qui forte aliâs hæc minus cogitarent, denique & calumniatores monemus, vt se minimè hoĩs, sed Dei ordinationem contẽnere cogitent. Licet verò plurima id genus externa factitemus, nõ tamen omne illud est, quod ad hanc festiuitatẽ pertinet. Imò oía eiusmodi nõ minus ab iniquo, quã à pio fieri possunt. Sed longè prẽstãtiora,

Ecclesia

Ecclesia docente hæc festiuitas à nobis postulat. Et quæ illa? Principio Ecclesia orans dicit: Deus qui nobis sub sacramẽto mirabili passionis tuæ memoriã reliquisti, tribue quęsum9 ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redẽptionis tuę fructũ in nobis iugiter sentiamus. Ecce hæc nobis cogitanda Ecclesia offert, nẽpe, quod sit mysteriũ corporis & sanguinis Christi, non vt tantũ signum & figura sit corporis & sanguinis Christi (id quod nonnulli bacchantes calumniãtur) sed eiusmodi mysterium quod corpus & sanguinẽ Christi verè in se contineat, atq; hac ratione à Christo datum sit, vt nos passionis suę admoneat. Hæc duo cogitare, ab Ecclesia admonemur, quæ & vtriq; petitionem applicat. Primò, quando sacramentũ hoc mysterium est corporis & sanguinis Christi, rogandus est Deus, vt se donãte verè & iustè hoc ipsum veneremur. Secundò, quãdo hoc Sacramentũ in memoriã passionis Christi institutũ orandum est, vt eiusdem passionis fructum in nobis iugiter sentiamus. Hæc sunt, quæ propriè ad hanc festiuitatem pertinent, huc ergo maximè respiciendum est, quod ea prætermittentes admodum parum vtilitatis ex externis cæremonijs capiamus. Vnde nunc denuo nonnihil de hoc festo in medium adferre compellor. Neq; enim (vt video) tam multa ea de re dici possunt, quin plura dicere sit necessarium. Ita enim deuiauimus omnes, vt nihil ferè æstimemus eorum, quæ antiquitus in Ecclesia asseruata ad nos vsque deuenerunt. Quin eãdem Christo, cum Iudæis Capharnaitis, in hoc Sacramento gratitudinem exhibemus. Illi enim, cum Christum lõgo sermone de spirituali hoc cibo loquentem audissent, intolerabilem, insuauem, imò etiam impossibilem eius sermonem iudicantes, qui nuper nomine sua Christo dederant, retro abeunt, susceptamq́ue disciplinam ab humeris excutiunt. Eadem ferè nostrorum temporum ratio est. Ita enim de hoc sacramẽto cogitamus, loquimur, prædicamus, scribimus: ita nos cõponimus in eius præsentia, ea facimus, vt oĩm piorũ vota meliora desyderent edocti, Apostolos sequamur: aliosq́; dictitare & scriptitare permittamus: pro cuiusq; Spũs suggestione. Nũquid & vos vultis abire? Christus rogat: Quò ibimus, Petrus

Mysteriũ sacramenti.

Ioan. 6.

Ibidem.

trus respondet, verba vitæ æternæ habes. Hic nẽpe omnia viuifica verba esse iudicabat, quæ illi dura, & impossibilia proclamabant. Hunc ergo sequemur, & hanc festã diem in nostros vsus cõuertamus, quicquid cùm Christus tum Ecclesia de hoc nobis sacramento proponit, cũ exultatione atq; gratiarũ actione susceputi, tum cũ Petro omnia viuifica verba esse, hoc est, quæ ad vitã æternam obtinendam faciunt, fatebimur, ac deniq; cũ Dauid
Psal. 79. dicemus: Domine, non recedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuũ inuocabimus. Imò quod Iudæos incredulos abegit, idẽ nos attrahet: eoq; Christus nobis charior erit ac gratior, qui corpus suum nõ solùm in redẽptionem pro nobis obtulit, verùmetiã nobis in cibum dedit. Tum etiam eo magis hoc sacramentũ magnificabimus, quo ab alijs contẽptibilius haberi nouimus. Agè ergo quid ipse Christus de spiritali corporis & sanguinis sui cibo loquatur, audiamus. Caro mea inquit, verè
Ioan. 6. est cibus, & sanguis meus verè est potus. Quid hęc verba velint, & quando primùm de spiritali, deinde etiã de corporali seu sacramẽtali participatione sint intelligẽda, alibi à me dictũ est. Hinc sequẽtia declarãda mihi sumã: Hic est panis, qui de cœlo descẽdit. Nõ sicut patres vestri manducauerũt Manna, & mortui sunt. Qui mãducat hunc panẽ viuet in æternum. His ergo verbis Christus contumelioſæ Iudæorum obiectioni respondet: Quod tu signum facis, inquiunt, vt videamus & credamus? Patres nostri manducauerunt Manna, ac si dicerent: Hoc Moses potuit, vnde non iniquè illi credimus. Hoc nobis verum signum visum. Tu simile quid nondum ostẽdisti. Hac cõtumelioſa Iudæorum comparatione Christus occasionem sumit non solùm fusius de spiritali illo cibo suo dicendi, verùm etiam quod Manna ipsorum nihil sit collatione ad eum, quẽ ipse daturus esset cibũ: cùm, ipsis testibus, patres sui non minus morti fuissent obnoxij, qui Manna comedissent, quam alij qui non comedissent, demonstrat. Et hac iam comparatione docet, quæ illius spiritalis cibi apud nos æstimatio esse debeat imò etiã in Mannę historiã respicere monet, vt quæ cõpendioſissimè ostẽderẽ possit quã præstãtia in nouo testamento acceperimus. Si enim ea figuræ maiestas fuit,

quæ

quæ veritas præstantia erit? Sed apertè Christus Manna figuram tantùm fuisse alterius cibi quem in nouo testamento Deus daturus erat cœlitus: propterea hoc verum Manna dicis, illud verò eam additionẽ non habet, quod verò è cœlo venerit, quæ vera illius Mannæ atq; nostri spiritalis cibi est. Illud quidem nomine dignamur, quòd è cœlo Manna dicamus, sed è cœlo non venit, nimirum in nubibus Angelis eam in formá redacta. Christus verò certissimè è cœlo venit. Illud neminem in vita conseruare potuit, hoc etiã æternam vitam dare potest. Cùm igitur ipse Christus spiritalis cibi sui excellentiam è figura & vmbra Mannæ demõstrat, arbitror & hodie permultum id facere ad magnificẽtiam & verum sacramẽti huius vsum: si modò Manna figurã diligentius cõsideraremus: Propterea quid rectius agã, quã si quibus partibus historia illa sacramẽto huic atq; festæ diei conueniat, aperuero. Cõfido equidẽ hac ipsa collatione amorem pietatemq; erga hoc sacramentũ apud pias quasq; mentes nõ solùm renouandã, verumetiam adaugendam atq; conseruandã. Iam verò plurima inuenio, in quibus manna illud cũ sacramento hoc cõferri potest, quorum quodlibet per se nõnihil ad magnificentiã huius sacramẽti facit. Primũ ipsa datæ mannę causa est, cur eã Deus dederit: quam Moses describẽs, ita loquitur: Profectiq; sunt de Helim, & venit oĩs multitudo filiorum Israël in desertum Sion. Et murmurauit oĩs cõgregatio filiorum Israël contra Mosen & Aaron in solitudine. Dixeruntq; filij Israël ad eos: Vtinã mortui essemus per manũ Dñi in terra Aegypti, quãdo sedebamus super ollas carniũ, & comedebamus panẽ in saturitate. Cur induxisti nos in desertum istud, vt occideretis omnẽ multitudinẽ fame? Dixit aũt Dñs ad Mosen: Ecce ego pluã vobis panes de cœlo, & quæ sequuntur. Ecce hæc causa datæ à Deo Mannæ. Deficiebant populus alimẽto, quod enim secum ex Aegypto tulerãt consumptũ erat, & quo longius in desertum pergebant, eo minus victui necessaria inueniebant. Hoc mouebatur Deus, vt daret eis panes. Necessitas vrgebat, cùm alioqui quo famem sedare possent, ad manum nihil erat. Et quid Christum cœlos descenderet huc ad nos, seq; ipsum nobis panem afferret,

Exod. 16.

Exodi. 12.

tum sacrosanctum corpus sanguinemq; suum in cibum daret, nisi ingens totius mundi fames, mouit? Fames, inquam, non corporalis alimenti, sed gratiæ diuinæ. Nullius aliqua in parte dominium præter peccati, mortis, damnationis: nusquam vita, nusquam solus aut gratia apparebat in hominibus. Hoc motus Deus misit vnigenitum suum, vt omnis qui in ipsum crederet non periret, sed haberet vitam æternam. Hoc ipsum etiam Christum mouit, vt sese omni modo nobis daret: nempe: nascens, socium: conuescens, in edulium: moriens, in precium: regnans in premium. Propter miseriam inopũ, inquit, & gemitum pauperum, nunc exurgam. Ponam in salutari, fiducialiter agam. Eandem ipsam rationem Ioannes cœnæ Dominicæ refert: Cum dilexisset suos, inquit, qui erant in mundo, in finem dilexisset eos. Ingrati igitur sint oportet, qui nunc tandem disputare ac secum disceptare volunt, quæ instituẽdi hoc sacramentũ causa sit. Nunquid nõ intelligis tibi atq; omnibus diuinæ gratiæ fame laborãtibus in spẽ ac consolationẽ factũ esse? Quid si vel semel peccati, mortis, damnationisque famem perpessus, nullam quocunque respiceres vitam, nullam gratiam, nullam salutem apparentem, conspiceres, haud dubiè eiusmodi inutilibus quæstionibus abstineres, & cõtra cum Ecclesia in hæc verba erũpens gratias ageres: O quam suauis est Dñe spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demõstrares, pane suauissimo de cœlo præstito esurientes replens bonis, fastidiosos diuites dimittẽs inanes. Et hoc primùm, quo historia mãnæ cum sacramẽto hoc nostro cõfertur. Vtrobiq; Deus pater filiorum suorum respexit famem, vtrobiq; populi sui curam gessit, vtrobiq; dilectionem ostendit & gratiam, vtrobiq; miraculose cibauit, illos quidem manna, quod nunquam vidit nec sciuit mundus: nos vero suo ipsius corpore atque sanguine, quod nemo mortaliũ vel expectasset vnquam, vel suis meritis promisisset. Et quid porrò mãnæ refert historia? Priusquàm Deus illum cœlitus demitteret cibum per Moysen annunciauit, dicens: Vespere scietis quod Dñs eduxerit vos de terra Aegypti: & manè videbitis gloriam eius, imò dabit vobis vespere carnes edere, & mane panes in saturitate.

Ioan. 3.

Psal. 11.

Ioan. 13.

Sapien. 12

Exod. 16.

tate. Hoc iam rursus sacramento nostro conuenit. Antequam corpus sanguinemque suum Christus daret in edulium, multifariè multisque modis per Prophetas prænunciauit, splendidum se exquisitissimorum ferculorum apparaturum esse conuiuium. Serui mei comedent, & vos esurietis. Serui mei bibent, & vos sitietis. Serui mei laudabunt præ exultatione cordis, vos clamabitis præ dolore cordis. Et iterum: Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum. Non esurient neque sitient, & nō percutiet eos æstus & sol, quia miserator eorum reget eos & ad fortes aquarum potabit eos. Et hoc ipsum in nobis impletur, eo modo, quo Christus loquitur: Ego sum panis viuus, qui in me credit amplius non esuriet. Et hac igitur ratione sacramentū hoc gratius nobis erit, cum in ipso cōpleta sunt, quæ Prophetæ prædixerunt, ipso nobis percipiendum offertur, quod illi longo tempore desiderarunt. Porrò iam hoc etiam mannæ historia refert: Manè surgentes filios Israël vidisse superficiem terræ sine vlla humana ope rore cœlestis panis apertā præ solicitæ rei admiratione dixisse: Māhu? Quid hoc? Nos similia videmus: Christus sine opera nostra, præter meritum nostrum, hunc nobis cibum apparauit: idque manè, ipso nempe gratiæ temporis exordio. Id quod tot Psalmis tam aptis hortationibus admonemur? Memoriam, inquit Dauid, fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Et: Qui pacem ponit fines Ecclesiæ, & adipe frumenti saitat nos. Et iterum: Parasti nobis mensam aduersos omnes, qui tribulant nos. Et iterum: Ex altari tuo Domine Christum sumimus, in quo cor & caro nostra exultant. Quæ omnia aliud nihil sunt, præter admirationem & gaudium, quæ credentes in hoc sacramento sentimus, atque exprimimus. Quisque enim dicere potest: Introibo ad altare Dei, sumam Christum, qui renouet iuuentutem meam, epulantium sonus in hac mensa in voce exultationis & confessionis esse debet, vt alibi hortamur. Vide, hoc iam tertiū est, in quo Mannæ Historia, cū hoc nostro sacramēto cōuenit. Quartò illic innuitur, quomodo Deus eos tentauerit, si timeant ipsum an non. Et nos tentat Deus hoc ipso sacramento, si vnigeniti sui

Isai. 65.
Isai. 49.
Ioan. 6.
Exod. 16.
Psal. 110.
Psal. 47.
Psal. 22.
Psal. 83.
Psal. 24.
Psal. 41.
Exod. 16.

verbis apertè se nobis corpus ac sanguinem suum hic dare affirmantis, tantam fidem habeamus, quantam primi parentes serpenti, qui esu vetiti cibi post apertos oculos, Deorũ similitudinẽ falso pollicebatur, crediderãt. Sanè præter fructũ illum oculis subiectum & palpabilẽ, nihil videbant, nihilominus tamen Diabolo similitudinem Deorũ promittenti ex esu, ita fore crediderunt: & quid est, quo minus filio Dei, dare se nobis in hoc sacramento corpus & sanguinẽ suum affirmanti, credimus externã licet tãtummodo speciẽ panis videamus. Hoc modo, inquam, tentat nos Deus in hoc sacramento, vultq; vt salutari huius sacramenti fide credendi exitialem facilitatem Adæ atq; Euæ diluamus. Fides ipsorum, in quam per serpentẽ inducti fuerãt, in perditionem perduxit: fides nostra, quam Christus dat, verum corpus verumq; sanguinem suũ in hoc sacraemto nos percipere, vitã atq; salutẽ nobis cõfert. Præterea illud quoq; mãnæ habet historia, quod exire castra & Manhu colligere pro cuiusq; domus necessitate in diem, sexto verò die duplicem cibum, hoc est quantum biduo suffice, retsequens enim dies requies Domini erat, inferre iusserit Deus. Idipsum quoq; nobis hic dicitur. Primò exire ex nobis ipsis, id est, curiositatẽ, ac proprias opiniones seponere, non secundũ exteriores sensus, an illic sit corpus & sanguis Christi, sed secundũ verbũ fidei, diuinæq; veritatis, quæ affirmãs ait, Hoc est corpus meum, iudicare oportet. Secundò etiã ex pristina cõuersatione exeundũ est, vetus homo cũ actibus suis relinquendus est. Nõ enim decet sanctũ mittere canibus. Tertiò quærendus hic cibus est. Neq; enim vbiq; obuius est, aut nos sequitur. Qui mane vigilauerint ad me, inquit Sapientia, inuenient me. Semper hic nobis necessarius cibus est, semper etiam inueniri potest. Quo igitur quisque tribulatur magis, & angitur, eo diligentiori cura hunc cœlestem panem quærat, & quotidie querat, & quantum sufficit, colligat. Plenitudo enim hic omnis gratiæ est. Ecce cur etiam nobis dicatur, vt exeuntes manna nostrum colligamus. Sed singulari ratione nobis præceptum est sexta die, hoc ipso mundi nouissimo tempore duplicem, in biduum mensuram inferre. Sabbatho enim, hoc est, post mortem non inuenietur,

Gene.3.

Exod.16.

Matt.26.

Pro.8.

cùm

cùm quisque ex eo viuet, quod sibi colliget prius. Venit nox, quando nemo operari potest. Sunt deniq; alia nonnulla, quæ rectè sacramento huic ex illa mannæ historia comparari possunt. Vt quod Scriptura referente, nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus. Id quod verissima huius sacramenti proprietas est. Ita enim fides nostra docet: quod alius alio nec plus nec minus sumat, quantum quidem ad corporis & sanguinis Christi veritatem attinet, nec illâ secundum quantitatem hostię distribui, sed secundum cuiusque fidei ac desiderij modum percipi. Quemadmodum & primus homo tantum degustato fructu interdicto, tâ sufficiebat ad damnationem illi, ac si omnes paradisi fructus comedisset, ita etiam quantumuis exiguum fidelis hinc percipiat, tam ad consequendos sacramenti fructus sufficit, quàm si totum illud quod in altari est comedisset. Adhuc vnũ in mannæ historia describitur, nẽpe, quosdã plus quàm requirebat necessitas collegisse, atque vsque mane dimisisse atque scatere cœpisse vermibus & computruisse. Idipsum ergo in sacramento nostro inuenitur, nec id modo, verumetiam alia plura. Curiosis nempe longis disceptationibus de eo altercantibus cõputresit, nihil conducit, sineque fructu perit, superbis verò scandalum est, indignis mors est & damnatio, quemadmodum olim Arca Dei pijs Israëlitis summa spes, at impijs Bethsamitis, incredulisque Philistæis certissima perditio erat. Postremum in mannæ historia est, quod Gomor ex illo asseruandum esse Moses præcepit, in sempiternas populi illius generationes. Et hoc ipsum Christi mandatum est, vt sacramentum hoc in Ecclesia in æternum maneat, inque suam memoriam sumetur. Ex his ergo omnibus non erit difficilè, quàm pulchrè ea in in manna omnia præfigurata sint, quæ in hoc sacramẽto nostro percipimus. Quid ergo miramur in Ecclesia hãc sonare acclamationẽ: Ecce panis Angelorũ, factus cibus viatorũ, verè panis filiorum, non mittendus canibus? Etquid illi acclamationi aptius, quàm illa, cuius exordio huius sermonis memini, oratio coniungitur? Gratia Dei nobiscum, Amen.

Ioan. 6.

Exod. 16.

Ibidem.

1. Cor. 11.

1. Reg. 9.

IN DIE D. BONIFACII EPISTOLAE LOCVM TENENS

lectio prouerbiorum. 15.

LIngua sapientum ornat scientiam, os fatuorum ebullit stultitiam. In omni loco oculi domini contemplantur bonos & malos. Lingua placabilis lignum vitæ, quæ autem immoderata est conteret spiritum. Domus iusti plurima fortitudo, & in fructibus impij conturbatio. Labia sapientũ disseminabunt scientiam: cor stultorũ dissimile erit. Victimæ stultorum abominabiles Domino, vota iustorum placabilia. Qui sequitur iustitiã, diligitur à Domino.

EODEM FESTO EVANgelium. Ioan. 16.

IN illo tẽpore, Dixit Iesus discipulis suis. Ego sum vitis vera, & pater agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plus afferat: Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me mãseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructũ multũ quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligẽt eum, & in ignem mittẽt, & ardet. Si mãseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quod cunque volueritis petetis, & fiet vobis.

DE

DE D. BONIFACIO ARchiepiſcopo Moguntino ſermo primus.

INterroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Initio hodierni Euangelij admiranda quædam de vulgi in Chriſtum ardore Lucas cõmemorat. Veniſſe ad eum multitudinem plebis copioſam ab omni Iudea & Ieruſalẽ, & maritima Tyri et Sidonis. Sed & cauſas, quid ita vulgus mouerit addit: quarum prima comitas Chriſti erga omnes, ipſa, inquam, philantropia domini eſt, quæ in hoc maxime conſideratur, quod non ſolum de monte, verumetiam è cœlo in has terras ad nos deſcẽdit, quo omnibus ad ipſum facilior eſſet aditus: altera cauſa eſt diuina potentia, qua facillimè omnium morborum genera curauit. Virtus, inquit, Lucas, exibat de illo, & ſanabat omnes: tertia deniq; cauſa eſt verborũ Chriſti ſuauitas, qua etiã conſcientias mentesq; hominũ permouens lætitia imbuit. Hic ille triplicatus funiculus, qui non modo Iudæos illo tempore, ſed etiamnum Gentes ad Chriſtum attrahit, imò idem funiculus nos in Chriſto manentes dicere facit cum Dauid: Domine, non recedimus à te, viuificabis nos, & nomẽ tuum inuocabimus. Credimus enim ipſi, atque adeò videmus verba Dei, aut (vt cum Petro confiteamur) vitæ æternæ: potentiam eius, potentiam Dei eſſe, & quod ipſius ſe in omnes extendat bonitas. Et cui non vel maxima eſſet voluptas illic eſſe, vbi tam mitem atque benignam ſeſe diuina bonitas exhibet, tam potenter, curat & ſaluat, tantaque promittit? Admirabantur olim increduli Iudæi, Gentesque cæcæ, tanto credentes affectu Chriſtum ſecutos fuiſſet crucifixum. Dæmonium habet & inſanit. Quid illum auditis? aiebant. Tum Græci incatamentis homines ad Chriſtum trahi, tamque indiſſolubiliter non ſine Magica illi adhærere arbitrabantur. Sed & etiamnum inuenias tanta conſtantia Martyres Chriſto adhæſiſſe, vt non modo omnia eius cauſa reliquerint, verumetiam ſeſe in omnium immaniſsimos cruciatus dederint, admirentur. verum hoc Euangelium intuenti minimè admiratione dignum illud videbitur, quin nec inſaniam, nec Magiam in Martyribus fuiſſe, quod ea conſtantia Chriſto adhęſerint,

Deut. 32.
Luc. 6.
Ibidem.
Eccl. 4.
Pſal. 99.
Ioan. 6.
Ioan. 10.

rint, sed fidem, pietatem, amorem. Qua re factum est, vt hoc Euangelium, in Martyrum festiuitatibus in Ecclesia legatur, quo cuilibet apertum sit, quid eos ad Christum pertraxerit, quidque in ipso constantes in mortem vsque seruauerit. Id quod primum hic cogitandum est, cum nos quoque hoc ipsa festiuitate tantæ sedulitatis, amoris, desiderijque, quibus patres olim nostri ad Christum pertracti sunt, admonemur. Patres nostros dixi, nimirum Diuum Bonifacium cum sanctæ societatis suæ collegio. Id quod nemo miretur. Eruditi enim nouerunt, Patris nomen non corporum modo genitoribus attribui. Nã & in precatione nostra & Apostolico symbolo Deum patrem nostrum dicimus. Tum & seniores quosque patres appellamus. Sic etiã Reges & principes viri patres patriæ dicti sunt. Sed & in sacris scripturis Abraham pater omnium credentium vocatur. Et Salomon patrem se omnium eorum dicit, qui Sapientiæ student. Audi fili mi, inquit, disciplinam patris tui. Et denique Paulus patrem se Corinthiorũ dicit, quos per Euangelium genuit. Et hoc modo non immerito Bonifacius Germanorum pater dicitur. Per ipsum enim Deus patres nostros ad agnitionem fidei atque veritatis perduxit. Non quod primus ille Euangelium Germanis prædicauerit. Fuerunt enim & ante eum Præsules Mogũtiæ. Alij fidem plantauerunt, hic plantationem rigauit. Alij nouam domum ædificarunt, hic collapsam instaurauit. Alij in vna aliqua parte, hic per totam ferè Germaniam prædicauit. Alij bonum semen seminarunt, hic zizaniã dense succrescentem succidit, eradicauit, extirpauit. Alij vitæ suæ diebus veram in hominibus fidem conseruarunt. Bonifacius, vt se mortuo etiam vera in Germania fides permaneret, studuit. Hinc tot collegia, totq; cœnobia ab ipso fundata, quibus sanctos, doctos, idoneosque viros vndequaque collectos præposuit: eam ob causam, ne quando doctorum hominum inopia deficerent, sed perpetua successione, qui Germanos nos in fidei pietatisq; veritate conseruarent, haberemus. Id quod aliqua parte factum est. Nã (vt vno verbo omnia dicam) quod in Christianę fidei vnitatem Germania peruenit, in eaque vsque ad hæc nostra tempora perstitit, primum Deo, deinde Apostolis, ter

Matt. 6.
Rom. 4.
Prou. 1.
1. Cor. 4.

tio etiam Bonifacio nostro acceptum ferimus, quod nemo alter, qui diutius & sedulius hoc in Germania prædicando sudauerit, inueniatur. Ex quibus omnibus cuilibet facilè est videre, quur tanta hæc festa dies solēnitate celebretur, & quur D. Bonifacij tam præclara atque honorifica memoria maximè hìc Mogūtiæ perseueret. Est nimirū gratiarum actio erga Deum, qui tam diligentes fidosque pastores dedit. Tum etiam significatio quædam est gratiæ mentis nostræ erga ipsum Bonifacium, qui nostro bono tam fideli studio laborauit. Deinde quod ante dictū est, quid nos hic facere conuenit, docet. Interroga patrē tuū & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Si enim Germanos ad fidem pietatemq; cōuertit Bonifacius, decentius magisque necessarium hoc nequam seculo contaminata cùm doctrina tum vita omnium, vix quicquam facturi sumus, quàm si ad ipsius doctrinæ vitæque puritatē & normam respicientes nosmet iustificauerimus. Proinde nonnihil de tanti viri dicendū mihi vitæ historia est, vt eo rectius, an in ea, quam patres nostri & ipsi calcauerunt, & nobis pergendam ostenderunt, via pergamus. Interroga patrem tuum & annunciabit tibi. Et quidem Moses Israēlem corripiens his verbis adorsus est. Nam, & viuente se & superstite, legem Dei sæpe præuaricati fuerāt, videbatq; in spiritu Domini, se defuncto maiori eos rabie contra eam, quam mandante Deo tulisset legem pugnaturos esse. Propterea exclamat dicens: Audite cœli quæ loquar, audiat terra verba oris mei, quia nomen domini inuocabo. Date magnificentiā Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Paccauerunt ei non filij eius, in sordibus. Generatio praua atque peruersa, hęccine reddis Domino stulte popule & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te? Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas. Ac si diceret: Nunquid exigua tibi videntur huius temporis beneficia? Cogita superiorum tēporum dona. Si mihi fidem non habes, interroga patrem tuum & dicet tibi. Hoc modo populum suum Moses arguit. Atque vtinam non illa in nos etiam quadraret correptio. Tangit autem verisimè: vbique enim, & in omnibus hominum conditionibus inuenitur peccatū & præuari-

Deut. 32.

Ibidem.

uaricatio. Tum omnes declinauerunt, inquit Dauid, omnes inutiles facti sunt: nō est qui faciat bonū, nō est vsque ad vnum. Imperfectio & iniquitas in iuuenibus & senibus in Magistratibus atque subditis, in Ecclesiasticis atq; secularibus præualent. In doctrina pariter atque vita vitiū est. Illa enim autē superstitiosa nimis, aut carnalis est, hæc planè Ethnica, hoc est, impia est. Nō hæc patres docuēre nos, multoq; minùs ita ipsi vixerunt: quorum doctrina firma, fundata, constās, et spiritualis erat, vita sancta fulgebat. Et hīc quisque secū cogitet, cui in fide credat, quē sequatur moribus. Plures quidē magistros habeam⁹,
1. Cor. 4. paucos tamē patres cōperimus, vt suo etiā tēpore Paulus dixit. Tū plurima exēpla atq; vestigia cōspicimus, sed eiusmodi quæ ad tartara ducunt præuia. Multi enim latam
Phil. 2. viā ad perditionem deducentē ambulāt. Quòd si securus & recte cum in doctrina tum vita incedere vis, interroga
Matt. 7. patrē tuum Bonifaciū, & dicet tibi. Duo autē in eius vita digna præcipuè cōmemoratione inuenio. Primū, quòd humilis Dei seruus: secundū, quòd seuerus & grauis Ecclesiastes fuit. Vis autē quæ eius doctrina fuerit discere? In hoc Euangeliū oculos cōuerte. Illic enim tota eius doctrina atq; prædicatio proponitur. Neq; enim potuit diuersum quid prædicare ab eo, quod à Christo audiuit & didicit. Qua enim ratione Christus prædicationem illius hominis tantorū miraculorum testimonijs approbasset, si secus atq; ipse prędicauisset? Iā verò quatuor in illa Euangelij lectione Christus docet, quorū primum fidē, secundum spem, tertium charitatem, quartum crucem & perseuerantiæ probationem respicit. Primum est paupertas spiritus, de hac sola enim CHRISTVS loquitur, vt in
Paupertas spiritus quid sit. Matthæo videre est. Et quid illa spiritus paupertas aliud est, quàm humilis operum & proprij meriti diffidentia, & perfecta diuinæ misericordiæ fides seu fiducia? Deinde quid spes aliud est, quam sempiternæ fœlicitatis, bonorum appetitus & desideriū? Et quid charitas facit, nisi blasphemias in Deum, hominumque iniurias luget? Denique quid mundi huius odium, quid contumeliæ, persecutiones que aliud sunt, quàm crux quædam, qua vetus homo noster crucifigendus atque mortificandus est? Hæc ergo Bonifacius docuit, hanc fidem, spem, charitatem

tatem, patientiam, etiam vitæ suæ moribus expressit. In fide enim incepit, in spe progressus est, charitatem erga omnes maximè in pontificatu bene administratis rebus declarauit. Patientia totius vitæ actum conclusit. Agitè ergo recentes, quod patri vestro rerum gerendarum initium fuerit, accipite. Cùm in Britannia natus ad iustam viri ætatem peruenisset, mox sese sacris scripturis atque Ecclesiasticis rebus tradidit, solidumque fundamentum ponens omni diligentia, omnique studio, vt paupertatem illam Spiritus, hoc est, veram humilitatem, sui abnegationem, Dei timorem pariter atque fidem, suam faceret, laborauit. Hoc illi principium fuit. Vnde tantus vir euasit. Sed Deum immortalem, quomodo posset non pudere iuuentutem nostram, hæc si audit? Aut quomodo parentes negligentes, qui proprijs ipsi liberis suis æternæ sunt causa perditionis, non terrebuntur? Quid hac tempestate leuius iuuentute est? Quid parētibus, pędagogis, curatoribusq; negligētius? Nō ergo est, quod fidē in Germania deficere miremur. Sed non hęc à patre nostro Bonifacio didicimus. Interroga patrem illum tuum. Is nihil ęquè necessarium iuuentuti, atque pietatis studium, docebit. Id quod Ieremias quoque docet, cùm ait: Bonum est viro cum portauerit iugum (domini) ab adolescentia sua. Contrà nihil periculosius, quàm ab adolescentia peccandi assuescere facilitati. Id quod rursus idem Ieremias docet: Si mutare potest Aethiops pellē suam, aut pardus varieattes suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malefacere. Quam porrò vtile, quàm decens mortalibus, ab incūte ętate pietati & iustitię assuefacere, liber Tobię docet. Sed & Dauid ostendit cum ait: Beatus vir qui timet Dominū, in mandatis eius volet nimis. Potēs in terra eritsemen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculū seculi. Cōtra verò quā sit pernicioſum, ab incunabulis & quasi cum lacte imbibere iniquitatem, ferale duorum filiorum Heli exemplum, qui ambo vno die occubuerūt, sacerdotio exuti, atq; Arca Dei priuati. Sed nunquid fœliciter iacto fundamēto satis est? Non. Audi ergo quomodo Bonifacius succreuerit. Cū iam excessisset ephebiam adolescēs factus, animū in timore Dei, ac spiritus paupertate

Thren. 3.

Psal. 111.

1. Reg. 4.

tate assuetum obfirmasset, alios quoq; ad fœlicitatē perducendi desiderio tangitur, relictaq; patria, prædicat verbum, aliosque conuertit, & licet liber esset, omnium se tamen seruum fecit, vt omnes lucraretur & ad salutem perduceret, exemplum præceptoris Pauli secutus. Et hoc ado
1. Cor. 9. lescentiæ suæ incrementū erat. Id quod in primis sibi dictum existiment, qui adulti totos sese mundo dedunt, superbiæ, concupiscentiæque seruientes spiritui: sibi viuentes nullius alterius curam habent, nec Dei gloriam, nec proximi salutem, nec deniq; Ecclesiæ promouent instaurationem. Sed age, Patrem tuum Bonifacium interroga, piè ne hoc atque Christiana vocatione dignè factum sit, imò ipse hunc imitare patrem, vt illi similis effectus, vere dicaris Bonifacius, hoc est, bene faciens. Talis enim nisi fueris, Christiano nomine indignus es. Hinc ergo colligе, quo nomine censendi sint, qui non solum bene agere negligunt, sed & omnis generis nequitiæ student, eiusq; tam scilicet vigilantis studij venantur gloriam. Non iustitiæ, non salutis tanguntur desiderio, sed ad perditionē aliorum inuigilant. Tertius porrò veræ pietatis in Bonifacio gradus est, grauissimus in Pōtificatu labor, curæ solicitudinesque innumeræ. Primus hic illius sancti pectoris angor erat, sicubi Diuini nominis blasphemias contumeliasque, tum & animarū perditionē intelligebat. Quare quo potuit modo eiusmodi mala præuidit & cauit, hac illac profectus, visitauit, spe extulit, docuit, suasit, zizaniā extirpauit, pietatem plantauit, vbique pios gnarosq; pastores & Episcopos præfecit. Et hæc apertè omnia atque palàm. Verum solus & secreto assiduè orauit. Hæc in Pontificatus dignitate exercitia illius, sanè omnes Episcopos decentia exercitia. Sed quis tam cæcus, qui quam & hac parte Bonifacij exemplum relinquentes deuiauerimus non videat? Sæpè per vim nosmet in Ecclesiastica munera ingerimus, nec tamen quicquam præter ociū voluptatemq; quærimus, & sequimur: nemo, vt Bonifacius fiet, operam dat. Nesciunt enim nec intelligunt, quanti sit periculi præesse alijs, quod si scirent, sine dubio ita in vtranque aurem nunquam dormirent. Quare & hic patrē tuum interroga, quæ Episcopi, Abbatis, Prælati, Sacerdotis, cæterarumque Ecclesiasticarum personarum sint munia,

nia, et nos etiam qui spirituales dicimur, longè à recta semita deuiasse intelliges. Postremò, interroga patrem tuum Bonifacium, quæ piæ vitę conclusio sit, & respondebit tibi, patientiam, constantiam, perseuerantiam eam esse. In patiẽtia vestra, discipulis loquens CHRISTVS ait, possidebitis animas vestras. Et hãc egregiam in Bonifacio consideramus. Iam enim morti vicinus, in Frisiam descendit, ibique collapsam Religionem instaurat. Tum etiam discipulos, quos habebat, ne persecutoribus suis resisterent, nec se in suam defensionem armarent, monuit, imò verò mortem ipsam minimè timendam esse docuit. Quo facto ab impijs trucidatus est. Et quàm rara hæc in nobis patientia? Pauciores ergo ad fœlicitatẽ peruenire, mirum non est, cùm CHRISTVS eam forti pectore constantibus promisit. Bonifacium ergo consideremus. Eiuscemodi patrẽ imitemur, quò de nobis etiam dici possit: Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cœlorũ. Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati estis cùm vos oderint homines, &c. quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Gratia Dei nobiscum, Amen. Luc. 11.

SERMO SECVNDVS.

Collatio duorum Bonifacij & Dauid cum sua Cithara.

IPse est directus diuinitus in pœnitentia Gentis, & tulit abominationes impietatis, & ad Dominum gubernauit cor suum, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem. Refert Regum liber primus, quòd Dauid olim citharam suam pulsans, malũ à Saul Rege Spiritum abegerit: id quod multis olim miraculum visum fuit, videreturque etiamnũ, nisi quid cithara illa fuit, sciremus. Scriptura autẽ refert, Dauid citharã pulsando diuinas laudes, misericordiam, veritatemq; decãtasse, ipsumq; Deũ inuocasse. Hoc cantu, hoc sonitu nequã spiritum propulsare potuit: alioqui enim fides citharæque concentus nihil effecissent. Similia in hoc Euangelio atq; festo videmus. Vterq; enim CHRISTVS & Bonifacius malũ ex hominũ pectoribus profligauit spiritũ concentu nimirũ illo suaui Euangelicæ citharæ, ille Iudæam primũ, deinde per Apostolos vniuersum orbẽ, hic verò priuatim Germa- Eccl. 49. 1. Reg. 16. Psal. 107.

niam, personantes Idq; ambo fœliciùs rectiusq;, quàm Dauid cõfecere. Hic quidẽ cithara sua spiritũ illum abegit, sed ab vno tantùm Saul, nec perfecte, sed ad tẽpus: illi verò, hoc est Christus & Bonifacius ex multis hominum millibus & ita, vt relictum domicilium, deinde nunquam potuerint repetere. Id ita esse, paucis Euangeliũ hoc atque festum explicans, docebo. Principio, sine controuersia omnes nouimus Dauid in multis, imò in omnibus ferè quę de ipso scripta sunt, Christi gessisse figuram. Verùm quod etiã citharam pulsans figura Christi fuerit, ex hoc Euangelio colligitur ita plane vt vtrobiq;
2. Reg. 16 ijsdem penè verbis res proponatur. De Dauid enim scriptura refert, dicens: Igitur quandocunque spiritus domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat Recedebat enim ab eo Spiritus malus. De Chri-
Luc. 6. sto ita Scriptura refert: Multitudo coposa plebis venerãt vt audirent eum, & sanarẽtur à languoribus suis, & qui vexabãtur à spiritibus immundis curabãtur. Ecce quod & Christus Spiritus nequam profligauerit, nec ab vno, sed à multis hominibus. Sed Christus hoc (inquis) non cithara fecit, quẽadmodum Dauid. Agè ergo, quæ cõsequenter Lucas commemorat, audi: Et ipse, inquit, eleuatis oculis in discipulos suos dicebat: Beati pauperes spiritu, quia vestrum est regnum cœlorum. An non huiusmodi verba suauissimi citharæ cantus tibi videntur? Et quæ cithara, ita hominum animos demulcere potuit, atque Christi verba? Quis vnquàm cõcinnius citharæ accinit, quam ipse in hoc Euangelio Christus prędicat? Sit ita fuerit, licet bonus citharęda Dauid: quid verò externo sonitu magnum efficere potuit, si non iuxta citharam Dei etiam verba factaque decantasset? Non enim dæmonium nequam nisi verbo Dei solo eijcitur, externum omnem sonum contemnit. Aduersus solùm Dei verbũ persistere nequit. At vbi clariùs verbum Dei personat quam in Euangelio? Agè ergo quid miraris suauissimo Euangelij concentu pelli dęmones? Breuis quidem hęc Euãgelica lectio est, si verba numeres: attamẽ multa hominum dæmonio liberauit milia, liber atq; etiã. An non ille tibi misẽrè à Dæmonio impugnari videtur, cuius ani-

animum vel Superbia occupat, vel auaritia inuasit? Quis enim inquietior impulso à superbiæ vel auaritiæ spiritu? Contrà verò quid auaritiæ illum spiritum potentius eijcit, quàm quod CHRISTVS ait: Beati pauperes, quia vestrum est regnum cœlorum. Quo vocum sono ita plurimi commoti sunt, vt post se relinquentes omnia, Christum secuti sint: omnia arbitrati sunt, vt stercora vt Christum lucrifacerent. Id quod Matthæus & Zachæus fecerunt, qui aliquando miserè circumacti auaritia, ad vnũ Christi verbum omnia reliquerunt. Ita & cæteri Apostoli, licet nec opulenti ipsi essent, nec diuitias concupiscerent, quæ habuerunt tamen reliquerunt, eoque Christo desiderio atque amore adherebant, vt postea Petrus erumpens diceret: Quò ibimus Domine, verba vitæ æternæ habes. Eodem modo CHRISTVS cum dixit: Beati qui esuritis, quia saturabimini: ex plurimorum hominũ mentibus gulæ crapulæque spiritum eiecit, quæ sanè sæpissimè ita inuadit homines, vt nec loquantur nec faciant quicquam ab habente dæmonium alienum. Sic & quod ait: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis: multos à spiritu vanitatis, irrationabilis gaudij, concupiscentiæ carnalis, voluptatisque liberauit, qui & ipse brutis quàm hominibus similiores facit homines. Sic quod ait: Beati estis cum vos oderint homines: multis pulsauit inordinatum seculi timorem, tristitiam, pusillanimitatem, desperationem, & impatientiam, ita omnino, vt in medijs periculis, ipsaque morte exultare possent. Ecce igitur & Christum cithara sua, suauique verbi sui sonitu nequam fugare Spiritus. Quod si iã & festum hoc inspexerimus, idẽ etiã Bonifaciũ feciſſe inueniemus. Quid enim in hac Germania nostra nisi nequã spiritus, qui patres nostros, post Euangelij prædicationẽ per Apostolos Apostolicosque viros diuulgati, rursum in omnis generis errores, superstitiones atque peccata præcipitarant, eiecit? Quo verò id instrumento, nisi Euangelica cithara, confecit, quã ea grauitate pulsauit in Germania, vt sui similem ab Apostolorũ hucusque temporibus, patria nostra neminẽ viderit? Nemo, inquam, tantùm nobis quantùm Bonifacius præstitit, Vnde verè cum Paulo dicere potuit, plus omnibus laborasse se, sed non tamẽ solũ, sed gratia Dei secũ. Meritò etiã Bo-

Matt. 9. Luc. 19.

Matt. 4.

1. Cor. 15.

nifacijlli nomen datum est,quod est,beneficus,vel bona faciens, atque eadem de causa Iesu Syrach verba de rege Iosia conscripta huc in ipsum adduxi:Ipse est directus diuinitus in pœnitētia Gētis,& tulit abominationes impietatis,& ad Dominum gubernauit cor suum, & in diebus peccatorum corroborauit pietatē. Quæ sanè rectè in Bonifacium nostrum referentur. Etenim ipsa diligētius considerans, vitæ sanctæ illiùs totam videbit seriem. Principiò enim verissimè hic nobis à Deo directus est Non enim Germanus natus, sed abūdè ad nos venit,non ex sese ipso: Neque enim propriam gloriam quæsiuit aut priuatæ vtilitati inhiauit,Id quod faciunt, qui ex seipsis veniunt, & ex seipsis loquuntur. Sic nec ab Tyranno aliquo nostram inuadere ditionem directus seu missus est. Vnam enim animarum, quas perdere studet Satan,quæsiuit salutem. Vnde rectè sequitur à Deo solo missum esse. Deus enim ipse est,qui ait:Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Et quid aliud Bonifacius quæsiuit,præter plurimorum in Germania libertatem animarum? Eoq; à Deo ipsum missum esse,nemo dubitet. Qui enim quærit gloriā eius qui misit eū,hic verax est,et iniustitia in illo nō est. Deinde etiá in pœnitētiā Gentis, hoc est, in conuersioné populi missus est. Non enim primus fidē Religionemque nostrā plantauit,sed plantatā ab alijs,rigauit:qp degenerauerat,in naturā reduxit,restituit. Vnde baptizare non est missus, sed conuertere. Maximè verò hoc in eo consideratur,quod (quemadmodū et Iosias) abominationes impietatis abstulit. Hic enim prędicationis suæ fructus erat, qui vbi non sequitur frustra prædicatur. Non illius infructifera fuit prædicatio,sed viuax & operosa,mentes hominum penetrans, centuplum fructum attulit. Omnem impietatis obominationem abstulit. Abominationem dicimus ea omnia, quæ vt inuisa detestamur,& refugimus,vt sint absentia, & non appropinquent. Et hac significatione multæ sunt coram Deo abominationes,quæ odit,detestatur, atque execratur. Prima, idolatria est. Hæc enim omnium abominabilium maxima abominatio est. Ego sum Dominus Deus tuus, ait omnipotens,nō habebis Deos alienos corā me. Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis zelotes &c. Aduersus

Ioan.7.

Ezech.18.

Ioan.7.

1.Cor.3.

Abominatio quid.

Exod.20.

hanc

hanc abominationem omnes Prophetæ clamauerunt. Secundò etiam impura doctrina abominatio est corã Deo, cũ omnib⁹ humanæ rationis sensibus verbo Dei repugnãtibus. Propterea Iudæorũ cultus excogitatos, nulla causa nullaq; lege præscriptos Deus in Isaia reijcit: Nó est, ait, mihi volũtas in eis. Deniq; omnis vitæ morumq; impietas coram Deo abominatio est. Odit enim altissimus peccatores. Quare sapiens ille testatur dicens: abominatio Domini cogitationes malæ. Et: Abominatio est domino via impij. Et: Abominatio Domini est omnis illusor: Abominatio est domini labia mendacia. Et: Abominatio domini est omnis arrogans. Et: Statera dolosa abominatio domini est. Iam verò omnem Bonifacius abominationem abstulit, nullam passus est vel in doctrina, vel in cultu Dei, vel denique Credentium moribus. Non nostrorum temporum atque hominum more, qui sibi videntur omnem abstulisse abominationem, superstitionēq;, non tamen, quod doctrinam pariter atque vitam credentium plenam abominatione inseminauerint animaduertentes. Non ita, inquam, Bonifacius noster fecit, pari enim constantia, grauitate, atque seueritate aduersus falsam doctrinam, vitamq; impiã, atque idolatriã inq; cultu diuino superstitionẽ restitit atq; pugnauit. Vnde factũ est vt multos è tenebris in Lucẽ: ab errore ad veritatem: ab iniustitia ad virtutem: ab idolatria, ad verum Dei cultum: ab ebriositate ad sobrietatis amorem: à carnali concupiscentia, ad continentiam, induceret, abstraheret, impelleret. Omnem impietatem abstulit, Spiritus impios profligauit, nullo alio medio, quàm diuini verbi cithara. Sed Nunquid hic quieuit, finemq; laborum posuit? Minimè. Ad Dominum gubernauit, seu direxit, cor suũ, & licet maxima pars hominũ peccato seruiret, ipse tamen corroborauit pietatẽ, hoc est, in medio peccatorũ verè diuinos cultus, fidẽ, spẽ, charitatẽq; internè ois etiam generis pietatem, virtutumq; exercitia instaurauit. Hæc de Bonifacio testãtur historię hinc illi nomẽ Banifacij datũ est. An nõ hæc tibi cũ Dauid cithara consonare videtur? Primum igitur hic gratias agamus Deo, qui hunc nobis dedit Bonifaciũ, salutis promotorẽ. Deinde ipsum quoq; Bonifaciũ vti patrẽ, qui nos regenerauerit in Christo, venemur.

Isa. 58. Eccl. 12. Prou. 15. Pro. 3. 12. Pro. 16. & 1. 1. Eccl. 49. Gal. 4.

remur. Tertiò omni diligẽtia in hoc incũbamus, ne frustra nobis verbi Dei pulsauerit citharã, vt nõ & de nobis dici aliquãdo possit: Cãtauimus vobis tibijs, & nõ saltastis: lamẽtauimus vobis, & non ploraſtis. Præterea ipſi quoque annitamur vt tales ſimus bonorũ operũ factores. Id enim omnibus neceſſariũ eſt maximè. Poſtremò, Deũ quoq; precemur vt ſanctæ Eccleſiæ ſuæ eiuſcemodi Bonifacios excitet, & præficiat. Nã & hoc vehemẽs & vrgẽs neceſsitas poſtulat, in tanta eius generis hominũ penuria Inuenias qui Reipub. in externis ſeruire ſeſe dedãt multos: in Eccleſiaſticis verò & ſpiritualibus neminẽ. Hinc eſt quod oẽs artes, oẽs reliquæ Scientiæ ſummũ teneant, ſola Theologia excepta, quę retrimẽto ſepulta iacet: Imò hinc eſt, vt Gregorius ait, quod totus mundus ſacerdotibus plenus eſt, pauci vero adeò in multis inueniantur in meſſe Domini laborantes, quod tamen omnium primũ eſt. Quid enim prodeſt Medicos eſſe qui corpus curent, quum nemo ſit qui medetur animæ? Quid iuuat plures eſſe qui linguas forment, diſertas q; faciant, cũ qui vitam inſtituat, moresq; reformet, inueniatur nemo? Quid cœli motus ſiderumq; curſus qui doceant eſſe iuuat, cũ qui in Dei agnitionem inducat neminem videas? Et deniq; quæ vtilitas eſt, eſſe qui imperiales leges enodent, cũ ſit qui iuſtitiam, quæ coram Deo valet doceat nemo. Eo igitur vehementius ardentiusque rogandus eſt Deus, vt operarios mittat in meſſem ſuã, tales omnino, qualis Bonifacius fuit. Gratia Dei nobiſcum, Amen.

Matt. 11. Luc. 7.

Luc. 10.

EVANGELIVM ALIVD, QVOD LEGITVR QVANDO FESTVM Bonifacij poſt Pentecoſten aut S.S. Triadis ſolennitatem celebrandum eſt. Luc. 6.

IN illo tempore, Deſcendens Ieſus de mõte cum diſcipulis ſuis ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorũ eius, & multitudo copioſa plebis, ab omni Iudæa & Ieruſalẽ & maritimà & Tyri & Sydonis, qui venerãt & audirẽt eũ, & ſanarentur à lãguoribus ſuis. Et qui vexabantur

bãtur à ſpiritibus immũdis, curabãtur. Et omnis turba quærebat eũ tãgere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Et ipſe eleuatis oculis in diſcipulos ſuos, dicebat: Beati pauperes, quia veſtrũ eſt regnum Dei. Beati qui nũc eſuritis, quia ſaturabimini. Beati qui nũc fletis, quia ridebitis. Beati eritis cũ vos oderint homines, & cum ſeparauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomẽ veſtrũ tanquã malum propter filiũ hominis: Gaudete in illa die & exultate: Ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo. Secundũ hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

SERMO TERTIVS.

QVur Euangelium hoc ſæpe in Martyrum feſtiuitatibus totius anni circulo legatur, quemadmodum & hodie cum D. Bonifacij ſociorumq; eius memoriam celebramus, ipſa verborũ ſeries manifeſtat. Docemur enim eos, verè Apoſtolicos viros fuiſſe, Apoſtolorũ in vitæ æternæ ſemita calcauiſſe veſtigia, qui & in ſemetipſis exhibuerunt & oſtenderunt, quod in Apoſtolis ſuis Chriſtus prædicat, ſummaque æternæ fœlicitatis remuneratione dignum iudicat, qui Chriſtum Ipſum in humilitate ſecuti ſunt, iuſtitiam ſitiuerunt omnia reliquerunt, nulla temporanij boni cura affecti ſunt, calamitatem vitæ huius, & filiorum Adæ inopiam defleuerunt, propter iuſtitiam perſecuti ſunt, in ſola Chriſti ad credentes ſuos promiſsione futuræ vitæ confiſi ſunt. Vnde cum Chriſto exaltati nunc, gratia, iuſtitiaq; illuminati, ſatiati, vitam æternã poſsident. Hac ratione iſtud Euangeliũ in Martyrũ memorijs legimus, omnia etiã in ipſis, apertiſsimè vero in noſtro Bonifacio conſiderare licet. Idq; meritò in eius laudibus primas tenet. Nimirum Chriſti imitatio, mens Apoſtolica, animus moresque Euangelio conformes. Licet enim aliàs multa in homine egregia conſideramus atque admiramur, niſi tamen Euangelio conformia ſint, nihil ſunt. Inuenimus enim & Iudæos atque Gentes pro rectè factis prædicari. Sed quid profuit illis, cũ Chriſtũ ne

quidem cognouerunt, nedum vitam suam ad illius doctrinæ normam accommodauerint & instituerint. Sic etiam inuenias qui longo ordine prosapiá suam recensere norit, sed exiguo suo honore, quod degenerans eos non sit imitatus, in quorum præstantia gloriatur. Verùm si quis iuxta Euangelij regulam vitam suam dirigit, & in eorum qui primi à Christo promissionem acceperũt, vestigijs hæret, hic laude dignus prædicabitur. Ita enim
Philip. 3. præcipiens Paulus vult. Estote, inquit imitatores mei, sicut & ego Christi. Addit autem, vt obseruemus eos, qui ita ambulant, sicut forma ab ipso prescripta docet, Et eiusmodi omnino hic noster Bonifacius fuit: Diligens Christi imitator: vera atque fructifera Apostolicæ successionis plantatio. Vnde nemo miretur, hoc de eo, eiusque societate Euangelium legi, in quo Apostolos suos multiplici cõsolatione erigit, magnisq; promissionibus attollit: Beatos eos nec semel, sed quinquies pronunciãs
Luc. 6. licet in terris positi essent, imò grauissima cruce premerentur. Age verò, Apostolis ipsam Euangelij hodierni lectionẽ primum fuisse dictam nouimus: sed eandẽ hic de D. Bonifacio in Ecclesia decãtari audiuimus. Et quidem hoc meritò. Hoc restat, vt eam vitæ normam sequamur, qua ad participationẽ harũ promissionum perducamur. Quæ enim nobis illinc vtilitas, quia Apostolos suos Christus, omnibus audientibus, beatos affirmat, idipsum etiam de Bonifacio Ecclesia concinit, si nos ista refugimus, imò væ nobis sempiternum, nisi aliquando horũ verborum participes fuerimus. Vbi enim pars nullla promissionũ Christi est, certissima atq; æterna expectatur perditio. Iam verò partẽ in ijs habere non possumus, nisi ipsi Apostolorũ vestigia calcauerimus, id quod Bonifacius studiosissimè fecit. Nõ enim promissiones hę omnium conciones sunt, sed tantummodo Christi Apostolorum, qui pauperes sunt spiritu, sitiũt atq; esuriũt Iustitiã: peccata sua deflent patienter mundi odiũ persecutio nemque sustinent. Proinde ita planè hac festiuitate vsurpandum est, ac si ipse nobis Bonifacius etiãnum admonens diceret: Imitatores mei estote, sicut & ego Pauli atq; Apostolorum, ipsi autẽ Christi. Hæc, inquam, nobis ante omnia dicta existimemus. Neq; enim minus necesse nunc

se nunc est quã cum hæc Paulus Corinthijs, deinde etiã alijs, Ephesijs nimirũ scriberet. Vtrobique enim inuenit non imitatores Christi, sed inimicos crucis Christi, sua quærẽtes tantũ, ventréque Deũ suum putãtes. Propterea oportebat, vt cæteris eò fortius acclamaret. Quantũ verò nostro hoc tempore ab Apostolorũ vestigijs atq; imitatione deflexerimus, faciliùs conqueri, quã dici potest. Quare studiosiùs considerandi sunt quos proximè ad Apostolorum formam exemplaq; accessisse colligimus. Si enim cũ sanctis in æterna fœlicitate participare voluerimus, eorũ collegio coniungi in via necesse est. Et hæc de D. Bonifacio eiusque socijs quantum ad Euangeliũ, in genere dicta sint. Nunc porrò quæ pijs præterea in hoc festo cõsideranda sunt, queramus. Principiò hic Moguntiæ quis Bonifacius noster fuerit, multis enarrare superfluum arbitror. Neque enim sine dedecore nostro nos nescimus de eo, quæ totus Christianus orbis in numerato habet. Sed omnes historię primus eum annumerant, qui Apostolicum verbi munus in Germania promouerunt, atque ea de eo referunt, vt nemo inueniatur secundus, qui maiora in eo opere nobis præstiterit. Non quod primus fuerit, qui initio Euangeliũ Christi inter Germanos disseminauerit, patresq; nostros ad fidem adduxerit. Nã & ante eum Germania Euangelium recepit tum etiam Moguntia aliquot pios Episcopos Martyres habuit, sed quod hi, alijq; cum ipsis ædificarant, idipsum aut Arriani suis errobus in internè, aut huni Tyrannide sua externè depopulati erant, destruxerant, deleuerant. Has enim ambas calamitates Deus in Ecclesia simul grassari permisit, concessitque potestate sua vti longo tẽpore, vt omnia ferè in mortẽ duorum validissimorum fluctuum aduersus sese insurgentium colliderent. totũque inundantes mundum Christianum orbem deuastarent, Huni gladio, Arriani doctrinæ impuritate atque errore, imò etiam ferro. Hi enim hæretici non minus tyrannicè, quàm ipsi Huni alijque ante eos Tyranni, in Catholicos & verè credentes persecutione, trucidationeque deseuierunt. Id quod Ambrosius, Hilarius, & ante hos Athanasius, alijque innumeri experti sunt. In hoc sanè tumultu Catholico pio exoptabilior Diocletia-

1. Cor. 4. Phil. 3.

nus,quam Constantius,valens,Theodoricus alijq; hæresiarchæ,fuisset: Optassetq; ingenuus quisque Christianus ipsum magis Caipham Episcopū habere,quàm Auzentium Mediolanensem,Eusebiū impiū Nicomediensem,cæterosq; Arrianos Episcopos. His ergo ambobus connixa grandine nimbis continuò ingraueſcentibus,facile potest quæque fuerit calamitas considerari, nimirū hoc sequebatur,vt nusquā pura doctrina, aut verus Dei cultus reperiretur. Alij enim Germanorum planè in pristinam idolatriam relabantur, alij verò in graues horrēdosque errores reciderant, vt non minore Ecclesia ab huiusmodi abominatione vindicaretur reformaretur q; ladore,quam esset ædificata. Imò facilius fuisset cum Apostolis Ecclesiam ædificare, quàm cum Bonifacio instaurare collapsam. Id quod hodie etiam vsu venit,vt minori labore Ethnicū at Turcam ad fidem conuertas,quā seductum erroneumq; Christianum in verā regiæ viæ semitā reducas. Atq; hinc facilè est videre, quid Germanis maximè verò nobis Moguntinis præstiterit,& quę illius
1.Pet. 4. apud nos reputatio esse deceat. Petrus. Apostol⁹ monet, vt si quis in Ecclesia loquitur: quasi sermones Dei loquatur. Qui ministrat,tanquā ex virtute quā administrat De
Rom .12. us. Paulus aliquāto clariùs nō solū doctrinā, verūetiam exhortationē: nō solùm fundamentū ponendū esse, sed & superędificandum: nō modo plantandū, sed & irrigan
1.Cor.12. dū esse. Tū à Deo nō modò varia dona, verūetiam multa officiorum genera dedisse affirmat,quę & in ea quam ad
Ephe. 4. Ephesios scripsit Epistola enumerat. Sed ipsa etiam experiētia docet sine irrogatione, & imprimis sine Dei incre
Psal. 126. mento inanē plantationē esse omnem. Sic ædificare nihil est,nisi quod ædificatum est,sertū tectumq; seruetur,ipseque Deus Architectus fuerit. Sic cæterarum rerū nulla tam firma dispositio, quæ sine quotidiana instauratione nō mutetur,& ad interitū appropinquet. Id quod exemplis,nō modò experientiæ,verūetiam scripturæ demon
Deut.5. strari potest. Moses eò populum suum induxerat,vt dicerent: Loquere tu nobis,& audiemus: Quæcunq; præceperit nobis Dominus,faciemus. At postea cum solum-
Exod.32. modo quadraginta ab eo esset diebus, planè cōtrarium
2.Par.29. in eo videre erat. Dauid & Salomon omni diligentia templum,

plum, & in tẽplo Dei cultum instituerant, sed defuncto demũ Salomone maxima pars populi à tẽplo simul atq; cultu Dei deficiebãt, imò ipse Salomõ primã eruptionẽ maximũ damnũ inferẽs, ferit. Elias ingẽti labore populum ad verũ Dei cultũ reduxerat, sed mox Achab & Iesabel quadringẽtis Prophetis suis rursus seduxit. Ezechias Rex pius maximo studio indefessaq; opera abominationem idolatriæ eradicauit, vtrosq; veri Dei honores instituit: sed mortuo patre Manasse filius oĩa inuertit: Idem Iosiæ euenit. Tam firmum enim nihil instituit, quin mox ab impijs suis infirmaretur filijs. Reuerso Israẽle è Babylone, nihil primi illi Duces ita pium ac pulchrum instituerãt, quin Esdras veniẽs multa emendãda inuenerit. Tũ nec ipse Esdras tã cõuenienti ordine disposuerat oĩa, vt sequẽs Nehemias nihil mutandũ inuenerit. Ethic perpetuus Ecclesiæ cursus est. Propterea nõ illi tantũ requirũtur, qui fundamẽta locẽt, verumetiã qui exhortẽtur, & extruãt, extructaq; solida cõseruent. Apostoli fundamẽta posuerũt, teste Paulo, atq; plantauerũt, Bonifacius atq; alij extructa sarta cõseruarunt, plãtata rigarunt. Quorũ hi quoq; tam suã apud Deũ mercedẽ recepturi, quã illi priores. Quemadmodũ & Camillus, qui captã & conflagratã à Gallis vrbẽ restituit, instaurauitque, non minus cõditor vrbis dictus est, quã primus eius cõditor Romulus. Sic nobis parẽ maiestatem habet, quod per Christum nos refecit Deus, & quod per eundem fecit, imò verò maiorem. Sic Munitius, Romanus equitum Magister, non eũ solùm patrem appellauit, quo esset genitus, sed etiam Fabiũ dictorem à quo cum suis conseruatus esset, & qui morte liberasset. Sic in Sacris scripturis non minore laude dignus censetur Dauid, qui in veram religionem perduxit populum, quàm Iosue, qui in promissam terrã induxit. Sic Esdras qui legem à Chaldæis exustam & dissipatam restituit, parem cum Mose gratiam habuit, qui primus eam dedit. Sic denique Zorobabel qui templum instaurauit non minus prædicatur, quàm Salomon, qui primus extruxit. Cum ergo Bonifacium Germaniam in iustum ordinem reduxisse constat, meritò eam apud nos autoritatem obtinet, quàm qui primi nobis Euangelium prædicauerunt.

3.Reg.7.
3.Reg.11.
3.Reg.18.
4.Reg.18
4.Reg.21
4.Reg.22
4.Re.24.
1.Esr.3.
1.Esd.9.
Nehe.13.
1.Cor.3.
Tit. Liui.

runt. Nam pari id impensa fecit cum illis, nō minus eam ob causam vitam amittens, quam illi. Idq; hic in Bonifacio considerandum maximè est: nimirum quòd desertam deformatamq; Ecclesiam inuenerit, reformatá posteris tradiderit. Atq; vtinam plures eius generis Bonifacios haberemus, qui huc suam impenderent operam, vt emendatam Ecclesiam posteritati traderent. Deformem quidem inueniunt omnes, sed magna pars talem etiam successoribus suis tradit, ne quid grauius dicam. Sed eiusmodi quicunq; illi sint, eáue cum animorū alacritate, qua Bonifacius hinc migraturi sint, ipsi viderint. Sanè Augustus Ethnicus summam sibi laudem putabat, quod verè dicere posset: Lateritiam iuueni, Auream relinquo. Alij Augusto succedentes auream inuenerūt sed Lateritiam reliquerunt. Eadem ratio Ecclesiæ est. Alij eam extruxerūt, nobisq; ornatam reliquerūt: nobis videndum erit, qualem relinquamus posteris. Bonifacium desolatam in Germania inuenisse Ecclesiam, eamq; repurgatam reliquisse verè dici potest. Et huc omnes vires suas impendit, nullis nec laboribus nec sumptibus parcens. Sed quid eum vt hæc faceret commouit, aut quem huius rei finem proposuit? An honorem, humanamq; auram? Minimè. Mundus enim iniquam ipsi retulit. Dei gloriam, animarumq; salutem quæsiuit. Hoc
Iob.18. illi fundamentum erat, quod in Iob scriptū legerat: Timor Domini ipsa est Sapientia & recedere à malo, intel-
Isaiæ.33. ligentia. Et quod Isaias ait: Diuitiæ salutis, Sapientia & scientia: timor Domini ipse est thesaurus eius. Hoc, inquam, fundamentum propositum erat, hic thesaurus & summa possessio Scientia, Sapientia, & Timor Domini. Et hæc in vita illius splendent. Quid enim vera sapientia nisi Dei per fidem agnitio? Id quod Ieremias te-
Iere.9. statur cum ait: Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur,
Lucæ.10. scire & nosse me. Hoc modo Apostolos suos Christus beatos pronunciat, quod ipsi viderint & audierint, mul-
Ioan.17. tis desiderata: Quin Deum cognoscere & quem misit Deus Iesum Christum, vitam æternam dixit? Quæris
Psal.25. qua ratione agnoscatur Deus? Id Dauid suo exēplo docebit.

cebit. Misericordia tua Domine ante oculos meos est, & complacui in veritate tua. Ecce hęc vera sapiētia est: videre, nosse, credere sine vlla hæsitatione, esse Deum in factis misericordem, & in verbis verum. Et hæc duo misericordiam, & veritatem Dauid sæpe coniungit. Sed Psal. 144.
qua cum ratione loquatur, attende? Non dicit. Scio, aut credo quia misericors es. Hoc enim nemo non dicere potest: sed, misericordia tua ante oculos meos est. Tum nec ait: Scio, quia verax es: sed, cōplacui in veritate tua. Id verò dicere non est cuiuslibet. Vera igitur piorū hæc est sapientia & hac contenti viuunt: verbum Dei atque gratiam habere, & misericordē veracemq; Deū Agnoscere. Et quid Bonifacius coram Mundo nisi Dei misericordiam, & veritatem prædicauit? Quemadmodū & Paulus ait, Corinthijs, se nihil præter Christum, & hunc 1. Cor. 2.
crucifixum prædicasse. Verùm hæc duo nullius, aut certè exiguæ autoritatis sunt corā Mūdo, cui nō iam sapiētia, sed stultitia est, cū sola Dei misericordia, & veritas prędicatur, & quod nostra causa Christus crucifixus sit, affirmatur. Verè tamen vnica atq; summa sapientia est. Vbi enim, de Dei misericordia nihil sciētes, permanere peccatores poterimus? Quis nobis locus relictus erit? Si iniquitates obseruaueris Domine, inquit Dauid, Domi Psal. 129.
ne quis sustinebit? Tum quæ spes nobis relicta esset, si & Iustitia Dei nobis esset incognita? Infœliciores nos omnibus essemus mortalibus, si in hac vita spei nostræ finē ponerimus, hic omnia relinquentibus, nulla futuri spes supereset. Tum etiam si non Christus pro nobis mortuus esset, quàm adhuc in peccatis volutaremur? Proinde Mūdum de eiusmodi rebus loqui, pro sua cognitione, permittamus. Nobis hæc summa erit Sapientia: nosse Deum, qui faciat misericordiam, iudicium, & iustitiā, Et hoc primum, quod in Bonifacio consideramus ac discimus. Alterum scientia est, siue, vt Iob ait: Intelligētia. Et hæc nil aliud est, quàm nosse quomodo placēdum sit Bar. 4.
Deo. Beati sumus Israël, inquit Baruch, quoniam quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. Et Paulus ait: Gratias 1. Cor. 1.
ago Deo meo pro omnibus vobis, quia diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia. Et: Hęc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, quemadmodū accepistis 1. Tess. 4.

à nobis

à nobis quomodo oporteat nos ambulare & placere Deo. Hæc vera & genuina illa scientia est, cui pijs omnibus studendum est. In hac ergo & Bonifacius sese exercitauit, illo planè zelo, vt rectè cum Dauid dicere potuerit: Non sedi cũ concilio vanitatis, & cũ iniqua gerẽtibus nõ introibo. Odiui Ecclesiam malignantiũ, & cũ impijs nõ sedebo. Lauabo inter innocẽtes manus meas, & circundabo altare tuum Domine. Vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuersa mirabilia tua. Hæc præcipua diuinæ huius sunt scientiæ. Qui Deo placere vult, in concilio vanitatis non sedeat, cor suum non apponat vanitati, multoque minus malitiæ, iniquitati, & impietati, quemadmodum & Ioseph dicitur non consentijsse in necem Christi. Deinde qui Deo placere vult, cum iniqua gerentibus non ambulet. Pedes enim eorum veloces ad effundendum sanguinem, bene agere nesciũt. Viam pacis ignorant, non est timor Dei ante eos. Tertiò qui Deo placere vult, Ecclesiam malignantium odio habeat, hoc est, non ipse sequetur eos, sed corripiet, vti Ioannes, Prophetæ, & ipse etiam Christus fecit. Quartò etiam manus suas inter innocentes lauabit, hoc est, bonis ac pijs applicabit se, quemadmodum Moses olim in Aegypto se Israëli applicauit, in extrema licet tribulatione positus esset, ipse verò omnis generis voluptatibus Regiæ aulæ frui posset. Magis elegit affligi cum populo Dei, vt Paulus etiam testatur, quã temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimãs thesauro Aegyptiorum improperium Christi. Et hoc est inter innocentes lauare manus. Quintò qui Deo placere vult, illius incumbat cultui, vt Dauid ait: Circundabo altare tuum Domine. Sic olim Daniel cum Collegis suis fecêre. Sic Iosias Rex pius, cum adhuc puer esset, cœpit quærere Deum. Bonum enim est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Sextò qui Deo placere vult, Dei verbum audiat, vt Dauid ait: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Et Dominus ipse? Audi Israël, loquar ego. Ego sum Dominus Deus tuus. Et: si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Hoc, beneplacitũ est Deo: & nolle suos audire, vbiq; & semper conqueritur. Septimò etiã, enarrare

Phil.25.

Psal.13.

Exo.12.
Hebr.11.

2.Par.34.
Thre.3.

Psal.84.
Psal.49.
Psal.80.

rare mirabilia eius Deo placet. Laus enim gratiarum actio requiritur. Et denique vt diligamus decorem domus eius, hoc est, Ecclesię commodis & reparationi seruiamus. Omnium horum Bonifacius non modò discipulus, sed & doctor fuit. Id quod vita illius perhibet. Malorum conuersatione se exibuit, bonis coniunxit. Mundum fugit, in Ecclesiam refugit, in cultu Dei se exercuit, Ecclesiam restituit, & ita restituit, vt cũ Apostolo dicere nõ immeritò potuerit. Bonum certamẽ certaui, cursum consummaui, fidẽ seruaui. Ecce igitur non iam Iob & Isaias solos, sed & Bonifacium cũ illis maximas suas diuitias duxisse: nosse Deũ, placere Deo, Deumq; timere. Hoc enim vterq; addit, & ita sit oportet, vt non modò Deum agnoscamus, illiq; seruiamus, sed & iudicia illius timeamus. Non perdas Dñe, inquit Dauid cũ impijs animam meam. Hæc sunt, in quib. se Bonifacius hic exercuit, quæque alios docuit. Hoc restat, vt ipsum sequamur. Vtvt enim plurima tẽporanea consequamur, si tamen spiritalibus bonis deficimus, nihil sunt, præter veram sapientiam, verum intellectum, verumque Dei timorem: cætera omnia vana sunt. Gratia Dei nobiscum, Amen. 2. Tim. 4.

SERMO QVARTVS.

Bonifacium cum Ezechia Rege comparat.

CVi rei præsens hæc festiuitas instituta, & quomodo à nobis celebranda sit, longo sermone apud nos Maguntinos docere, meritò videtur superfluũ. Ita enim oibus in his partibus positis, Bonifacius notus, tam celebre & honoratum illius nomẽ erit, vt memoriam & exemplum eius non solum ipsi perpetuò ob oculos habeamus, verumetiam exteris oibus pleno ore prædicemus, quod peregrinationis suæ tẽpore in his terris nulli tã propinquus factus est, atq; nobis, nostrisq; patribus. Ipse quidẽ à nobis cognomẽ sortitus est, vt in oibus historijs, Chronicis, & annalibus, Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus dicatur. Hoc illi à nobis cognomen est: sed vtinam nos quoq; suum adepti essemus nomen, quo oẽs Bonifacij, bona faciem, hoc est, bonũ piæ vitæ apud oẽs testimonium haberemus bonum, siue benefacientes.

cientes. Id quod Etymologia nominis Bonifacij vult, vt aut bonæ faciei, aut bona facientes simus. Quorũ vtrũque Christiani hominis est. Quisquis enim talis Bonifacius nõ est, ingenuus Christianus nõ est, cuiuscũq; alioqui nominis, cõditionis, dignitatis sit. In Matthæo enim
Matth. 5. ea de re Christus ad Apostolos, eorumq; successores ita loquitur: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrũ qui in cœlis est. Et Petrus post Magistrum suum in hęc verba
1. Petr. 2. scribit: Conuersationẽ vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerãtes, glorificent Deum in die visitationis. Et deinde: Nemo
1. Petr. 4. vestrum patiatur quasi homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si aũt vt Christianus: non erubescat, glorificet autem Deum. Et Paulus: Fornicatio &
Ephe. 5. omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quę ad rem non pertinent. Ecce omnium hoc esse piè Christianorum vt sint Bonifacij, benè agant, vt sint quemadmodum facie, ita etiam facto boni. Nam & Euangelium hoc validissimè requirit, vt simus bona fa-
Ioan. 15. cientes: Vnde Christus ait: Omnem palmitẽ qui fert fructum purgabit eum pater agricola, vt fructum vberiorẽ adferat: & omnem palmitem in me nõ ferentẽ fructum, tollet eum, & in ignem mittent & ardet. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignẽ mittent, & ardet. Quin in hanc ipsam sententiam Christus totã hanc parabolam de vitę, palmitibus & agricola proposuit. Cur plantatur vitis? Vt ferat palmites, vt grandescat, & germinet. Et cur fouentur palmites, nisi vt fructificent? Neque enim alius eorum vsus est, nec quid valẽt nisi vt in ignẽ mittantur. Et quod operosi agricolæ in vinea officium est? Vt nutriat vitem, purgat palmites, putet sarmenta, fertilia muniat, vt fructum vberiorem adferant. Tota hæc parabola huc facit, vt Bonifacij simus. Christus vitis vera est, qui ideo à Deo patre in Christianæ Ecclesię agrum plantatus est, vt multos germinaret palmites, vt ipse primogenitus sit in

in multis fratribus. Nos palmites. Propterea in baptismo per fidem, viti fructiferæ complantati sumus, vt ipsius virtute & humore, fructum afferamus : ideo Christo capiti nostro incorporati sumus, vt in ipso spiritum gratiamq; haurientes, Dei in omnibus impleamus voluntatem. Et hic verus Agricola est, qui erga vitê eiusq; palmites, hoc est, Christũ ac credentes afficitur, sua custodia tegit, doctrina circũfodit, cordiũ interiora soluit, beneficijs stercorat, calore amoris sui accẽdit, spiritu suo irrorat cœlitus, redundantia inutiliaque aduersitate ac cruce amputat, nihil quod ad fructificationem palmitũ facere videtur intermittit. Hic finis omniũ quæ operatur Deus. Fructũ quęrit, nõ folia tãtùm: Bonifacios vult, nõ ocioſos: tales omnino quibus nomẽ Christiani frustra non sit inditũ, qui gratiã Dei in vacuũ non receperint. Cuius in Bonifacio nostro exẽplum propositũ est. Hic enim verã nominis huius virtutẽ in se ipso expressit, bonam faciem, honorãdum nomen apud omnes obtinuit, bona nunquam non fecit. Propterea quod exordio huius sermonis, idem hic repeto: Vtinam eius nomẽ virtutemq; ab ipso ceu hæreditatem capiẽtes nostra faceremus. Sic enim huic festo satisfactũ esset, sic genuini filij atq; imitatores tanti essemus patris : Sic ille in nobis coram Deo gloriari, nosq; in ipso coram mũdo possemus non erubescere. Sed hic labor, hoc opus: hoc ipsum est, quod conquerimur. Bonifacium prædicamus, malefacij ipsi manemus. Nomen nouimus, ab opere lõgè absumus: Hoc ergo est, quod considerandum est hodie, quomodo vita moresque nostri cum Bonifacij exemplo conueniant. Nihil hoc facto huic tempori nobisque conuenientius. Sanè Regum liber speculum quoddam offert, in quo non modo ipsum Bonifacium, verum nos quoq; veluti expressa imagine contemplari licebit. Sit ante oculos Rex Ezechias, & pulchrè Bonifacium depictum suis coloribus agnosces. Huic filiũ adde Manassen, & nos nostraque omnia coràm videbis. Id ita esse, paucis ex eadem historia ostendamus. Principiò nemo nostrum, quibus S. scriptura legitur ignorat, Ecclesiæ, inter omnes Reges Ierusalem post Dauid celeberrimum nomen fuisse, eorumq; de numero, de

Rom. 8.

quibus Iesus Syrach loquitur. Laudemus viros glorio-
sos,& parẽtes nostros in generatione sua.Et pòst de Eze
chia priuatim loquens, ait: Fecit Ezechias quod pla-
cuit Deo, & fortiter iuit in via Dauid patris sui,quam
illi mandauit Isaias Propheta magnus & fidelis in con-
Eccl.44. spectu Dei. Hoc nomen, hæc laus Ezechiæ, etiam de-
Eccl. 48. functi. Aliorum quidem Regum aut nulla aut plena de-
decoris fit mentio: huius verò vt sempiterna, ita est &
honorifica memoria. Nam & nobis credentibus nomen
eius honorabile est,eritque semper. Et qua ratione eum
nominis honorem consecutus est diligentia & studio
piteatis,vt instauraret cultus diuinos, seductasque gen-
tes reduceret laborauit. Hoc ipso ęternum nomen ade-
ptus est Rex pijssimus.Vnde suam laudem in sacris scri-
pturis non minus prædicamus, quàm Mosi, qui primus
populum in mandatorum Dei viam adduxit, aut Da-
uidis, qui cultus Dei pulcherrimo ordine instituit: aut
etiam Salomonis, qui primus templum fundauit. Non
minor est virtus,quàm quęrere,parta tueri. Tum maioris
fortè industriæ erit atque laboris collapsam instaurare
domum,quàm nouam extruere. Moses, Dauid, & Sa-
lomon extruxerãt.Ezechias ruinosæ domus damna resar
ciuit atque in integritatem restituit. Bonifacium plures
hic Moguntię & præcesserunt & sequuti sunt Episcopi,
quorum nemo recordatur: in obliuionem coram mũdo,
& fortè coram ipso etiam Deo,descenderunt. At Boni-
facij gloriosum est nomen, cùm apud Deum, tum apud
homines,quod ipsum etiam dum res Christiana stat, con
seruabit. Et qua hunc titulum via consecutus est? In
promptu responsio est.Per amorem pietatis,per studium
purgandęEcclesię,& restituendę pietatis.Nõ ille eorum
in numerò est, per quos Ecclesiam suã Christus primùm
ædificauit, tum nec primus Euangelium hic aut alicubi
prædicauit.Non Moses,non Dauid, non Salomon ali-
quis est,sed nec Apostolus,at verè Ezechias, eorumque
aliquis est, qui post Apostolos habentem Ecclesiam in
pristinum statum restituerunt.Vnde etiam hac parte,cę-
teris paribus,Apostolis confertur,Germanorumque di-
citur Apostolus, haud alia ratione,quàm Romani olim
Camillũ suum,qui vrbem à Gallis captã cõflagratamque
resti-

restituit instaurauitque, Romulo conditori vrbis, conferentes. Alterum conditorem vrbis inscripserunt. Et quemadmodũ hodie etiã, alterũ Achillem, fortẽ quemque: alterum Herculem indefessi magniq; laboris hominem: alterum Eliam, grauem reprehẽsorem dicimus. Hac ratione Bonifacius alter Paulus, verus Apostolus, pro Euangelij prædicandi, Ecclesiæ instaurandæ, & à peccatis soluendis animabus studio, ac feruore dicitur. Quid pulchrius de ipso dici posset? Quid in Ecclesia Apostolico munere maius? Quid hoc nomine celebrius? Hęc quibus cordi est immortalitas, qui sui in mũdo nominis perpetuã venantur gloriam, sedulò cogitẽt. Alius domos extruit magnificas, alius marmoreas æreasque columnas sua imagine cœlatas erigit, alius in oẽs Basilicas arma nomenq; suum importat, depingit, affigit. Alius denique nouum quid molitur, sæpe etiam parum nomini suo digna perpetrat. Inuenias etiam qui flagitijs partam memoriam post se relinquant. Vt Herostratus, qui non aliam ob causam Dianæ templum, quod Ephesi celeberrimum erat, igni succensum conflagrauit, quàm vt Herostratũ hoc perpetrasse, posteritas commemorare posset. Sed hæc omitto, ac de his tantùm loquor, qui præclarè gestis nominis perpetuitatem quærunt. Nulla sanè hac consequendi via compendiosior est, præter Dei timorem. Non ædificia magnificè extructa, non cum casside clipeus, non admirandę flammæque pyramides, non columnæ, non imagines, idque genus alia memoriam quidem seruant? verùm non semper laudem adferunt. Videas enim non pauciores qui ista conspuant, quàm qui admirentur. Pietas ad omnia vtilis. In memoria æterna, inquit Dauid, erunt iusti. Memoria iustorum immortalis est, teste Salomone: condemnatq; iustus mortuus viuos impios. Et ipse Dominus, qui honorificauerit me, inquit, glorificabo eum. Hæc prima, inquam, & compẽdiosior, & certior via nominis immortalitatem, laudem memoriamque consequendi cùm apud Deum, tum apud homines. Exẽplo sit Bonifacius, quẽ Deus gratijs donisq; suis, miraculis in vita ac morte clarũ fecit, honorificat etiãnum, & in sempiterno suo regno magnificabit. Et quur hoc? Nimirum

Herostratus.

1. Tim. 4.
Psal. 111.
Sapien. 4
1. Reg. 2.

& ipse Deum in vita sua honorificauit per omnia, eiusque gloriam quæsiuit. Sed & hodie oēs summi pontifices, Episcopi, Prælati: imò oēs Cæsares, Reges, Principes, celebrius nomen sibi non cōparabunt, quàm si Bonifacium sequantur. Certè non minus vrgenti id causa quàm olim Bonifacius, præstiterint. Sed (dolor) nemo hęc cogitat. Vnde fit vt veluti nunquā fuissemus, pereamus: & postquam satis diu pompose vixerimus, memoriam nostram cum sonitu perdimus, sepè pręter turpitu-
Matt. 25. dinis fœtorem posteritati nihil relinquentes. Sed nō hęc Bonifacio doctore didicimus. Est enim ille eorum non infimus è numero, qui concessæ à Deo gratię talentum, minimè in terram defossum absconduntsed nummularijs commisse, multum lucrantur. Quare futuro iudicio iusti Iudicis vocem audiet dicentis: Euge serue bone & fidelis, qui in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui. Sed & bonum cum Paulo certamen certauit, cursum consummauit: propterea etiam coronam Iustitiæ accepit, eandemque perfectiorem in Resurrectionem mortuorum consecuturus. Hoc modo Bonifacius Ezechiæ Regi confertur. Quanto bono autem, qui ipsum secuti sunt, ipsius vestigijs vsque ad hæc nostra tempora inhæsissent. Sed clare ostenderunt non omnes esse Ezechias aut Bonifacios, qui eorum in locum successerunt. Non omnes boni filij, pijs progeniti parentibus. Manasses enim patris sui affectum ac spiritū minimè secutus est. Quod enim restituerat ille, hic demolitus est: quod instaurarat pater, destruxit filius: eò res populi coēgit, vt Ierusalem sancta alioqui ciuitas regis agni, deterior omni paganissimo redderetur. Hoc Manasse egregium facinus. Hæc optata filiorum, scilicet, Ezechię successio: & hoc, de quo suprà dictum est, speculum, in quo omnes nos contemplari licebit. O impie Bonifacium secutos Quā longe à pij exemplo Patris defleximus. Quæ deformata facies Ecclesiæ, præ illo quo Bonifacius vixit tempo-
Isaię. 1. re. Quomodo facta est meretrix, ciuitas fidelis? Argentum versum est in scoriam. Quicquid pius instaurauit Bonifacius, successores mali non solùm collabi permiserunt, verùm ipsi quoque corripuerunt. Non

minus

minus incommodarunt, quàm ille commodauit Ecclesiæ, eademque cùm Bonifacij, tum Ezechiæ filiorum iniquitas. Et qui illi sunt filij? Nos, nos, inquam, filij degeneres. Sed quod dixi, nos, eo modo intelligi volo, quo Daniel olim locutus est, cum ait: Tibi Domine Iustitia, nobis autem confusio faciei. Nobis, inquit, Regibus nostris, Principibus nostris, & patribus nostris qui peccauerunt. Nobis, sicut est hodie viro Iuda & habitatoribus Ierusalem & omni Israël, ijs qui prope sunt, & ijs qui procul in vniuersis terris sunt. Hoc modo igitur etiamnum, Nos, quod dixi intelligo, omnes enim in causa sumus, tam exiguum superesse boni ab Bonifacio plantati: tam multa mala quibus maximè repugnauit, inueniri & vbique obuia esse. Non est quod alius in alium culpam torqueamus. Prophetæ somniant mendacium, sacerdotes applaudunt manibus, & populus diligit talia, filij colligunt ligna, & patres succendunt ignē, & mulieres conspergunt adipem, quasi dicat. Omnes ad introducendam idolatriam commodarunt, nemine excepto: id quod aliàs tempore verè dixisse me memini: Nimirum somnolentos & negligentes Ecclesiæ ministros vehementer in culpa esse, tanti in Ecclesia tumultus. Addidi autem nos etiam non minimā tanti incendij facem porrexisse. Licet enim pastores sepè habeamus pios, acquiescere tamen his nolumus. Discedimus quo sua quenq; fert opinio. Sequi recusamus, ipsos nos inluporum ora deuorandos ingerimus. In propria perditione exultamus: rectè monentes abominamur: Animarum nostrarum salutem quærentes, refugimus: quod commodare potest, contemnimus: quod obesse, toto pectore amplectimur, tenebrę nobis lux sunt, & cōtrà. Ecce hoc modo Manasse omnibus nobis inuenitur conditio. Ezechias atque Bonifacius patres pij succubuerunt. non est qui hos respiciat, qui sequi velit, nemo: omnes eorum refugiunt horrentq; exemplum. Sed quis tantæ peruersitatis erit exitus? Quis extremum finem obtinebit? Ezechias an verò Manasses? Bonifacius an nos? Verum Ezechiæ memoria atque laus vltra bis mille annis in Ecclesia perdurauit, Bonifacij verò octingentis annis celebre nomen fuit. Sed de Manasse eiusque as-

Dani.9.

Iere.1.

Iere.7.

seclis, dictum est, dixisse Dominum: Quia fecit Manasses rex Iuda abominationes istas pessimas: ecce ego inducam mala super Ierusalem & Iudam. Nimirum degenerantibus hæc dicta erant filijs, quę postea etiam cōpleta sunt in eis. Et nobis hæc dicta putemus: vt qui in multis Manasse similes sum⁹, ne c minora omnis generis pietatis exempla in Bonifacio nostro habemus, quā ille in Ezechia patre. Sed, inquis, qua ratione confiteri poterit, vt interminatam iram liceat effugere, quandoquidem peccati demerita culpa minimè negari potest. Respon. Duo adhuc media quibus periculum potest euitari, restant, quorum alterum est pœnitētia præteritorum criminum: alterum vitæ emendatio in futurum. Hæc ipsa duo ipsum etiam Manassen, pro delictis suis in Ba-
2. Para. 33 bylonem deductum liberarunt. Qui postquam coangustatus est, inquit scriptura, orauit Dominum & egit pœnitentiam valde coram Deo. Et exaudiuit eum Dominus, & reduxit in Ierusalem in regnum suum. Hæc sanè etiamnum iuuare possent media: & aut vtendum ijs, aut certissimè pœnæ periculum expectandum est. Necesse omnino est pœnitentia, vt commissorum pœniteat, hoc est, quod vocationi nostræ tam non respondemus nec cogitauerimus, gloriam Dei non quæsierimus, pia patrum exempla amplexi nō fuerimus, salutiferas admonitiones non susceperimus, sed contrario modo repugnauerimus, doleat. Hæc pœnitentia necessaria est, neq; enim excusari potest, quod deliquimus.

Omnes aberrauimus, simul inutiles facti sumus. Cōtegi non potest, neque enim desinet suo nos premere DEVS iudicio, donec fateamur dicentes: Nos peccauimus. Sed & emendatio in posterum requiritur. Tum enim vera pœnitentia est, vbi emendatio sequitur. Neque enim commissorum tantùm pœnitentiam egit Manasses, sed & domum rediens, aras, locosque quos fecerit abstulit eiecitque. Quæ pia erant, & se iubente interdicta, restituit, & quemadmodum plebem impio scandalizauerat exemplo, imò vt ad idolatriam pertraxerat, ita etiam pariqué grauitate ad pietatem reduxit. Hæc enim vera & iusta emendatio erat, quæ & in nobis requiritur. Multa & inutilis succreuit Zizania.

Pluri-

Plurimùm pietatis cecidit, quod erigendum est, & hic omnes tantæ rei promouendæ adiumẽto esse possemus. Principes & Magistratus ordinãdo & præcedendo, Prędicatores & pastores admonendo suoque exemplo, populus audiendo & sequendo. Sed: hodie denuo decreta Synodi euulgata sunt, plurimarum sperանda emendatio rerum est, maximè cùm adeò Spiritus sancti festum in foribus est, qui & ipse suam quæsitus & exoratus non denegabit gratiam. Hæc igitur hic in D. Bonifacio considerem⁹ & cogitem⁹. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO QVINTVS.

Confertur Bonifacius Regi Iehu.

SVperioribus annis dixisse me memini qua ratione Euangelium hoc ac festa dies Bonifacij nostri sanctorumq; sociorum eius conueniat, nec cuiquã nostrum vitas ipsorum legenti id secũ considerare difficilè erit. Per pauperiẽ enim ac famem, per lachrymas ac gemitus, per afflictiones atq; crucẽ Christum secuti sunt, vnde beati prædicantur in terris, beati cum Christo in regno suo satiati bonis Dei, æterna fœlicitate refecti, & deniq; secũdùm huius Euãgelij promissionẽ summæ mercedis retributione remunerati sunt. Id q̃ aliâs fusiùs pertractaui, nec est, quod vel rectius vel meliùs in sanctorum festi fecerimus, quã si cogitauerimus ostẽderimusque, qua via ipsorũ vita, doctrina ac mors Euãgelio cõueniat: Id quod vnũ verã credentibus pietatẽ cõfert, rectissimaq; futuræ beatitudinis vitæ consequẽdæ via est. Sed & nunc aliæ, quæ me mouent, causæ sunt, vt porrò aliquid de hac festiuitate ac Bonifacio patrono nostro differã, eæq; ita se ad manũ afferũt, ita vt vix scia qua ratione meliore his de rebus loqui incipiam. Quæris quæ eiusmodi sint? Superiore Pẽtecostes festo cũ de spiritus sancti missione sermonẽ habebam, cum animorum nostrorum lætitia, cum gratiarum etiam actione, quomodo per Apostolos suos Deus Ecclesiam Christianam in hoc mundo plantauerit, ordinaueritq;, nõ modò varijs donis spiritualib⁹, verumetiã igneis linguis spiritu sancto dato, in memoriam reuocauimus. Illud ipsum etiam

Psal.31. diuinæ bonitatis factum olim prædixisse Psalmistã Dauid audiuimus. Eiusmodi plane illud factum est, vt meritò eius gratia lætemur, Deoque per omnem vitã nostrã gratias referamus. Sed quid restat, nisi vt Deus, qui per Apostolos Ecclesiam ędificauit, eandẽ per horum successores sartam tectamq; conseruet: vt quod per Apostolos plantatũ est per hos irrigatur, nec marcescat, nẽpe qui rorem dedit, etiam serotinam pluuiam concedat hoc ipsum inquam restat. Quid enim veterum prodest ædificatio, nisi per successores quod ædificatum est sartum conseruetur? Quid Hortulanum plãtasse iuuat, nisi & irrigauerit sedulo? Optimus paterfamilias Deus est, qui quod per Apostolos plantauit, per alios irrigauit: quod

1.Cor.3. ędificauit per illos, per hos conseruauit. Ego plantaui, inquit Paulus, Apollo rigauit, Deus incrementum dedit. Deus virtutem subministrat, vt vtrique cooperatur, qui & vtrunque in ministerium suum instituit. Alius quidem seminat, & Christus ipse ait: Ego misi vos metere, quod vos non laborastis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Si ergo gratiæ Dei est, quod in nobis structuram suam Deus incepit, erit etiam gratiæ, quod eandem in nobis ipsis sartam tectamque conseruat. Si domum Dei est, à Deo primum spiritum verbumque ad Ecclesiæ plantationem datam esse, erit & eiusdem donum quod eundem spiritum idemque verbum continuò vsque ad nos longo ordine dedit ad rigandum Ecclesiam. Qua enim ratione noua illa Ecclesiæ plãtatio in tanto Tyrannorum, hæreticorumque per Satanam motorum æstu atque feruore, manere, ore dicam adolescere, nisi cõtinuò per spiritum verbumque suum irrorante Deo potuisset? Si ergo magnificentiam suam Deus hoc ipso ostendit, quod ciuitatem suam per Apostolos fundauit: meritò etiam magnificentię laudem apud omnes obtinet, quod eandem Ecclesiam ciuitatem suam, post Apostolos aliorum mentibus ad hoc excitatis sartam tectamque seruat. Huic sanè rei præsens festa dies seruit, quod Bonifacius noster horum posteriorum in numero habetur. Non enim ex illis est, qui initio plantandæ ædificandæque Ecclesiæ incubuerunt: sed his, inquam, annumeratur per quos plantatam ædificatamq;

Ioan.4.

Ec-

Ecclesiam suam Deus, maximè apud nos conseruauit. Idque nemo facilè negauerit. Plures sanè Germania habuit, quorum doctrina vitaque Deus per Apostolos plantatam fidem conseruauit, promouitque, sed omnes inter Bonifacius hic noster facilè principem locum obtinuit: quare etiam exteris nationibus Germanorum dicitur Apostolus. Quod enim alij priuatis quibusdã in locis, hoc ipse in vniuersa Germania præstitit, omnes ad Deum perducere studuit, à quo studio dum homines peccatores restare intelligit, non destitit, haud aliter erga omnes, quàm pater erga vnicũ ex se natum filium, affectus: vnde verè cũ Paulo dicere potuit: Plus omnibus laborauit. Et qua ratione in nobis venerandi nominis immortalitate non obtinebit, qui tanta nobis, patribusq; nostris præstitit: Quur in nobis non gratulabimur, per quẽ nobis Dominus tanta exhibuit? Aut cur in hoc ipso Deũ non magnificabimus, quod Bonifacij opera, veluti domi nata religione summe bonum intra parietes agnouimus? Hoc nẽpe est, quod Dauid olim decãtauit: Deus in domibus cognoscetur. Neq; enim minima ciuitatis Dei pars Germania est. Quod enim & quàm præclara in ea palatia, quot populosæ congregationes credentis populi, quibus Deus cognitus est olim atq; etiamnum cognoscitur? Et hæc ipsa Bonifacius noster sarta tectaq; cõseruauit, instaurauit alia, in pristinum statum reduxit multa. Ecce quomodo ex hoc ipso Psalmo festam hanc diem, ipsamque Bonifacij memoriam celebrem agere licebit. Sed Psalmum prætereo, eiusque explicationem in crastinum sermonem differo: & quod hic conueniẽti modo faciendũ est, ex Regum historia nostra, quæ huic festo conueniunt indicabo. Conueniunt autem multa perappositè. Quæ veluti compendio aggrediamur. Omnia tamen huc facient, vt Bonifacium nostrum eo maiorem indicimus, apertius etiam quid Deus per eum in Germanorum Ecclesia, maximè verò in Moguntini Archiepiscopatus circulo effecerit. Quarto igitur Regũ libro legimus, quomodo idolatriæ, quod Achab Rex cum sua Iesabel in Israẽlem inuexerat, virus longo tempore præter modum finẽmue serpserit, ac quotidiè ingraueſcens Dauid Regis familiã in Ieruſalem infecerit.

1. Cor. 15.

Psal. 49.

4 Reg. 10

Frustra Prophetæ repugnabant, præmonebantq; ita plane, vt ipse etiam Elias propheta actum esse de Israëlis salute, nullius q; opera ad fidem posse conuerti, timuerit. Tum Opt. Max. virũ Iehu excitauit, cui tantũ spiritus sui zelum indidit, tantaq; potentia ac virtute armauit, vt vi etiam contra omnes idolatras restiterit. A superioribus
4. Reg. 9. initium fecit, quos simul congratos in Iezrael adorsus est. Ioram regem sagitta arcus sui emissa percussit, Ochoziam verò in curru suo percuti iussit, Iesabel per fenestram præcipitari iussit, filios Achab septuaginta numero viros decollari fecit. Et hæc omnia in vnica ciuitate fecit. Deinde versus Samariam perrexit, inuentoque in via Ionadas iusto homine dixit: Nunquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meũ cum corde tuo?
4. Re. 10. Eadem via inuenit fratres Ochoziæ descendentes salutatum filios Regis & Reginæ, ignorantes iam tũ decollatos. Hos, qui essent, rogat, ac idolatras esse, Ochozię fratres, eaque de causa descendere intelligens, omnes iugulauit, nimirum quadraginta viros. In Samaria neminem eorum qui Achab olerent reliquit. Postremò etiã idololatras sacerdotes aggreditur, quos ex omnib⁹ partibus conuocatos, quadringẽtos, religionis simulator, in templo Baal sacrificaturos scilicet, vestimentis q; suis indutos per octoginta viros armatos trucidat. Dicebat enim Iehu: Achab parùm colit Baal: ego autem colam eũ amplius. Et ad armatos viros. Quicunq; fugerit de hominibus ijs quos ego adduxero in manus vestras, anima eius erit pro anima illius. Trucidatis ergo omnibus his, ædẽ Baal destruxerũt, statuamq; eius cõbusserunt & cõminuerunt. Hoc modo idolatria sustulit, idq; mandato diuino, vnde etiã S. Scripturis prædicatur, regumque Israëlis posteritati suæ in quartã vsq; generationẽ confertur. Nõ enim inuidia hominũ aut vindicãs se, sed zelãs pro Deo fecit. Et hæc illa historia, quæ ordine scripturæ exponẽda esset. Sed quis nõ mox videt, quàm sibi Iehu & Bonifacius cõsentiant, vnus in vtroq; spiritus, idemq; zelus quod ille in Israël, hic inter nos fecit, hoc solùm differunt: quod Iehu gladio, Bonifacius verbo Dei vsus fuit: ille vnã tãtùm, idolatriam extirpauit, permissa alia, in qua & ipse ad mortẽ perseuerauit: hic verò aduersus

sus omnes impietates, in morte vsq; decertauit. Quã collatione quilibet facile, collatis vtrinq; historijs, considerabit. Vtrobiq; enim quid Satã aduersus Ecclesiã, ipsumque Deũ moliatur, videri potest. Vtrobiq; etiã Deũ Deique verbũ prævalere, ac potiri victoria colligitur. Neque enim Ecclesiã suam credentesq; funditus deleri permittit Deus. Non tantam Achab in Israëlem idololatriam inuexit, quin longè pestilẽtiores errores in Ecclesiã Arrius importauerit. Tũ nec tantum Iehu zelum in extirpanda idolatria ostendit, quin maiorem Bonifacius in omnis generis erroribus, idololatrijs, impietatibusq; tollẽdis impẽderit. Iehu Israëlem plenũ idolatria inuenit, Bonifacius Ecclesiam, maximè vero in nostris partibus, peccatis erroribusq; grauibus reperit fauciam. Quemadmodum ergo illum Deus ad excidendum Baal, ita hunc ad repurgandam Germaniam à tantis peccatis & erroribus excitauit. Hæc duo enim plerunq; concurrunt, vt vbi error & infidelis prævalet, illic etiã iniqua & impia vita sequatur. Sic Iehu vsu venit, sic Bonifacio, sic deniq; & nobis. Quæ enim vitæ impietas, ex tot erroribus, quibus iam annos aliquot deseuimus sit secuta, cæco etiã apertum esse potest. Quos enim hostis ille noster in errores induxerit, eosdẽ haud magno labore in omnigenam impietatem pertrahet. Propterea Iehu noster, Bonifacium puto, aduersus vtrunq; pugnare habuit. Vnde non immerito de ipso etiã dici potest, quod de Iosia scriptum est. Ipse directus est diuinitus in Pœnitentia gentis, & tulit abominationes impietatis, & ad Dominũ gubernauit cor ipsius, et in diebus peccatorum corroborauit pietatem. Hoc modo, manifestum esse potest, arbitror, qua ratione hæc festiuitas historiæ Iehu cõueniat. Restat ergo vt vtroque rectè vti discamus. Sed hoc multæ considerationis est. Docent hæ duæ historiæ multa, & quid timendum, quid sperandum sit, quid amplectendum aut fugiendum sit, tum quid expetendum ostendunt. Omnia hæc, inquam, Iehu historia, atque Bonifacij nostri festiuitas docet. Et quid est, quod timeamus? Nimirũ hostẽ & inimicũ nos habere inuidum, fortem, dolosum, nos contrà imbelles esse. Hostẽ, inquam, nulla non Dei dona nobis inuidentem, semper manus suas ad strangulandum nos extendentem, insidij vi- Eccl. 49.

dij viq́ue omnigena contra nos insurgentem. Septem capitum ille draco est, qui nunquam quiescit, dum fœminæ, seminis illius conterentis caput suum, genitricem ante oculos videt, hoc est, dum CHRISTVS cum sua Ecclesia esse perseuerat: dum, inquam, in Christum credentem hæc terra alit. Legamus Scripturas, & nō obscurè qua tyrannide mortales in peccatum, vitia, cæcitatē, errores, inquam egestatē, calamitatē, perditionem foris intusq́; precipitauerit. Cui rei vnica Achab historia testimonio esse potest. Deū immortalem, quæ illa calamitas erat, cùm omnem terræ faciem idolatria occuparet, Reges omnes hāc vrgerent ac promouerent, cùm nulla cuiquam pio prorependi esset securitas, cùm absconditi in cauernis pallescerent Prophetæ, cum Prophetas Baal audire compellerentur, cùm iniquitas & tyrannis omnis toleranda ferendaq́; esset: Eo res mortalium tempore Achab Diabolus deuolauerat, imò & Arrij temporibus ea rerum facies erat: eò etiā nostro nos seculo adigere conatur, adegitq́; quā plurimos. Est ergo quod timere habemus nos maximè quorum nulla ferè virtus est, qui tam facilè seducimur, quouis vento territamur. Nemo tam subitam Israēl defectionē sperasset, quorū fides & cultus tantis tāq́; apertis prodigijs cùm data tum confirmata esset. Nemo in nobis tam facilè seductum iri nos, qui tam constanti pietate fidei adhæsissemus, credidisset: Arrio tamen et quibusdā alijs exurgentibus collabi omnia magna clade videre licebat. Sed & nostro hoc seculo nemo tantam in nobis fidei infirmitatem vel vsus fuisset cogitare, nisi cū tot vndiq; insurrexere sectæ: tum sanè multi paleæ inuenti sunt, qui vi debantur frumentum optimum, ac ipse flos tritici habebantur: Eoq́; igitur timendū magis est. Multa ille inimicus noster potest, Deo permittente: tñ nos, nisi ipso Deo dante, nihil possumus. Simon, inquit Christus, Satan expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Ecce quod temerè habemus, hoc est. Quid verò sperandū esse potest? Nimirum, Deū non minus ad tuendam custodiendamq́; Ecclesiam suam vigilare, quam adoriri illā ac disperdere sudat Diabolus. Hinc est, quod semper operarios in vineā suam mittit. Sic Mosen dedit, vt Israēlem ex Aegypto liberaret. Sic iudi-

iudices dedit, qui populum defenderent. Sic qui regerét Reges, qui docerent & in viam reducerent, misit. Sic etiam in nouo Testamento semper qui Ecclesiam repurgarent, collapsámque erigerent, misit, suoq; spiritu imbuit, Neque enim his tanto tempore staret Ecclesia. Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sic Sodoma essemus. Hinc ergo spes illa nostra, hinc quod lætamur in hac Bonifacij festiuitate, est: hinc etiam gratiarum actiones in Bonifacio nostro. Propterea ergo ardentiùs orādus est Deus, vt & nostro tempore eiuscemodi non dedignetur demittere Bonifacios, qui abominationes impietatis tollant, & peccatorū mētes conuertant. His enim nostro seculo Ecclesia opus habet maxime. Hoc postulari vult Deus. Rogate Dominū messis, vt mittat operarios in messem suā. Præterea in hoc etiā incumbendū est, vt ipsis simus Bonifacij, autum zelum præstaremus, & si quā vel in nobis vel etiam in alijs, falsæ doctrinæ, idolatriæ, vitæq; impietatis abominationem considerare mus, hic pro sua virili quisque, Deum amantes grauitatem ostenderemus, nullius amori indulgeremus, nobisipsis parceremus. Qui amat patrem suum aut matrem plusquàm me hic me non est dignus, imò verò qui nō odit animā, nō potest meus esse discipulus. Hæc sunt ergo quæ docent festum hoc & historia. Hoc Bonifacij esset celebrare festum, hinc etiam vtilitas non parua, non nobis tantùm, verùm toti Ecclesiæ etiam veniret. Hæc pius quisque secum cogitet, & Deum vt sua gratia Ecclesiā visitet, illiq; subueniat precemur. Amen.

Isa. 1.

Luc. 10.

Luc. 14.

SERMO SEXTVS.

Collatio Euangelij ac festi tum etiam facti ac Naboth.

SI quis vel exiguum spiritualium rerum cognitionē habuerit: facilè qua de causa hoc Euangelium in genere de Martyribus & in specie de Bonifacio nostro legatur, cōsiderat. Principiò enim ad Apostolos his verbis vsum esse constat. Id quod Lucas apertissimè atque expressè indicat. Et ipse, inquit Euāgelista, eleuatis oculis in discipulos suos, docebat eos: Beati pauperes, quia vestrū est regnum cœlorum. Iam verò discipuli illo tēpore velut grex occisioni deputata erant. Omnes martyres efficiendi erant,

di erant. Tam apertè enim prædictum hoc illis fuerat, vt nec sperare, nec expectare possent meliora. Vt in Matthęo vbi CHRISTVS ait: Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum: Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus: Tradet enim vos in concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides & ad Reges ducemini propter me in testimonium illis & gentibus: & quę sequuntur. Et in Ioanne: Si me persecuti sunt, & vos persequetur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Et: Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret. Sed de mũdo nõ estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Et post: Et venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me. Ex quibus omnibus clarè videtur, Apostolos persecutionibus & Cruci fuisse deputatos. Quare peculiari opus habebant consolatione. Et quę melior consolatio, qua quod omnibus & singulis loquitur: Beati pauperes, quia vestrum est regnum cœlorum? Hac tali acclamatione atque apostrophe opus habebant, inquam, Martyres futuri: quomodo enim alias paupertatem, anxietatem, famem, solicitudinem, pericula, persecutiones, ipsamque mortem tolerauissent? Hac consolatione perdurabant, cogitantes Christi verba: Beati pauperes quia vestrum est regnum Dei. Pro paupertate, nimirum, regnum Dei: pro lachrymis, gaudium: pro fame, plenam saturitatem: pro persecutione, abundantem in cœlis remunerationẽ promittentis. Hac ergo ratione Euangeliũ hoc in festis Martyrũ legimus, vt nõ solùm quid quãtúmue passi sint, verumetiam quia via omnia aduersa, tribulationes, mortemque deuicerint, cognoscamus. Alioqui nobis admodum parùm adferret gaudij, quin etiam territaret ac pusillanimes faceret, nihil præter passiones & afflictiones in S. Dei Martyribus considerantes. Sed quam in passionibus consolationem, quam deuicta aduersitate mercedis coronam repositam habuerint aduertentes, animosiores reddimur, vt facilius adducamur & ipsi promptiore æquanimitate perferre, si quid erga nos vt aduersus discipulos Martyresque Christi molitus est mundus tentauerit.

Matth. 10

Ioan. 15.

Ioan. 16.

Matth. 6.

tauerit. Eadem hac ratione hodie Euangelica isthæc lectio de Bonifacio legitur. De Bonifacio nostro, inquam, hoc Euangelium in specie propomtur, vti in quo omnia illa Christi verba concurrant, & cuius exemplo eadem nobis maximè inculcare deceat. Si enim Bonifacius coniunctior nobis aliquanto est cæteris, eius nos diligentius considerare exemplum cæteris æquum est. Quem enim filius rectiùs patre imitatur, & quid præter Bonifacium patres nostros secundò per Euangelium Christo genuit? Non est, quod huius nos patris pudeat. Nostra ille coram Deo atque hominibus gloria est. Nostrum erit cauere, ne illum nostri in extremo iudicio pudeat. Proinde non possum non aliquid sed succinctè hac de festiuitate dicere. Vitæ igitur Bonifacij historiam, in exhortationem contraham, ita tamen ne consuetam materiam præteream, magis verò conferem. Equidem minimè inconuenienter hoc fieri arbitror, multò verò magis pijs profuturum ità collata, spero. Ac principio me præsens festiuitas, hic honori Bonifacij nostri celebrata, nostri (inquam, quod aliquando Archiepiscopus Moguntinus, imò primus post Apostolos Germaniã ab omnis generis erroribus atque impietate, quam per hæreticos impiosq; antesignanos in eam disperserat Satan, vindicauerit, inque fidem verumque cultum reduxerat, vnde & Germanorum Apostolus dicitur) admonet sermonis hesterni, maximè verò verborum quorundam quæ ex Ambrosio diuitibus seculi huius loquente, adduxeram. Bonum est vt iam quiescatis, & à flagitijs feriantes, reuereamini domini potestatem: & quæ sequuntur. His inquam optimus Ambro. Tom. 4. Cap. 16. ille Ambrosius diuites olim exhortabatur. Iã verò in ipso Ambrosio Bonifacium nostrum mihi videre videor: idẽ enim huic quod illi officiorum genus incubuit, tum quod errantibus suo tempore non minus Ambrosio acclamauerit constat. Vtrique licuit cum Paulo dicere: Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annunciarem vobis omne consilium DEI. Et quod alibi idem Apostolus ait: Ipsi scitis fratres introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit. His alijsque similibus verbis Germanos, nos maximè Moguntinos, affari Bonifacius Acto. 20. 1. Tes. 2.

Serm. de tẽpore. 47.

cius potuit. Sanè si aures haberemus eiusmodi rebus intentos, etiamnum sic nos affari intelligeremus. Verè enim Augustinus loquens ait: Solennitates Martyrũ exhortationes sunt Martyriorum, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Agitè ergo & hanc festiuitatem vt seueram exhortationem susc ipiamus, quam ipsi nobis exemplo vitæ mortisque tanti huius viri inculcemus. Nullo enim modo, quasi de Bonifacio nostro actum sit, mentem subibit cogitatio. Venit nanque illius apud Deum etiamnum, suoque quod post se reliquit exemplo prædicat: & quicquid vspiam Christianum priusquàm persecit, idem nunc quoque (si attendere libet) & linguam & virtutem efficacem habet ad persuadendum. In Genesis enim historia refertur occisi & mortui Abel ad Dominum clamasse sanguinem, nemo licet præter eum ad quem hic clamabat sanguis, audiret. Homines non audiebant, parùm attendentes, imò nec cogitantes hunc fusum mortuumque (vt ita dicam) sanguinem, coram Deo & viuere & clamare. Quando enim Cain, hoc credens aut audiens, præ clamore illo penitus non contabuit, cum ipsius effusi se reum sanguinis nouit? Tum verò alij hoc credentes, certam inde spem virtutemque conceperunt patienter impiorum persecutiones perferentes. Sed, vt dixi, præter Deum, nemo hunc clamorem audit: propterea nec fratricida contabuit, nec pij hinc consolati sunt, quousque ipse Deum Cain alloquitur, dicens:

Gene. 4.

Quid feci sti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. His tandem verbis Cain conterritus ita planè vagis incertisque oberraret sedibus, nusquam quietus, aut tutus latitaret: nobis contra etiamnum confirmatam mentem addit, minimè de pijs actum esse, etiamsi trucidantur & pereunt. Ita & hic nobis cogitandum. Ipsum quidem Bonifacium corporeis iam non auribus audimus docentem, vt qui octingentis annis ampliùs defunctus est, Nihilominus tamen ipsius nos hortatur vitæ exemplum, quo præcesserit: mors, constantia quam in passione ostendit: sanguinis, quam pro Christi nomine effudit, cineres, quos hic terris reliquit. Quibus verò vocibus, eũ si viueret,

ret, acclamaturum esse arbitraris? Haud dubiè ijsdē quibus Paulus olim partim Galathas, partim adorsus est Philippenses. O insensati Galathæ quis vos fascinauit non obedire veritati? Et: Charissimi mei, sicut semper obedistis non in præsentia mei tantùm, sed multò magis nūc in absentia mea cum metu & tremore vestram salutem operamini. His inquam, verbis nobis, si viueret loqueretur Bonifacius: sed &: si attendimus loquituri. O insensati quis vos fascinauit non obedire Euangelio quod prædicauimus vobis: Currebatis bene, quis vos impediuit, veritati non obedire? Imitatores mei estote, fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. O homines stultos, qui spiritu inceperunt, carne consummant. O inanem & fallacem, cui innitimini confidentiam. Quàm (dolor) miserè illaqueantur. De tabernaculis impiorum recedant, qui possunt, ne simul comprehendantur. Fugite Babylonem populeus, ne peccatis eius communicetis. Quę sit insania cogitate, in incertò sperare, vbi mortis est periculum. Et quis ea quæ sub Sole sunt omnia, aurum, voluptates, diuitias, gaudia, incerta & vana esse non videt? Quo momento pereunt? Quàm multò pluris estis Christiani, quam vt his vosmet oblectimini? Longè præstantioribus vos rebus formauit Deus, quàm vt creaturæ vos subdatis seruituti. Animas vobis suæ capaces gratiæ indidit, ad æternam vocauit fœlicitatem, nullum hic vos habere locum manentem admonet, sempiternam verò promittit patriam, domum non manufactam in cœlestibus, vbi diligentibus se ea præparauit bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Agitè ergo vel Gentium vos exempla moueant. Nam & Seneca nullo magna huius mundi desiderio teners se apertè testatur, in solam immortalitatem anhelans. Et idem in Tullio de Catone legi potest. Plato etiam tam exquisitis verbis tam propriè suis animæ immortalitatem coloribus depinxit, vt legens ea Theombrotus quidam, immortalitatis, quam ita depictam me-

Phil.2. Gal.3. Galat.3. Phil.3. Isa.64. 1.Cor.2.

ditabatur, consequendæ desiderio, altissima sese præcipitem daret turre. Et hi quidem Gentiles fuere: vobis autem, Bonifacius ait, clarius lumen lucet, hanc veritatem non somnijs vanisue opinionibus concepistis, sed diuino ore didicistis: tot præeuntia sanctorum exempla cernitis sequentes, qui omnes ita in religionis negotio confirmati fuerunt, vt sponte mortem ipsi sua subire non dubitarint. Quis inquit Paulus, liberabit me de corpore mortis huius? Et: Cupio dissolui & esse cum Christo. Et iterum: Scimus quoniam si terrestris Domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, domum non manufactã, sed æternam in cœlis. Hæc inquam, didicistis, & à nobis accepistis: hæc in vita ac morte nostra consideratis. Et qui fit, vt alio vos conuertatis, incerta, neglectis certis & veris, sectamini, nihilominus egregria vobis de Deo pollicemini? Recte quidem & vere Dei misericordia magna prædicatur: at certa est & promissio ipsius qua vnicuique secundum opera sua mercedem pollicetur: iustis quidem, vitam: iniquis pœnam: nec Diuina Miseratio vnquam mendacij arguet dicentem: Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Vos ipsi iudicate, qua fronte mercenarius mercedem sperabit splendidam, qui toto die, cæteris laborantibus, ipse stertit, imò sæpè aliorum labores perdit? Qua opera insudatis, si quid alicubi lucelli sperabitis, cogitate. Nullis hic laboribus parcitis, nulla pericula refugitis, corpus animamque, vt comprehendere liceat, impenditis. Quin ergo in sempiternis consequendis tam vos nihil vel facere, vel pati, pudeat. Certissimã immineremortem, imò verò iam iam in vos irruere, perinde ac si omni momento suffocare ac persternere illi primùm sit, perpendite. Væ væ præuaricatoribus omnibus quos horribili mors tyrannide inuadet, nihil præter lachrymas, gemitus, sempiternique ignis cruciatus pauoresque adferens. Ecce hic remunerator erit: Hic falsæ confidentiæ vestrę ac cupiditati finem imponet, leuitatem vel constãtiæ franget, pigritiam inertem somnolentiamque excutiet, & demum cum ad Deum clamare volueritis, ipse ora occluduet, & quod de Nerone legitur, Sero dicet vos sapere. Hęc diligen-

Roma. 7.
Phil. 7.
2. Cor. 5.

gētissimis cogitate animis ait Bonifaci⁹. Mei imitatores 2.Cor.11.
estote fratres, sicut & ego Christi. Ecce talibus nos Bonifacius affatur, non oris plectio, sed vitę, cōuersationis, mortisq; exemplo. Id quod meo quidem iudicio intelligētibus sufficeret. Si, inquit Christ⁹, in Tyro & Sidone Mat.11.
factæ essēt virtutes, quę factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamē dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die Iudicij quā vobis. Et iterum: Viri, inquit, Niniuitæ surgent in iudicio Mat.12.
cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiā egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quā Ionas hic. Regina austri surget in iudicio cum generatione ista & condemnabit eam, quia venit à finibus terrę audire Sapientiam Salomonis, Et ecce plus quam Salomon hic. Sic ergo cogitemus, quid per Bonifaciū concesserit nobis Deus, qua ratione etiānum eius nos exemplo & vita admoneat & hortetur. Magnas Deus per ipsum virtuets operatus est, ingentē variamq; in vita eius fortitudinem cōsideramus, Dei cooperationem & auxilium in doctrina illius atq; morte colligimus. Qua de re pauca libet cōmemorare. Nā & iusti Naboth mors, cuius heri memini, huic meo instituto seruiet. Hic igitur in Regis sui indignationē incurrēs, quòd vineā hęreditariā illi recusaret, quam legibus vetātibus alienare nō posset, occiditur. Quid aūt Bonifaciū nostrū, omnesq; Ecclsiasticos ac fidos pastores iā inde ab Apostolorū temporibus in tantū mundi deiecit odiū, nisi quod magna semper Christi hęreditati tuędæ institerūt sedulitate? Hāc nullo
modo eripi sibi volebant. Ad Christū loquens pater ait: Psal.2.
Postula à me & dabo tibi Gentes hæreditatē tuā, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Hoc iam mundi Princeps inuidet, sibi hanc vendicans hæreditatem: coque & Iudæos, & Gentes, & hæreticos nunc hos nūc illos concitat, tantùm vt Christo, quam acquisiuit, hæreditas subtrahatur. Iudęi quidem eam Synagogę suæ vēdicabant, Donatus in Africam trahebat, Gētes omnino respuebant Christū. His sese opponebāt Apostoli ac discipuli Christi, post hos alij Episcopi & pastores innumeri, quorū in numero hic noster Bonifaci⁹ est. Hęc inuidię

odijque in mundo fuerunt semina. Vineam suam Naboth derelinquere noluit, propterea occumbere eum necesse est. Apostoli Apostolicique alij viri Christi hæreditatem Diabolo permittere nolebant, ideoque persequuti sunt. Qua via vero Achab adoritur Naboth? Non aperto Marte, sed insidias Iesabel, hæc non veritatem rei proponit, vineæ hæreditariæ negocium agi subdolè silet. Mendacio pium Naboth in mortem tradit, subornat qui Naboth in Deum atque Regem blasphemum scilicet, falsò accusant. Hæc mortis innocentis causa est. Et quid, nisi hoc ipsum, in Bonifacio consideramus. Imò non in Bonifacio tantùm, sed in omnibus etiam Apostolicis viris, verisque Ecclesiæ doctoribus, quos potestatem dæmoniorum habere nouit. Nunquam prodire rei veritatem permisit, sed semper aut mendacijs eos adorsus est, vt in Stephano & Paulo, aut peruicacia, vt de Iacobo & Petro legimus. Eodem planè modo Bonifacium nostrum aggressus est. Ipsos filios pij patris quos ad fidem conuertisset, & quos in fide confirmãdos accessisset, concitauit, vt eũ trucidarẽt, qui suę saluti seruiebat, & vt summatim dicam: impatiens Achab est consortis Naboth, nisi per omnia impijs placitis respondentis. Sic Satan pios Ecclesiastas, repugnantes regno suo ferre nequit. Sed quid Achab profuit, iustum trucidasse: Quid iustus, sit licet mortuus, deperdidit? Vt nihil illi profuit, sic hic nihil incommodi sentijt. Quæsiuit Achab (alienis inhians) vineam, sed mox proprij sanguinis aspersione dedicandam: inuasit. Trucidatur Naboth, nomine æterno in Ecclesia celebris. Eadẽ Martyris Bonifacij nostri conditio est. Quid ergo mors illi obfuit? Nihil omnino: Quin magis profuit. Contrà, quid impios viuit, propriæ peruicaciæ malitiam aduersus pios excercere permissos? Nihil planè. Verùm & plurimũ nocuit. Ecce historiarũ cõuenientiam. Vtrobique Deum in sanctis suis mirabilem esse cognoscimus. Non hac ratione suos mundus tractat: sed quos euehere vult, his omnia largitur, ad cœlũ vsq; extollit: sed sæpe infœlix sequitur exitus, nihil habet in omnibus firmum aut stabile. Alia Deo cum suis agendi ratio est. Non ergo timeat pius, si quãdo mundi huius persecutionibus premitur. In Deum respiciat, eiusque promissis

missis instet. Contrà, si cui mundi blanditur fortuna, nihil efferatur, ne superbiat: finem potiùs respiciat, exempla omnia cogitet. Quomodo Deus superbis resistat, humilibus autem gratiam præstat. Hæc igitur hic considerãda sunt. Id vt faciam⁹, sua Christus gratia efficiat, Amẽ.

SERMO SEPTIMVS

De Ecclesiæ cantionibus, quando Bonifacij festum in octauam Ascensionis Christi incidit.

FEstiuitas isthæc præsens, honorifica memoria Bonifacij nostri, primi Moguntini Archiepiscopi, vnde meritò noster dicitur, Quanquam tota Germania Apostolum eum suũ patremq; dicere posset, quãdo nemo inde ab Apostolorum tẽporibus, in Germania effecit maiora, Apostolatum ac prædicandi munus nemo diligentius, maioriq́ue fide in his partibus exequutus est, illo. Id quod non nos modò, verumetiam exteræ & norunt & cõfitentur nationes, huius, inquam, festa dies ac memoria pulchrè in octauam & Ascensionem Domini incidit. Recta enim in ipsam Ascensionem respicit, verosq́ue fructus inde defluentes ostendit. Qui sic quæris? Ecce, Christus superiùs dixerat: Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos, Si autem abiero mittam eũ ad vos. Sed quomodo in discipulos spiritum sanctum miserit, testantibus Apostolorum Actis, nouimus, nempe in linguis similitudinem ignis habentibus, ita planè, vt in omni lingua Euãgelium Christi prædicare nouissent. Hæc visibilis illius & apertæ, spiritus sancti missionis causarum præcipua est, Id quod Ioel significanter exprimit qui ait: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Sed quo fine? Et prophetabunt, inquit, filij vestri & filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt: & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed super seruos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum, & dabo prodigia in cœlo. Planiùs verò adhuc Paulus, cum ait: Ascendens CHRISTVS in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et quæ dona? Et ipse quidem, idem consequenter ait, dedit quosdam Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores

Ioan. 16.

Act. 2.

Ioel. 3.

Ephe. 4.

& doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij in ædificationem Corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Ibidem. Ecce Paulum præcipuũ fructum asserentem, quod Christus ascendens spiritum sanctum misit, per ipsum Ecclesiæ suæ ordinans Apostolos & ministros, Idque in eũ finẽ vt crescamus in virum perfectũ in mensuram ætatis plenitudinis Christi, & non simus porrò paruuli, fluctuantes, & circũferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Idque nõ vno aliquo tempore, sed semper quoad occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei: Dum enim vel vnus aliquis in Mundo est, aut aliquando venturus est, qui in mysticum Christi Corpus coniungendus est: hæc non cessabit spiritus sancti operatio. Si non supersunt Apostoli ac verbi ministri, facilè Deus vt sint excitabit: donec corpus plenum fiat. Est autem notatu dignum, Paulum non modò Apostolos, sed & Euangelistas, pastores, & doctores recensere. Alioqui enim hanc spiritus sancti virtutem, de duodecim illis Apostolis tantùm, ac vnà cum ipsis præterijsse suspicaremur. Qua ratione ipse etiam Paulus secluderetur, qui in duodecim illorũ numero nõ fuit. Fuerunt enim duodecim ipso excepto. Tum ipsum nõ in terra Christus, sed è cœlo vocatũ

1.Cor.15 Apostolum constituit. Nã & ipse de se testatur, nõ quidẽ dignum se Apostoli nomine, sed tamen plus cæteris laborasse omnibus. Obijciebatur quidem illi, quasi verus Apostolus nõ esset, quod Christo in carne hic ambulante nõ adfuerit. Sed quid ad hęc respõdit? An nõ Apostolus sum? An nõ vidi Dominum Iesum Christũ?

1.Cor.11. An non vos Apostolatus mei sigillum? Et iterum: Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia. Vnde alibi etiam dicit:

2.Cor.3. Nunquid egemus commẽdatitijs epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus. Dum enim superestis, & in fide persistitis, nullo alio, ad Apostolatus mei demonstrationem testimonio, opus habeo. His alijsque Apostoli verbis clarè vtique innuitur dona

quæ

quæ Christus postquam ascendisset, demisit. Apostolos, & doctores, & pastores, & Euangelij prædicatores esse: non aũt solos illos duodecim, sed omnes, quotquot ab initio corpus Christi ædificarunt, ac deinde ædificatum sartumque tectumq; conseruare studuerunt. Nemo quidé Apostolis, prima fundamenta locandi, post Christum, potestatem fuisse datam negauerit. Solis enim illis hoc datum fuit priuilegium. Qui enim hos secuti sunt, Apostolos, pastores, doctoresq; vocati sunt quidem, sed nouum aliquod fundamentum ponere potestatem non habuerunt, sed potiùs superædificare supra fundamentum iam iactum. Nemo, inquit Paulus, potest aliud fundamentum ponere, præter id quod positum est, fundamentum Apostolorum & Prophetarum Christum Iesum. Qua quidem inuicem diuiduntur discretione. Ipsi fundamentum posuerunt, vnde etiam fundamenta dicuntur: alij verò superædificant, nihilo tamen minus, & ipsi significantur his verbis: Ascendẽs Christus in altũ, captiuam duxit captiuitatẽ, dedit dona hoibus. Alios Apostolos, prophetas alios. Ecce, fratres, hoc modo ad Bonifaciũ nostrum conuertimur. Sic & Bonifacius nos Pauli verborum admonet: Ascendẽs in altum, captiuã duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Alios quidem dedit Apostolos alios Prophetas, alios Euangelistas. Quorum sanè Bonifacius in numero censendus est, quem Christus in corporis sui ædificationem misit. Proinde literis commendatitijs, dum Germania, maximè verò Rheni tractus, Saxonia, Turingia Frisia, inque primis Moguntia hæc, in fide perstant, non eget. Hæ enim partes ipsius prædicandi muneris testimonium sunt. Ille, ille est, qui, quod Paulus in Achaia, Corintho, Epheso, ac alijs nationibus, nobis Germanis præstitit. Huius nunc festiuitatẽ annuam celebramus. Idq; non immeritò. Si enim per eum patres nostri ad fidei in Deum ac Christum agnitionem peruenerunt, meritò illius non in sempiternum celebramus memoriam filij. Rectè ergo & ipse ego de ipso, sermone loquar pleniore. Sed quia raucus sum, & crastina bis mihi concionandum est die, propinquos terminos dicendi non excedam, tantùm quid de eo Ecclesia canat indicans. Id quod hac vice sufficiet, cum Bonifacium nostrum

Apostolica potestas.

Ephe. 5.

Acto. 18.

strum & suis depinget coloribus , & nobis imitandum proponet exemplum. Prima igitur cantio , quæ eius nomine in Ecclesia hodie personuit, ex psalmis desumpta,
Psal.144. hæc est. Sancti tui Domine benedicant tibi, gloriã regni tui dicent. Exultate iusti, in domino , rectos decet collaudatio. Et his quidem verbis, quis Bonifacius fuerit , quã fidem, conuersationem, doctrinæ normam, officiumque habuerit, ostenditur . Id quod totum nostris causa factũ, atque nobis exemplum imitandum etiamnum propositũ est. Non enim ille his eget . Nã quod impiorum non solùm calumnias sustinuit, verumetiam truculentas manus perpessus est, ipsi quidem nihil nocuit. Tum etiam nec quod pij illius celebrant memoriam quicquam illi commodat . Sua enim ipsi laus apud Deum manet . Nostræ verò vtilitati consulitur , cùm illius in Ecclesia exemplũ ad nostram consolationem, spem, eruditionemq; proponitur. Vis igitur vno verbo dicam , quis Bonifacius fuerit? Sanctus fuit, non autem simpliciter sanctus : Nam & hic Mundus sanctos suos habet, falsos nimirum & fictitios. Verùm hic noster Dei sanctus fuit. Sic enim per totum orbem diffusa Ecclesia canit de eo: Sancti tui domine benedicant tibi. Sed quis non videt, quæ vno hoc in verbo lateant mysteria ? Sanctum esse , & Dei sanctum. Certissimum enim est, si quando minus aliquê sanctum colit, ideo id fieri quod nihil in eo mali, plurimùm verò boni in ipso agnoscat. At longè præstantiùs est, Dei sanctum esset. Et quare hoc? Nimirum quod homo tantùm ea videt, qua foris apparet , Deus verò ipsum etiam cor intuetur. Et sæpe vsu venit, vt qui in Mundo habebatur sanctus, tandem rerum exitu alius præter omnium spem & expectationem inuentus sit. Id quod nostro etiam seculo contingere potest : At Deo sanctum esse , & plena laus est. Hic solidam eamque veram meretur laudem, de quo rectè dicitur Sanctus Dei. Et talem quidem Bonifacium fuisse per hoc innuitur , quod de eo canitur . Sancti Tui Domine benedicant tibi . Et hic cuique facilè est videre , quàm longè præfixus sit scopus omnibus, cùm Bonifacij successoribus, tum cæteris etiam Episcopis. Quos vtinam tantùm coram Mundo sanctos reputaremus, id enim exemplum præberet pietatis, etiam si coram

ram Deo, intraq; pectora sua iniqui sint. Sed quæ turba eorum, qui nec Deo nec Mundo sancti sunt? Mentibus impij, vita plus quàm Ethnici. Hi sanè illorum in numerò non sunt, de quibus canitur: Sancti Tui Domine. Non illa Bonifacij consuetudo fuit, de quo rectè dici potest, non modò coram Deo, verumetiam coram Mundo fuisse sanctum, & è diuerso. Cuius rei testimonium ipsi dedère tota ferè Europa, omniumq; historiæ. Sed ipse etiam Deus idem approbat, tot per ipsum viuum, pariter atque mortuum editis signis. Sit ergo hoc dictum de illo psalmistæ verbo Sancti tui domine. Et quid consequenter additur? Benedicant tibi, & gloriam regni tui dicét. Hoc opus, hoc munus omnium, qui verè sancti Dei sunt: vt benedicant, & gloriam regni Dei dicant, prædicent, magnificent. Et hæc tota vitæ Bonifacij nostri historia est. Excepta vitę ipsius pietate, qua ratione cætera respondeant sibi inuicē, ad dicendas laudes Dei, prædicandamque gloriam regni eius intelliges. Ideo enim nunc illac profectus est, ideo etiam discipulorum suorum nunc hos, nunc illos, in alias atq; alias prouincias, ciuitatesque emisit: ideo denique ipsam quoque vitam impendit. Vtique secum nullo non tępore rememorans: Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi. Sed & hic nobis scopum præfixisse longiùs, videmus. Quam paucos inuenias Bonifacios, qui gloriā regni Christi prędicent? Plurimos verò qui mundi regna appetant: Atque vtinam vel in hoc solùm incumberent, vt alios vicarios subrogarent. Sed & inuenias multos, & vbique, qui nec hoc postremùm præstent. Hæc enim & maxima & omniū querela. Nec id mirū. Si enim sancti Dei essent, certissimè sequeretur: gloriam regni tui dicent. Sed quia primum illud vbique deest, sequentia non adesse, an miramur? Sed vbi exemplum Bonifacij? Et quid nobiscum cogitamus cantantes hęc: Gloriā regni tui dicent? Quin & stantibus comis exhorrescerent animi, si quid in Ecclesia & legimus & psallimus cogitauerimus, quantò magis si vitam nostram ad veterum exempla contulerimus. Eia verò patres, quæ nostræ professionis sit conditio consideremus. Si enim duo hæc in nobis inuenta nō fue Psal. 144.

rint, væ nobis æternum erit, si, inquam, nec sancti Dei fuerimus, nec Christi regni gloriâ prædicauerimus, perijmus. Atq; hæc de Missæ Introitu dicta sint. Post hęc
Prou. 15. verò pulcherrima lectio è Prouerbijs Salomonis desumpta, Epistolæ loco legitur. Idque ideo vt Bonifacij nobis exemplum expressiùs proponatur. Labia sapientum ornat scientiam: & quæ sequuntur, quæ Epistolæ loco lecta, non quidem Bonifacij nomen prę se ferunt, sed Bonifacium dicentes propietates, & quæ Bonifacium efficiunt, in se comprehendunt. Bonifa-
Bonifaci⁹ cius enim dicitur, bonum faciens, aut certè bonam faciem habens, quæ duo in idem ferè recidunt, bona enim faciens, bonam famam omniumque in se oculos conuersos habet. Nomine, videlicet, ab ipsa vita deducto. Et quæ melior, splendidior, fulgentiorque haberi poterit facies, nisi cuius, mens, lingua, & opera ad pietatem directa sunt. Et hæc tria hac in lectione præcipuè innuuntur. Lingua quidem iusti principem locum obtinet, nec frustra, magna enim eius vtilitas est. Veruntamen consequenter additum est: vota iustorum esse placabilia, & sequentem iustitiam diligi à Deo. Et quare hæc omnia vna hac die leguntur? Nimirum talem fuisse Bonifacium agnoscamus, qui trium harum, linguæ, cordis, operisque laudem sit meritus. Maximè verò linguæ, qua plurimum nobis profuit, hac nobis præcipuè seruiuit: reliqua tamen duo otiosa non fuerunt. Vbi enim cor ipsum pium est, atque vita sancta est, illic lmguæ organum efficacius est: his verò non respondentibus linguæ inuerso ordine malè procedunt omnia. Si vitium vita habet, infirma lingua redditur, frigida sunt omnia, quæ loquitur. At corde ipso deprauato, nil nisi perniciem, errores, discordias, seductionesque lingua disseminat. At Bonifacius nobis proponitur, tria hæc simul in se complectens, vnde etiam in Germania vberiorem fructum messuit, quàm vllus alius, siue præcedentia, siue sequentia, ipsum tempora respexeris. Et hæc ipsa Epistola est. Quod optimum est, restat: ipsum nimirum Euangelium. Et quis illud paucis indicare potest? Quot enim verba complectitur, tot horas requirit, iusta si quis omnia interpretatione enu-

ne enucleare voluerit, qualis vbique Ioannes est copiosiùs simul atque sublimius. Nec hac vice totam Euangelij huius lectionem interpretari conabor, iusta & suprà adducta ratione. Vnum hoc solùm veluti digito monstrabo, hic rursùm Bonifacium nostrum suis depingi coloribus, maximè tribus illis partibus. Principiò quis fuerit. Secundò, vnde nominis bonam famam adeptus sit. Tertiò quid vtrobique cum hic, tum in sempiternum illi profuerit. Et hęc tria eiusmodi sunt, vt in ea totam vitæ ipsius historiam liceat contrahere. Quid enim in ea aliud consideratur, nisi palmitem eum in vite vera fuisse fructiferum, qui multorum & bonorum fructuum fœcundus, quem multis persecutionibus Agricola putauit. Sic enim Christus ait: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnẽ qui fert fructum purgabit eum: vt fructum plus adferat. Et vnde hoc illi? Gratia DEI. Id quod CHRISTVS innuit: primo quod ait: Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Non ergo palmes solùm, verumetiam ipsa vitis, vnde palmiti fœcunditas venit respicienda, est. Hæc fœcundos facit. Neque enim Bonifacius vnquam eam fructuum vbertatem ex se dedisset, nisi viuus in Christo vite palmes permansisset. Quæris quid illi commodi, nobisque vtilitatis inde euenerit? Exemplum Bonifacij respice; nimirùm, diligere iustitiam. Manete in me, & ego in vobis, ait CHRITVS. An non hoc egregium quid est? Adhuc amplius quid requiris? Audi: Si in me manseritis, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Quid his optabilius? Hic, nimirum obtinere quod velimus, & in æternum cum Christo manere. Huic rei commodat pietas, & exempli, Bonifacij imitatio. Ille quidem cùm in fide, tum in vita isthæc sentijt, & nos si voluerimus sequi eadem sentiemus.

Ioan. 15.

Ioan. vt supra.

Agitè ergo ne hæc frustra, nobis dicta sint caueamus. Gratia Dei nobiscum.

SERMO

SERMO OCTAVVS

De Bonifacio, vbi eius festiuitas in quartam, post Pentecosten, feriam inciderit.

ORiginem, causamq; tam celebris, non solùm in hac vrbe, verumetiam in tota diœcesi Moguntina, memoriæ qua festam diem agentes, D. Bonifacii vitam, mortemque cum sempiterna nominis celebratione prædicamus, longè hic sermone referre, non ita operepretium arbitror. Exteris fortè hic necessarius fuerit labor, vt qui nunquàm huius viri famam audierunt. Nobis verò non item, vt quibus quæ de hoc viro dici possint omnia constant. Hic Moguntiæ primus Archiepiscopus fuit, hunc locum parentesq; præ cæteris nostros vitæ suæ hospitium, familiaresq; præ cæteris omnibus eligens. Hic, inquam, Bonifacius noster, triginta & sex annis Euangelij verbum magna cum grauitate atq; constantia prædicauit. Hic, inquam, verbis factis, vita, conuersatione, passione, denique morte, fœcundum in vera vite Christo palmitem se declarauit. Hic, inquam, in huius ditionis circo, mortale etiam corpus suum deposuit, vt in perpetuum nobiscum haberemus, quo ad pietatis traheremur studium. Hoc alijsque nonnullis in locis circa confinia, plurima illius quæ in ipso fuit, Spiritus diuinique amoris superstant iudicia. Et quid multis? Bonifacium & nomine & re fuisse nouimus. Non enim post Apostolos eorumque discipulos vel vnum aliquem facilè inuenias, qui Germaniæ in fidei salutisq; negotio plus illo commodauerit, maximè huic vrbi. Nec cui, nominis huius Bonifacij ius concedat videas vspiam. Atque ô tales fuissent Episcopi omnes, qui post ipsum secuti sunt. Quod si esset, iam certè Germaniam nostram, reliquarum nationum in veræ Religionis, pietatisque negotio videremus principem. Sed vtcunque successores eius negligentes fuerint, suo tamen ipse ingenti sudore eò res perduxit, vt mortuo etiam se longo tempore veræ Ecclesiæ Christi genuinus Dei cultus in Germania perduraverit, quousque tandem postremis his temporibus, negligentia pastorũ, pietas, Religioque labefactata penè cõcidit. Eò igitur magis talis nobis necessarius

Ioan. 15.

cessarius est Bonifacius, qui labentem erigat Ecclesiam: Quin si (vt æquum est) omnes inniteremur, adhuc tamen magna cum difficultate Christianam Religionem in eam formam restitueremus, in quam Bonifacius vnus olim restituit. Quanquam nimis hæc serò cogitamus. Neque enim, quò quò versum me conuertam, vel vnum inuenio, qui tantæ moli manum admoueat: Imò verò inter omnes Episcopos faciliùs tres inuenias, qui quod reliquum est veri cultus (quanquàm & hoc perexiguum est) diripere malint, quàm qui instaurare velit, vnum: cum tamen omnes à pijs grauissimè admoneantur officij sui, ab alijs verò infinitis extremisq; calumnijs, infensissimè pro sua negligentia impetantur, & insectentur. At quid nobis in tanta prælatorum inertia faciendum est? An fortè otio, torpore, & diligentiã curamq; omnen timoris Dei atque Religionis seponere, dum illi expergiscantur? Nullo modo. Longior enim fortasse illius somni mora protraheretur, vti iam antè (dolor) nimis diu, dormitauêre. Et quid, si iam dudũ diuina in eos conscripta sit sententia, quosdam eorum nunquàm experrecturos esse? An eorum causa nobis ipsis impedimento esse, damnoque nosmet afficere debemus? Minimè. Quin agitè potiùs, suæ quisq; curam gerat animæ. Si nouus quispiam Bonifacius dari nobis non debet, qui collapsę religioni auxilietur, in antiquum illum respiciamus: huius, his temporibus, vita, nobis sit ad omnem pietatem incitamentum. Hoc meo iudicio, consiliũ erit & saluberrimum & præsentissimum. Idq; nobis cùm vtile, tum honestum erit, nimirum si eum secuti fuerimus, cuius honorificam memoriam celebramus. Eam ob causam fusiùs porrò de ipso mihi dicendum est. Principiò igitur hæc Bonifacij nostri festiuitas, commodè hoc anno in ipsam Ascensionis Christi octauam incidit. Cum enim hoc tempore gratis mentibus prædicamus, quid missus spiritus sanctus, in credẽtium cordibus operatus sit: cogitaremus fortè, semel hoc ipsum Apostolorum peregisse temporibus, postea verò cœlum, vndè descenderat, repetijsse: verùm hæc vita Bonifacij testatur, suo etiam tempore efficacè fuisse Spiritum S. ita apertè, eaque virtute, vt eam vitæ seriem perle-

perlegens, fateri cogatur: fuisse eum semper in Ecclesia & nō modò per Christi discipulos, verūetiam per horū successores operari eiusce modi planè opera, quę primis illis credētibus adfuisse Lucas cōmemorat. Idquod hodierna Epistola docebo. Sic ergo Epistolæ loco lectū est hodie. Per manus Apostolorū fiebant signa & prodigia magna in populo. His verbis partim colligimus, quā spiritus sanct⁹ per Apostolos Ecclesiā instituerit, & quis ei⁹ ordo fuerit, quæ vita & administratio in ea approbata sit. Huc, etiā quod Lucas prius cōmemorauit, pertinet: Erāt, inquit perseuerātes in doctrina Apostolorum, & cōmunicatione fractionis panis & orationibus, & quæ ad finem vsque illius capituli sequūtur. Et iterum, Multitudinis autem credentium erat cor vnū & anima vna. His tribus locis quasi tota series & conditio nascentis Ecclesię exprimitur. Hic ordo erat. Principio Apostoli virtute magna reddebant testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri. Secundò non solum per manus, verumetiam per vmbram Apostolorum fiebant signa & prodigia magna in populo. Tertiò ita Iudæi sibi præter alios timebāt, vt omniū animos occuparet timor. Quartò eam vitæ rationē sequebantur inter medios hostes, & omnibus probarentur. Quinto, numerus ipsorum quotidie magis magisq; crescebat. Sextò hoc quotidianum ipsorum exercitium erat in Apostolorum doctrina perseuerare, fractionem panis celebrare, & quod reliquum erat tempus orationibus impendere. Et denique ea omnes amicitia coniungebantur vt nullū iniqua in paupertate relinquerent, imò quod maius est, omnes possessiones suas conferrent in commune. Hic ordo primitiuę Ecclesiæ fuit, hæc spiritus dispositio. Et quomodo cōmodiùs tantæ molis negotium exordiri potuisset? Quid hac congregatione beatius, quid splendidius, in qua omnes eam viuendi sequuntur normam? Quod si Bonifacij vitam intueri liber, inueniemus spiritū sanctum mirabilem omnium horum in eo artificem, eaq; omnia ipsum in Germania præsertim in his confinijs præstitisse. Refert enim ipsi⁹ vitæ historia, quāto zelo prędicationis munere institerit. Nō enim vt alij voluptatibus deditus fuit, aut inerti otio torpuit, aut prædicādi laborē in alios deter-

Acto. 3.

Acto. 2.

Acto. 4.

deterſit. Secundò magna per eum Spiritus ſanctus effecit miracula, vnde maiorẽ inter infideles fidem cõſecutus eſt. Tertiò, ea in arguẽdo vtebatur ſeueritate, vt impijs quoque reuerendus eſſet. Quartò eam vitæ rationem inijt, quam nemo rectè argueret. Quintò non potuit ſibi temperare, nec quiuit, donec quotidiè aliquos ad fidem reduceret. Atque hac parte ita fœlix erat, vt ſuo tempore ſe gubernatore Religio Chriſtiana mirificè in Germania vires ſumeret. Tum totus in hoc incubuit, vt verbum Dei, Sacramenta, obſecrationisque feruor, iuſto vſu procederet. Poſtremò, eam ipſam etiam bonorum communicationem Priorum inducere ſtuduit, quod cùm non potuit apud omnes, apud eos tamen qui in ſuam diſciplinam ſe dederant præ alijs effecit, vt huius etiam ex primiuitiua Eccleſia veſtigium in Germania relinqueret, Hoc modo Deus per Bonifacium vetera prodigia renouauit, primamque credentium fidem, pietatem, ardorem, ſpiritum, deuotionemq; lucere voluit. Si ergo ingentia videntur quæ per Apoſtolos Ieroſolimis effecit Spiritus ſanctus, vtique & digna iudicabis laude, quæ hic apud nos per Diuum Bonifacium operatus eſt. O fœlicem, imò verò auream illis temporibus Moguntiam. Vtinam nos quoque ſub tali militaremus Bonifacio. Ardentibus ergo ô fratres apud Deum inſtate precibus, vt re vera Bonifacios labenti ſuæ Eccleſiæ excitet, qui quod bonum eſt, diligant, doceant, promoueant, faciant. Hic dignus Titulus omnibus, Tales Bonifacios eſſe omnes decuit. Nihil enim Tituli illi præclari ad rem faciunt. Additi quidem nobis ſunt honorifici Tituli, Papæ, Cardinales, Epiſcopi, Præpoſiti, Abbates, Paſtores dicimur. Alij ne contenti his quidem ſunt, ſibique ipſis Apoſtolorum, Euangeliſtarum prædicantium parochorum ſummis imponunt nomina. Sunt etiam qui Petro ſeſe æquales faciant. Tum alij alios ſe Paulos, Eliasque reputant, nec vllus iactantiæ finis eſt. Sed quis omnium eiuſmodi zelum præſtat? Quis eam, quam Bonifacius, Eccleſiam inſtituit? Inuenias qui pulchrè reformaſſe ſe Eccleſiam ſibijpſis applaudant, cum tamen inordinatiſsimè turbarint, deforma-

formarintque. Et quæ gloriatio noſtra: quæ iactantia? Verba ſunt, præterea nihil. At in Bonifacio aperta, & vbique Spiritus diuini nobis ſunt obuia indicia. Id quod oſtendiſſe ſatis mihi videor. Sed, inquis, Eccleſię (quod approbo) plurimum commodauit, audio: nondum tamen quis ipſe ſibi fuerit intelligo. Hoc poſtulo. Rectè, mi Chriſtiane admones. Non enim alijs prodeſſe ſufficit, ſibijpſi vero impedimento eſſe. Paulus ſanè huiuſ-
1.Cor.15. modi homines æri ſonanti & cymbalo tinnienti comparat, quæ alijs quidem cõmodant, ſibi verò nihil emolumenti adferunt, ſigna edit alij, ſeſe verò exedit. Huc ergo quod de ſpiritu ſancto Chriſtus ait, referendũ eſt:
Ioan.15. Ille teſtimonium perhibebit de me, & addit: Et vos teſtimonium perhibebitis. Præter enim teſtimonium ſpiritus S. in nobis, neceſſè eſt, ipſi quoque teſtificemur de nobis, quia Chriſti ſimus. Huc, quod Ioannes, ait, perti-
1. Ioan.5. net: Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in terra: Spiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres vnum ſunt. Secundum literam ſic interpretantur hæc verba, quod ſcilicet, tria ſint, per quæ nos eſſe Chriſti certificamur. Per ſanguinem, quem pro nobis Chriſtus effudit, inq; Sacramento ſuo porrigit: per aquâ, in qua baptizati ſumus: per ſpiritum, quam in baptiſmo cõcepimus. Hic enim genuinus horum verborum ſenſus eſt. Sed neceſſe tamen eſt, per hæc ipſa nos, ſi verè Chriſtiani ſimus, probemus. Per ſpiritum, quidem, vt ſpiritu ambulemus, & non ſecun-
Roma.8. dùm carnem. Tum vt ſpiritu facta carnis mortificemus,
Galat.5. fructus illius doctrina atque moribus exprimamus. Per aquam verò, vt primò omnium peccata noſtra defleamus, & per ſingulas noctes ſtratum noſtrum lachrymis
Pſal.5. rigamus, vt vera pœnitentia præteritorum criminũ immundiciem diluamus. Præterea vt in ſudore vultus noſtri veſcamur pane noſtro, & per exercitij aquam, ſudorem, perq; piam conuerſationem iniqua frangamus deſideria. Poſtremò per aquam deuotionis mentes noſtras in cœleſtium admirationem erigamus. Hoc enim eſt per aquam de conuerſationis Chriſtianæ pietate teſtimoniũ dare. Ad hæc etiam per ſanguinem teſtificandum eſt: vt quacunque hora neceſsitas ita poſtulat pro Chriſti nomine, non modo omnia terrena, ſed ipſam etiam vitam

prompte

promptè relinquamus, nostroque illi sanguine testimonium reddamus. Hoc ipsum triplicatum testimonium in Bonifacio nostro consideramus: nempe, decentissimam spiritualemque vitam, assiduam Pœnitentiam, cóstantemque passionem, hoc est voluntariam pro Christi gloria passionem, expeditamque mortem. Ecce eiusmodi Patrem habuimus. An non ergo illius exemplo, ad virtutis pietatisque imitationem meritò trahimur? Imò verò nunquid pudet, nos omnesque prælati, plebei, Ecclesiastici, seculares rubore suffundimur, qui in omni gradu Patri nostro tam sumus dissimiles? Neque id multa demonstratione eget. Non igitur quod Bonifacij nomen celebramus satis erit, nisi ipsum etiam imitati fuerimus. Non imbelles fœminas puerosq; sequamur, qui fortiter in Theatro conflictantes, laudant quidem & admirantur, ipsi tamen nunquam audent in arenam descendere. Certandum sanè nobis est. Idem ille Spiritus, qui per Bonifacium operatus est, nobis quoque adesse, imploratus, vult. Hæc igitur studiosa breuitate admonere volui. Non est quod expectes, quousque Doctores nostri consentiant, aut Episcopi expergefiant. En tibi Bonifacij exemplum, quod imitatus, nó aliquando aberrabis. Quod si Christianum te esse non licet per sanguinem testificari, tantùm per Spiritum & aquam approba. Id enim maximè necessarium est. Quæ enim sterilibus palmitibus immineat sententia, Euangelica manifestante lectione didicistis. Omnem palmitem in me non ferentem fructum bonum, tollet eum, & in ignem mittet, & ardet. Ponderet hæc sex tantùm dictiones quisquis apud se, quid velint: Tollet eum, mittetur foras, crescet, colligent eum, in ignem mittent, & ardet: &, vt opinor, non fusum esse facilè persenties. Iterum ergo atque iterum Bonifacium sequamur, moneo. Simus Bonifacij, & non Malefacij. Qui enim bona egerunt, ibunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Gratia Dei nobiscum.

Ioan. 15.

Amen.

DE SANCTO ALBANO. EVANGELIVM

Ioannis. 12.

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Amen amen dico vobis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eũ pater meus.

EPISTOLÆ LOCO

Lectio Sapien. 4.

SEnectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona. Consummatus in breui, expleuit tempora multa. Placita enim erant Deo omnia illius: propter hoc properauit eum educere de medio iniquitatum. Populi autem videntes & non intelgentes, nec ponentes in præcordijs talia: quoniam Gratia Dei, & misericordia est in sanctos eius, & respectus super electos illius.

SER-

SERMO PRIMVS.

De Sancto Albano.

Vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra. Gene. 4.

DIui Albani festam diem peculiari quodam gratiarum agendarum modo hodie celebramus, quam ideo (vt æquum est) magis nobis propriam vindicamus, quo nobis præ cæteris S. Martyr viuens moriensque amplius est cognitus. De Nabuchodonosor Rege in Daniele legimus, quod licet impius, tamen in sanctis viris Dei mirabilia vidēs, in hæc verba erumpens clamauerit: Sidrach, Misach, & Abdenago, serui Dei excelsi, viui, egredimini & venite. Statimque egressi sunt Sidrach, Misach, & Abdenago de medio ignis. Deinde posito edicto decreuerit, vt omnis populus, & tribus, & lingua quæcunque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sydrac, Misac, & Abdenago, disperiret, & domus eius vastaretur: quod alius DEVS non esset, qui posit ita saluare. Hoc modo signa atque mirabilia quæ Deus in dilectis suis fecisset per omnem regni sui terram prædicans. Nabuchodonosor Rex (hic edicti tenor) omnibus populis gentibus, & linguis, qui habitant in vniuersa terra, pax vobis multiplicetur: Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius quia magna sunt: & mirabilia eius, quia fortia: & regnum eius regnum sempiternum: & potestas eius in generatione & generationem. Idem fecit & Darius seruato in lacu leonum Daniele. Cuius edicti hæc verba sunt. Darius Rex vniuersis populis, & linguis habitantibus in vniuersa terra: Pax vobis multiplicetur. A me ergo cōstitutum est decretum, vt in vniuerso imperio & regno meo tremiscant & paueant DEVM Danielis. Ipse enim est Deus viuens & æternus in secula, & regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsque in æternum. Ipse liberator atque Saluator, faciens signa & mirabilia in cœlo & in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum. Tales se Nabuchodonosor & Darius Reges penes signa atque prodigia Dei præstitêre. Quod si impij Reges tam diligenti cura

Dani. 3.

Dani. 6.

considerauerunt prædicaueruntq; Dei mirabilia in sanctis suis, quantò magis nos id decet præstare, maximè Deo iam per se ipsum, iam per sanctos suos inter nos, ita magna illa mirabilia cumulat, vt fidenti animæ rectè liceat cũ Dauid dicere: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. In Domino cõfiteatur anima mea, audiant mansueti & lętentur. Et: Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominũ in vita mea, Psallam Deo meo, quàm diu fuero. Sic & Paulus facere consueuit: Vnde omnium Epistolarum suarum exordia cum laude Dei gratiarumq; actione posuit: hoc innuẽs, quod nulli mortaliũ vnquã desit causa prædicandi Deũ, si modo attendere libet. Hoc nunc exemplũ nos quoq; sequamur, atq; cum Paulo initium dicendi sumamus dicentes: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionẽ filiorũ per Iesum Christum, in ipsum. Hæc quemlibet vere piũ decent. At nos peculiari quodã modo. Verè enim nos, nõ vna aliqua, sed multiplici benedictione benedixit nos, imò omni spirituali benedictione. Principiò enim elegit nos, deinde etiam prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum. Tertiò, gratificauit nos in filio suo dilecto. Quartò, redemptionẽ dedit nobis, condonans peccata secundùm diuitias gratiæ suæ. Deniq; ipse quoque filius benedixit nobis in omni dono: cùm verbum suum in doctrinam & cõsolationem: opera, in exemplum: miracula, in confirmationem: corpus, in cibum: sanguinem, in propitiationem: gratiam & spiritum, in auxilium cõtulit nobis, etiam gloriam suam in mercedem aliquando daturus. Et ne quid quod ad plenã salutem facere videri potest intermittat, ecce D. Albanũ aliosq; Martyres dedit, vt hos respicientes spem conçiperemus, ab impietate abstracti, ad iustitiam incitaremur. His enim tribus de causis Martyrum potissimum proponũtur exempla. Necessum igitur erit, aliquanto nos penitius, quàm fortè alij, hanc præsentem festiuitatem consideremus.

Psal. 33.

Psal. 145.

Ephe. 1.

Roma. 15.

Atq;

Atque ideo quidem exordio huius sermonis Dei, ad Cain verbis vsus sum, quæ licet ad Cain fratricidā impijssimum de interfecto Abel dicta sint, nos tamen quasi de D. Albano dicta vsurpemus. Id quod nemo miretur, collationem Albani & iusti Abel audiens. Nam cùm Abel in primis, qui ex filijs Adæ Deo placuerunt, fuit, primus etiam morte iniqua occisus est: figuram & significationem omnium piorum & credentium habuit. Primò igitur ipsam Abel historiam audiamus, deinde singula in Albanum interpretemur. Habet ergo Geneseos liber, electam è paradiso Euam concepisse, filiumq; peperisse, illique nomen indidisse Cain. Arbitrabatur enim ipsum fore, quem Deus promiserat. Propterea ait: Possedi hominem per Deum. Rursum deinde, concepit & peperit Abel. Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain Agricola. Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: Et respexit Dominus ad Abel & ad munera eius: ad Cain autē & ad munera illius non respexit. Iratusq; est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es, & cōcidit facies tua? Nónne si benè egeris, recipies? Sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit. Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Dixitq; Cain ad Abel fratrē suum: Egrediamur foras. Cumq; essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrē suum Abel, & interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respōdit: Nescio. Nūquid custos fratris mei sum ego? Dixitq; ad eū: Quid feci sti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum & suscepit sanguinem fratris tui, de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. Hæc illa Geneseos historia est. Sunt autem in ea quatuor consideranda. Primùm: humanā naturam mox in primis Adæ hæredibus, primaq; propagine diuisam esse in bonum & in malum. Cain malus, Abel bonus erat. Qua re significatum fuit, idem in successione omnium vsq; ad finem euenturum esse. Alterū quod Abel in primis Adę filijs Deo placuerit, & à fratre Gene. 4.

germano præter omne meritum occisus sit : quo significatur pios quoslibet multa ab impijs passuros esse sine causa. Tertium: quod iustum Deus Abel etiam mortuum inultum non relinquit. Quo sanè pie defunctorũ animas in manu Dei esse, nec vllum eos mortis tangere
Sapi.3. tormentum docemur. Visi sunt oculis insipientium mori,& estimata est afflictio eorum exitus. Et ab itinere iusto abierunt in exterminium,& quod à nobis est iter exterminij. Illi autem sunt in pace: Et si coram hominibus tormenta passi sint, spes illorum imortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tanquàm aurum in fornace probauit illos,& quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti,& tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Iudicabũt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescent illi: quoniam donũ & pax est electis eius. Impij atem secundùm quæ cogitauerunt, correptionem habebunt: qui neglexerũt iustum,& à Domino receſſerunt. Hanc ecce Sapiens de Impijs fert sententiam : pijs verò spem adauget vehementer. Quartò considerãdum est, quãquam mortuo Abel solus Cain cum suo semine terram possideat, nouissimè tamen aliud quondã in iusti Abel locum nasci: Quo docemur, licet piorum numerus exiguus sit, esse tamen aliquos pios in cœtu hominum semper. Quæ omnia commodè huic festiuitati conueniunt. Principio ergo primo historiæ D. Albani intuitu mox Cain vnaq; cum illo Abel seſe offerunt. Qui enim Albanum occiderunt, semen impij Cain fuerũt, nõ natura sed imitatione, factorumq; similitudine. Scriptura
Psal.3. enim filios eius dicit, quem imitantur. Vt Iudæi filij dicũtur Satanæ, non geueratione carnis, sed prauæ imitatione voluntatis. Zachęũ verò filium Abrahę Scriptura nuncupat, propter fidei imitationem. Sed & Christiani omnes Israëlitæ vocantur eadem ratione. Tum verò Albanus alter, quidam Abel multis rationibus non absurdè dici potest. Primo, quemadmodum Abel inferior fratre Cain & vilior habebatur, ita etiam Albanus noſter

ster non magnæ alicuius autoritatis fuit. Secundò, vt Abel non ab alienis & ignotis sed à fratre Germano, & qui ipse quoque sacrificaret Deo, ita etiam Albanus nõ ab alienæ fidæi, sed ab Arrianis, qui sibi maiore sanctitate placebant inter Christianos, trucidatus est. Tertiò: Quanquam Abel vilior fratre suo Cain reputaretur, nihilominus tamen ipse, cũ suo sacrificio, Deo magis placuit, fratre suo eiusq; victimis. Eadem & in Albano ratio est. Quartò: quemadmodum nulla alia causa Abel occisus est: nisi quod Deo placeret, ita quoq; Albanus. Quintò: quẽadmodum Abel postquã occisus esset, viuere tamẽ adhuc, à Deo testimonium accepit, ita etiam signa atq; prodigia de Albano, quod Deo viuat, testantur. Sextò, licet primus frater ipsius Abel, impius fuerit Cain, pium tamen postea fratrem Germanũ habuit, nimirũ Seth: ita hic quoq; multi licet primùm in Albano scandalizati sint, postea tamẽ plurimi agnito errore cõuersi sunt, & emendati. His rationibus Albanus noster alter quidam Abel esse potest: ideo potissimum, quod æquè impios atque pios fratres habuit, vt Abel in ipso quondam rerum initio. De vtroq; igitur hanc Dei ad Cain vocẽ interpretari libuit. Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Vtiq; terribilis illa vox est impijs, admodum verò suauis pijs est. Videamus ergo quomodo iam non illa solùm, verumetiã ipsa hæc festiuitas terribilis sit impijs, vt deinde quàm sit pijs Deumq; timentibus grata, discamus. Principio, si historiam attendere licet, proculdubio Albanus, Cain, scilicet, persequutorem suum habuit, sed & etiamnum habet Cain quàm sibi similiores. Id quod, si Cain naturam rectè cõsiderauerimus, facilè videbimus. Primùm enim quod ad externum habitum, satis se pium exhibuit Cain, dum ipsemet, sed sine fide, sacrificat. Et hæc prima impiorum natura siue proprietas est: hypocrisis & ficta religio. Cor eorum longè est à me: testante Domino per Isaiam. Secundò, quamuis iuiquæ mentis malitiam alto corde premeret Cain, tamen leuissima causa permotus, eam prodidit, quod fratri irascitur: ita & impij omnes facillimè sese produnt, & quid mente gerãt, apertum faciunt. Tertiò: licet ab ipso Deo admonetur, ni-

Gene. 4.

Isaiç. 29.

tur,nihil tamen curat.Dixit enim Dominus illi: Quare
Gen. 4. iratus es, & concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies? sin autem malè,statim in foribus peccatum adderit.Sub te erit appetitus eius & tu dominaberis illius. Sed hanc Dei monitionem reiecit Cain.Quartò vehementer ira cõcitatus sanguinaria in fratrem crude ilitate sæuit.Quinto cũ à Domino corriperetur, excusare atq; negare studet,seq;,vt Deo illusurus,defendit.Sextò grauius diuina sententia redargutus, nihil pœnitet, protinusque desperat.Septimò multis peccatis vndique septus,tantùm externa quædam petit,vt profugus tutò habitare posset,ne interficeretur:cætera nihil curat.Postremò plusquàm tutus exorato nempe Deo, abijt à facie Domini,oppidaque & munitiones,quantum potuit,firmat:securus vt habitaret.Hę sanè omnibus impijs cõmunes sunt propietates. Sed quis non videt,in nobis quoque plurimos eius animi inueniri? Sic patres sequimur, vt semper impijs quàm pijs similiores inueniamur. His ergo, quid hodie etiam, loquatur Deus attende. Vbi est Abel frater tuus? Ac si dicat: Hunc vobis ò Moguntini virum in magna perturbatione, misi: nimirum Arrianis tumultuantibus,& cœlum terramq; miscentibus,qui,dum Christum Deum negarunt, in quo summa spei nostræ consistit, tutissimum salutis abstulerunt refugium. Illo, inquam, tempore hunc tibi, Moguntia, dedi. At vbi nunc frater tuus? Quando pro ipso gratias mihi reddidisti? Salutis eum tuæ prædicatorem dedi tibi: & quomodo audis eum? In ipso piæ vitę normam exhibui tibi, quomodo imitaris? In mortem dedi eum,vt ad similem te constantiam perducerem: & quid simile præstas?Has Dei voces & si audiremus in interiore homine, vtique ad preces gratiarumq; actiones commoueremur. Id quod rectè esset hanc festiuitatem celebrasse. Deinde impijs etiam diuina vox loquitur: Quid feciſti?Patres tui occiderũt Sanctos: tu vt, omnino mensura patrũ impleatur,sanctos rides, ac calumnijs laceras. Persequeris odio,qui te meliorum admonent,paterneque præmonent.Eorũ nominibus abuteris: quę ipsi refugerunt diligis.Vbi illi pietatis studia sectati sunt,tu impie pecudumque more viuis.Quid feciſti?Quidq; facis etiam-

etiamnum? Hanc sanè diuinam vocem si altiùs infigeremus menti nostrę, proculdubiò longè alia ratione ad Dei cùm agnitionem, tùm amorem accenderemur. Iam verò adhuc aliud quiddam Deus subdit: nimirum etiamnũ sonare vocem aliquam: Ecce, inquit, vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra. Frater tuus Albanus cuius facta atque exemplum respuis, aduersum te testificatur. Sanguis illius: &, in qua cubat, humus: clamat contra te. Plurima testiũ turba stant contra te. Et quis tanti clamoris futurus sit finis, Cain te exemplum doceat. Quis nostrum hæc intelligens non exhorresceit? Quis ab impietate sua non desistet? Agè hæc Deus in tria verba contracta omnibus pertinacibus hodie loquitur. Quod si nó audierint, si nó attenderint, adhuc alia, & hęc quarta vox restat: Maledicta sit terra in opere tuo: imò, quod terribilius est, maledictus sis super terram, & quod terribilissimum est, vagus & profugus eris super terram, nullusq; apud Deum refugij locus tibi supererit. Ecce quàm sint impijs, Sanctorum festa terrifica. Proinde admoneo, & præmoneo vos, vt prudentiùs agatis, & non temporaneis, in terris, sed spiritualibus in cœlis studeatis, hæc enim sola salutẽ præstãt, sed & pœnitentiá agatis suadeo. Væ enim omnibus, quibus his vocibus Deus loquitur. Gratia Dei nobiscum. Amen.

SERMO SECVNDVS.

QVod Christiano homini, laudandi Deum nulla desit occasio, maximè in diuorum memorijs, quando diuina opera, quæ vel per seipsum Deus vel per sanctos operatus est, proponũtur, superiore sermone tractatũ est. Atque eã ob causam primùm à laude Dei exorditus sum sermonem. Sed quia præter festiuitatem hodie perdulce Euangelium audiuimus, etiam hunc sermonem à laude Dei libet exordiri, Pauli verba repetentis: Benedictus Deus & pater dñi nostri Iesu Christi. Alia verò Paulus hic ratione Deũ benedicit. Principiò Deũ benedicit, qui nos in omni spiritali benedictione benedixerit: hic verò, quod in omni nos tribulatione consolatur, vt possimus & alios cõsolari. Iustæ profectò rationes, cur sine intermissione à nobis benedicatur Deus. Quid enim præstantius à Deo expectare, quàm bene- 2. Cor. 1.

dictionem & consolationem, eamque perfectissimam, possumus? Quod consoletur nos Deus, & quidem perfectissimè, ex Euangelica lectione didicimus. Quatuor enim sunt quæ humanæ imbecillitati grauia videtur. Primum est, sese negare suáq; vitam odisse. Hoc ne grauemur: ecce consolationē Christus adiungit. Qui odit animā suam, inquit, in hoc mundo, in vitam æternā custodit eā. Secundò, quod grauat, est: pauperem Christū per Crucis ignominiā sequi: Sed Christus huius causa etiā consolatur nos cū ait: Vbi ego sum illic & minister meus erit. Sed Christus per crucis ignominiam in gloriam patris ascēdit. Tertiò & hoc graue nimiū videtur, Māda ta Dei operando implere, nullo interea cōmodo, tantùm aduersa tollerare: Sed hac etiam parte non deficit Christus: Qui mihi ministrauerit, honorificabit eū pater meus. Nullus profectò labor peribit inanis, hic licet optata laboris remuneratione nō fruamur. Quartò grauissimū hoc est, pro Christo ita & tēpore & causa exigentibus, mori: nihilominus tamē & huic morbo Christus medetur: Amen amē dico vobis, nisi granum frumēti cadens in terrā mortuum fuerit, ipsum solùm manet: Si autem mortuum fuerit, multū fructum affert. Ecce, quod verè de Deo dicatur, quod in omni nos afflictione cōsoletur. Id quod hodierno etiā festo clarum fit. Estq; illud ipsum de quo dicturū me esse promiserā. Superiore ergo sermone dictū est, quàm meritò diuorū festa impios homines cōterreant. Verè enim horrendū est, tot diuorū rectè factorū exemplis propositis, adhuc tamen impietatē sectari plurimos: doctoribus pijs erudiri, nulla tamē parte meliores reddi: Multa præeuntia pietatis exēpla videre, nullū tamen sequi. Horrenda sunt, inquam, blasphemiæ illæ, illusiones, impudicitiæ, idque genus alia. Quorum etiam in numero sunt, qui festos dies risum habent, Sunt autem non pauci. Senguinem illorum in cœlos pro vindicta clamare, audiuistis. Cui quod in Zacharia scriptum est, domino dicente: Qui vos tangit oculi mei pupillā tetigit, cōuenire videtur. Sed de his antè audiuimus: Nunc porrò quam hæc festiuitas pijs spē adferat, auscultemus. Licet enim habuerit Albanus noster, Cain haud absimiles, cùm in vita, tùm & in morte, tamē virtu-

Ioan. 12.

Zach. 2.

tis

tis morumq; suorum ac fidei haud dubiè imitatores habuit, habebitque modo. Hac ratione Iustus Abel, quanquã vt natu maiorem ita etiam impietate crudelioré fratrem haberet Cain, timentem piumq; tamen alium adhuc post se, nempe Geth habuit, de quo parentes confitentes dixerunt: Posuit nobis Deus aliud semen pro A- Gen. 4.
bel, quem occidit Cain. Qua in re quatuor memoria hominum digna sunt consideranda, quæq; huic etiam festæ diei conueniunt. Primum: Licet impius Cain propagationi seminis sui vehementer studeret, breui tamen post, ipso diluuij tempore interijsse, cùm ipsum tum propaginem suam omnem. Secundùm: quanquam coram hominibus mortuus esset Abel, apud Deum tamen vixisse. Tertiùm, licet Abel nullos ex sese genitos filios paternæ imitatores fidei pietatisque reliquisset, vnum tamen, nempe Seth, post se inuenisse. Quartùm denique, quanquam pro sua Cain impietate, diuinum què frater peragebat cultum sufferre nollet, postea tamen tempore Enos, nolit velit diuinos honores instauratos, nomenque Dei inuocari vidisse. Hæc omnia huic diei conueniunt. Principio, licet aliquandiu blandiente fortuna exultarét Albani hostes, non multo tamen pòst tempore comprimebantur. Quæ prima piorum ex diuorum festis profluens spes est, nimirũ cum considerant impiorum ferociam esse momentaneam. Vidi, inquit Dauid, impium su Psal. 36.
perexaltatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce nõ erat: quæsiui eum & non est inuentus locus eius. Imò quò magis feruntur in altum, eò propiore via ad interitum accedunt. Exemplo sunt, Pharao, Saul, Antiochus & alij. Secundò: fides dictat, diuos etiam mortuos, tamen Deo viuere. Ego sum Deus patris tui, inquit in Scri Exod. 3.
pturis, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Quibus sanè verbis memorias horum patriarcharum etiam defunctorum coram Deo viuere innuitur. Vnde & Moses Exod. 32.
pro populo orans, horum memorias repetit dicens: Recordare Domine Abraham, Isaac, & Iacob seruorũ tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. Et mox sequitur cõsequenter. Placatus

est

est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum. Vnde sanè defunctorum sanctorum memorias apud Deum vixisse colligitur. Hoc modo subinde in Prophetis loquitur: Protegam ciuitatem
Isa.37. istam, vt saluem eā propter me & propter Dauid seruū meum. Sanè hic Dauid apud Deum viuere ostenditur. Simili modo, Abel dicitur viuere, quod sanguis ipsius de terra clamat, Sic & Albanus Deo viuit. Atq; hæc piorum ex festiuitatibus eiusmodi consolatio secunda est. Hic enim considerabamus nihil incommodare mortem pijs, tū
2. Cor. 5. quod peracta huius vitæ fabula, meliora speremus. Scimus enim quoniā si terrestris hæc domus nostra dissoluatur, ædificationem ex Deo habeamus non manufactā, sed æternam in cœlestibus. Tertiò, pauci admodum fuerunt licet, qui Albanum hic viuentem, vita fideque imitarentur, tamen vitæ ipsius candor ipso etiam mortuo prædicatur. Id quod pijs mentibus vehementer consolatorium est. Inde enim licet nihil magnum de pijs suspiciat hic mundus, fieri tamen, vt suo tempore ipsorū pietas beatitudoque innotescat, intelligimus: ita planè, vt ipsi etiam hostes eorū aliquādo dicturi sint: Hi sunt, quos
Sap.5. habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij: nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? Quartò: quam impij in vno Albano veram veræ fidei agnitionem ferre nolebant, eam nunc per totum orbem videre & ferre cogūtur. Omnes enim nos Christū non creaturam, sed vnigenitum Dei viui filium confitemur. In hoc enim omniū spes nostra posita est, hinc etiā nō minuendi sed augendi indies diuini cultus fiduciam cōcipimus. Id quod non minimā pijs mentibus consolationem adfert: vt quibus suo, Christi honos, magis cor-
Exod.32. di est. Hinc est quod Moses è libro viuentium magis deleri elegit, quā Dei nominis blasphemias audire. Et Pau-
Rom.8. lus anathema esse Christo, quo multi et agnoscant & prædicēt Dei maiestatem magis voluit. Hoc sanctorum erat gaudium, quod in toto mundo per spiritum agnoscerēt, manifestandam esse Dei gloriam. Ecce quam credentibus festiuitas hęc, fiduciam adferat. Cuius vt participes

simus,

simus, ita iustum Seth, de quo pauca quidem sed magnifica scriptura prædicat, imitemur, vt impij Cain sequuntur. Principiò, quod in locũ Abel datus sit, deinde quod filium Enos genuit, qui primus cœpit nomẽ domini inuocare. Qualis autem Abel fuerit scriptura manifestat. Primò, Christo testante, Iustus fuit. Deinde, diuinis honoribus corde atque opere institit. Tertiò, nihil mouetur iunioré se esse fratre, tantũ si Dñm habeat, contẽtus. Quartò, licet irã fratris cognosceret, simplex tamẽ, nihil de ipso suspicatur mali. Quintò, & ipsam etiã mortẽ patiẽter suffert. Huius in locũ Seth nascitur, qui vehementer nobis imitandus est. Hæc enim ingenuè Christianis propria sunt: vt internæ externæq; iustitiæ studeant: Vt Dei amantẽ, ipsum reuereantur, ipsi credãt, in ipsum sperent, totaq; mente omnibus viribus diligant: Vt & proximũ ament, vt patienter sufferant. His etiã inuocationẽ diuini nominis, & orationem addant. Hæc si nos cogitauerimus, erit haud dubiè hæc nobis pergrata festiuitas. Suauissimè em̃ Deus nobis loquetur: vbi est frater tuus Abel: Ac si diceret: Oculos imò & mẽtem eleua, & quò ille ascenderit cogita, vbi sit diligenter considera: Vtique in pacis tranquillo, securitate, æternaq; vita: imò in Dei manu. Hanc sanè si quis probe vocẽ audierit, in cœlestia æternaque mente exaltata, cum Psalmista dicens: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutũ, concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Et: Quis dabit mihi pennas sicut colũbæ, & volabo & requiescã, Et iterum: Hei me, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cũ habitãtibus Cedar, multũ incola fuit anima mea. Et cũ Apostolo: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? In summa, sine intermissione ad futuram fœlicitatem anhelabit. Sed & postea dicentem audiet: Ecce vox sanguinis fratris tui. Sunt enim Sancti, fratres nostri. Quid verò iucundius? Melius enim est duos simul esse, quàm solùm. Væ soli, quia cùm ceciderit non habet subleuantem se. Deinde: Clamat frater tuus. Quid ergo clamat? Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Clamat vita ipsius, ipsam sequamur. Clamat sanguis, vt discamus tolerantiam, inque aduersis exultemus. Clamat ergo Albanus noster, salutis nostræ desiderio. Si enim

Gen. 4. Matt. 23. Psal. 83. Psal. 54. Psal. 119. Roma. 7.

enim sanctorum animæ aduersus impios vociferantur, haud dubiè pro pijs etiã clamant, quod sine nobis in imperfectione sint, stolã licet amicti sint, id est, quanquam animarum fœlicitatem obtineant, non tamen corporis. Vnde celeriùs vt se sequamur monent. Agite ergo cauea mus, ne frustra clament. Optabilius est vtique pro nobis quã aduersum nos clament. Gratia Dei nobiscum, Amẽ.

SERMO TERTIVS.

Psal. 65.

VEnite & videte opera Dei, terribilis in consilijs super filios hominum. D. Albani in Ecclesia, maximè hoc in loco (scitis) hodie celebram⁹ memoriã. Nec vos huc, ad illius cineres ideo accessisse, vt fidẽ vestram confirmetis, vitã emendetis, dubito. Et quidẽ de eiusdem viri, aliorumq; sanctorũ gloria dicere, præsens lectio Euangelica satis magnã occasionem submiſtrat. Ea licet breuis sit, si verba numeremus, verã tamen viuendi formam, omnibus Christũ imitaturis, exprimit. Præterea etiam, cuius autoritatis sint sancti dignitatisque innuit.

Ioan.12. Qui mihi miniſtrat, inquit Christus, me sequatur: & vbi ego sum, illic & miniſter meus erit. Sed & qua honoris laurea in futuro seculo sint donandi, his exponit verbis: Qui mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus. Ecce quis hic dicendi campus apertus est? Equidem nescio, an quicquam maiori cum fructu in Sanctorum festiuitatibus doceri possit. Sed quia superioribus hoc Euangelium abundè satis declaratũ memini, nunc Dauidi cam illã vocẽ, qua ad cõsideranda, memorãdaq; Dei beneficentiſsimi mirabilia exhortatur, explicandã mihi sumã. Venite, inquit, & videte opera Dei, terribilis in consilijs super filios hominũ. Non sine graui causa hac nos voce conuocat: Vtiliſsimũ enim est Dei opera cogitare: contra verò neglectus ipsorũ pernicioſiſsimus. Nihil enim ea vehemẽtia Iudæis exprobari legimus, quã terrenarũ solicitudo, & operũ Dei obliuio. Hæc enim eorum

Isa.5. negligẽtia et obliuio oĩs ipsorũ perditionis causa fuit. Vę qui consurgitis mane, ad ebrietatẽ sectandã, & potandũ vsq; ad vesperã, vt vino æstuetis. Cithara & lyra & tympanũ, & tybia & vinũ in conuiuijs vestris, & opus domini nõ respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Et

mox

mox pœnam addens, subdit: Propterea captiuus ductus est populus meus, & non habuit Scientiam & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit: Propterea dilatauit infirmus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, Et descenderunt fortes eius, perinde ac si diceret. Insan⁹ amor vester, terrenarũq; studiũ, nimiumq; reprehẽsibilis negligẽtia spiritualiũ, in vitiorũ iniquitatisq; omnis seruitutẽ deiecerunt: Vnde etiam iusto Dei iudicio, subtractis temporaneis, post huius viæ erũnas in inferna detrudemini. Vera hæc nimirũ Deo dictante sentẽtia, quã & in Iudęis, & in nobis cõperimus. Nã quod est tẽporalium rerũ negotium, profectò alia de causa, præter eorum abusum & in spiritualibus propè deficimus, nec fide firmi, nec deuotione pij: Idq; ideò solùm, quòd Dei opera minimè cogitamus. Cùm igitur hodie egregium nobis factum, ipsum nẽpe Albanum, hoc est, vitæ ipsius pietatem, doctrinę veritatem, fidei constantiam, in amore condolescentiam, in persecutione tolerantiam, in morte pacem, ponamus ob oculos, quæ sine omni dubio à Deo proficiscuntur: non alienũ à re facturum me esse confido, si omnes hic congregatos Dauidicis verbis admoneã: Venite & videte, inquit Dauid, opera Dei, terribilis in consilijs super filios hominũ, prẹstantia enim, proponũtur, ne pigeat. Qẹuris ergo quę illa? Plurima quidẽ ad manum sunt, vnũ hoc tũ sufficiat: Terribilis, siue vt quidã legunt mirabilis Deus in cõsilijs super filios hominum. Vitam Albani perlegas, & verè dixisse Dauid intelliges. Principiò illis temporibus, ita sæuierunt Arrianorũ furiæ, vt nó modò simplices, verumetiam doctissimi, & quidẽ plurima orbis Christiani pars, ad fidei defectionẽ adacti essent. An non illud mirabile, imò terribile Dei iudicium fuit? Deinde ingentis quidem bonitatis diuinæ signum erat, in tanta omnium rerum perturbatione, quosdam in vera fide conseruatos esse, verùm tamen terribile quid fuit tam paucos eius generis fuisse inuentos, qui & ipsi timere poterant, Pauli consilio, dicentis: Qui stat, videat ne cadat. In ipsum ergo Albanũ, tũ in hostes ipsius intuẽtes, deinde oculos ad vtriusq; partis Iudicẽ subleuantes, bifaria, at diuersissima Dei opera intelligemus: gratię quidẽ in Albano, at irę in ipsius

Rom. 11.

ipsius hostibus: quorum posterius timorē incutit: prius verò fidem confirmat, charitatemque meritò incendit. At de passione paucula dicā. Scire delectat, quid Deus in genere in sanctis suis operetur? Dauid dicentem attende: Domine, inquit, in virtute tua lætabitur Rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis eius tribuisti ei & voluntate labiorum non fraudasti eū: præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti super caput eius coronā de lapide precioso. Vitam petijt à te, tribuisti ei, lōgitudinem dierum in seculum seculi. Magna est gloria eius in salutari tuo, gloriā & magnum decorem impones super eū Domine. Quæ propriè ac potissimùm quidem de Christo dicuntur, nihilo tamen minus de Sāctis Dei interpretari possunt, vt qui vnum cū Christo corpus, per ipsum Reges sacerdotesq; facti, cum ipso regnāt. Ergo opus Dei est huius tēporis, vt ipsos præueniat in benedictionibus dulcedinis. Qua voce omnia cōprehendit, quę ad vitam gratię pertinent. Attende verò quod non simpliciter dicit: benedixisti eum, sed ait: præuenisti eū non vna aliqua benedictione, aut qualibet, sed in multis, & in benedictionibus dulcedinis. Sunt enim & corporis benedictiones quibus sæpe impij participant, nullo salutis suæ commodo. Benedictiones gratiæ nobis necessariæ sunt, non vnica, sed triplex: nimirum præueniens, adiuuans, & perficiēs. Prima benedictio misericordię, altera gratiæ, tertia dicitur gloriæ. Hac triplici benedictione nisi cœlitus suscepta, terra nostra fructū suum non dabit. Neq; enim possumus bonū inchoare, nisi præuēti misericordia: nec quod bonum est facere, nisi gratiæ benedictio adiuuet, nec perficere quod facimus bonū possumus, nisi impleti gloria. Commodè verò benedictiones dicūtur dulcedinis: quòd veram animæ dulcedinem, requiemque conferāt: Sed solis pijs dantur. Impij enim corporali quodā modo & tantùm externè, nō in anima benedicuntur. De his piorum benedictionibus pulchrè sanè sapiēs loquitur: Iustum, inquit, deduxit per vias rectas, sapientia Dei, & ostendit illi regnū Dei, & dedit illi scientiam sanctorū, honestauit illū in laboribus, & compleuit labores illius. Hæ verę dulcedinis benedictiones rectę sunt, quas aper-

Psal. 20.

Apoc. 5.

Triplex benedictio.

Sap. 10.

tissimè

tissimè omnes in Albano colligimus. Principiò enim scriptura ait, Iustũ deduxit dñs per vias rectas. Nó oẽs huius participes sunt, Iustorũ tãtùm hic fit mẽtio. At iustus principio sui accusator est, nec in operũ suorũ merita cõfidit, sed ex fide in misericordiã Dei viuit. Deniq; etiam Iustitię adhæret: Eiusmodi ergo (vult sapiens) docuit Dñs. Ille enim ab iniquitatis spaciosa via, ad iustitiæ veritatisq; semitã ducit, in eaq; cõseruat. Beatũ hominẽ, quẽ ipse Deus hoc modo educit. Tutus enim & securus hunc Mundum perambulat, & hinc ad cœlestem æternamque patriam transcendit. Vis autẽ beatitudinẽ eius quem Deus deducit, aut quæ Ducis Dei fides sit nosse? Dauidem audi: Diligam te Domine fortitudo mea, dñs firmamentum meũ & refugium meũ & liberator meus, Deus meus, adiutor meus, Et sperabo in eũ. Principio ergo Deum fortitudinẽ suam propheta appellat. Ipse enim fortitudinem, qua benefacere inchoamus, confert. Est deinde firmamentum, qua pij in certamine persistũt. In ipso enim firmabitur & non flectetur. Domus enim super petram ędificata cõsistit. Sed & refugium ille piorum est, qui dicit: Venite ad me oẽs qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Est denique liberator noster Deus si fortior hostis præualuerit. Fidelis est Deus, Paulo teste, qui non permittet nos tentari vltra id quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione prouentum vt possimus sustinere. Ipse enim laborantium protector, Dauid dicente: Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Ad hæc & protector Dominus dicitur, eorum nimirum, qui se timent. Vt rectè Isaias dixit: Erit (Dñs) in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatẽ & absconsionẽ à turbine & pluuia. Ipse etiam cornu salutis. In ipso enim inimicos nostros vẽtilabimus cornu. Postremò: est & susceptor, deuictis hostibus, ex arena reuertentiũ. Venite, inquit, benenedicti patris mei percipite regnum quod paratum est vobis ab exordio mundi. Is ergo est iustũ deducens. Et quem timebit? Hinc est quod omnẽ etiam lernam malorũ peruadant sancti. Sed per rectas vias deducit. Viæ domini, viæ rectæ: Sine vllius erroris impedimento ad vitã perducunt. Viæ Domini, viæ pulchræ: Sine macula enim

Pſal.17. Eccli.15. Matt.7. Matt.11. 1.Cor.10. Pſal.93. Iſai.4. Pſal.43. Matt.25.

vlláue iniquitatis nubecula, veram innocentiam sanctitatemque docent. Vię plenę, multi enim requirunt atq; ambulant eas. Vię planę rectam enim fœlicitatem tribuunt. Matth. 11. Iugum meũ, inquit Dñs, suaue, & onus meum leue est. Et quomodo dicit? Audi Dauid, id quoq; dicente tibi: Apud Dñm gressus hominis dirigętur, & viam eius volet. Psal. 36. Primò pijs ostendit viã salutis: deinde vult. i. desideriũ quo in via salutis sibi cõplaceant, incędit Dominus: deniq; si forte ceciderit, non collidetur: ipse enim Dominus supponit manũ suam, nimirum à gratia labentes nõ excludens, clementer lapsos erigens. Quã de re, nępe, quomodo deducat dñs iustos, in alio psalmo scriptum est. Psal. 65. Conuertit dominus, inquit Psalmista mare in aridã, in flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur in ipso. Id quod olim factũ esse meminim⁹. Eodẽ planè modo quos suos agnoscit per baptismũ ex Aegypto, peccati sci licet seruitute liberat. Deinde: In flumine pertransibunt pede, hoc est, ipse facit, quo inoffenso pede mundi huius torrentẽ peruadant electi. Propterea in ipso lætãtur. Tertiò: Animam meam ad vitam posuit, hoc est animæ vitam largitur. Quartò: Nõ dedit in commotionem pedes meos. Sed ne quis semet persuadeat, quasi sub hac domini tutela in ea via ambulantib⁹ omnia pro arbitrio succedant: addit: probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueũ, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Introibo in domum tuã in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Attende quid dicat: Transiuimus, inquit, non per aquã solam, vt filij Israël: nec per ignem tantùm, vt tres illi pueri in Babylone, sed per ignẽ & aquã, hoc est, per omnia aduersa: & sic eduxisti nos in refrigeriũ. Talis dux Deus noster est. Hæc omniam Albano videre licet. Sequitur: Et ostẽdit illi regnum Dei. Variè Deus gratiam suam ostendit pijs: per prædestinationem, per vocationem, per Iustificationem, & glorificationem. In prædestinatione enim cõducit suis regnum Dei, in vocatione promittit, in iustificatione arram eius dat, in glorificatione ipsum confert. Ecce quæ sit benedictio, qua regnum

gnum Dei Christus suis ostendit. Hoc ergo quoscunq; sanctos lætificauit in omni tribulatione. Sequitur alia etiam benedictio: Dedit illi scientiam sanctorum, scientiam inquã, quam vel habent sancti, vel diuinis negotijs quærunt. Scientia mundi terrena inquirimus, atque superbimus. Scientia carnis voluptati seruientia perquirit. At sanctorum est, quæ Dei sunt quærere. Et hæc sanè optima est, cui omnes pij semper inhæserunt. Sequitur adhuc alia benedictio: Honestauit illum, non in otio, quod plurimũ dehonestat, sed in laboribus. Non omnis labor, sed honestus tantum laudatur. Quanquam enim pij in laboribus suis dũ in hoc mundo sunt ab impijs ridentur, defuncti tamen in ipsis prædicantur, summamq; & apud homines, & apud Deum gloriam consequuntur, ita planè vt ipsi etiam impij prorumpere cogantur: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei? Sequitur alia adhuc benedictio: Et compleuit labores illius: hic in constanti perseuerantia, ne desereret eum: illic in gloria, vt in æternum exultaret. Vtrobique fœlix complementum. Huc pertinet quod Dauid ait: Posuisti super caput eius coronam de lapide pretioso. Vitam petijt à te, tribuisti ei longitudinem dierũ in seculũ & in seculũ seculi. Magna est gloria eius in salutari tuo, gloriam & magnũ decorem impones super eum domine. Hæc illa Dei, in Albano conspicua opera. Beatum plane, cui tã proximus adest Dominꝰ. O miseros nos, qui nihil horum sentimus. Agitè ergo Deũ in his factis suis magnificemus, præcemurq; eũ, vt & nos simili modo benedicat: Imò ipsum imitemur Albanum, & nulla nobis benedictio deerit. Sed iam aduersarij Albani respiciendi nobis sunt, Nã & in his Dei opera sunt obuia, terribilia nimis, vt nobis quoq; terrorẽ possint incutere. Imò verò mera Dei iudicia sunt. Principio enim quia veritas amorẽ nõ susceperũt, iusto Dei iudicio excęcati sunt, deinde etiã in oĩs generis vitia prolapsi sunt, maximè verò in eã tyrannidem, vt magna crudelitate aduersus pios insurgerent. Ita enim ab initio consueuêre impij: Gladium euaginauerũt, peccatores intenderũt arcũ suũ, vt deijciant pauperẽ & inopem, vt trucidẽt rectos corde. Gladius eo-

Sapien. 5.

Psal. 20.

2. Tim. 2.

Psal. 36.

rum intret in corda ipsorum & arcus eorum confringatur. Primò enim nihil aduersum pios possunt. Nullum consilium aduersus Dominum. Deinde & spiritualiter proprio peccato intereunt ipsi. Præterea sæpenumero fit vt malum quod in alios direxerunt, in ipsos autores recidat. Stat enim sententia firma, Exemploque Aman & alij sunt. Hinc est quod Sapiens ait: Supplantatio peruersorum vastabit illos. Et: Comedent fructus viæ suæ. Et Isaias. Væ impio malo. Retributio enim manum eius fiet illi. Hac ratione Dominus, consilij & retributionis Deus dicitur, vt nihil vel de pœna impiorum, vel de mercede bonorũ addutebitemus. Vnde ait: Ego reddá vltionẽ hostibus meis, & ijs qui oderuntme, retribuam. Et: sanguinẽ seruorum suorum vleiscetur Dominus, & vindictam retribuet in hostes eorum. Propterea Psalmista ait: Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam. Abũdanter sanè corpore & anima. Ignem enim, & vermem, & gladium vtrinque scindentem habet, quibus pœnas hic atque olim infliget. Gemina enim contritione consumentur. Tandemque ipsos ipsorumque complices arguet. Visitat enim iniquitatem patrum in filios. De qua malorum pœna pulchrè Dauid loquens ait: Propterea destruet te. Id quod in genere dictum est: deinde euellet te, ab huius terræ possessione nimirum: & emigrare faciet, puta è vita corporis: à tabernaculo tuo, hoc est, piorum consortio: & radicem tuam de terra viuentium, id est, ad damnationem æternam. Ecce hæc sunt Dei aduersus impios opera atque iudicia, quæ diligenter considerata, nunquam obliuioni tradite, iuga memoria comprehendite, sedulò cogitate. Proposita enim nobis est vita atque mors.

Prou.11.
Pro.1.
Isa.3.
Deut.23.
Psal.30.
Psal.52.

Nostræ ergo saluti prospiciamus. Gratia Dei nobiscum. Amen.

IN

IN DIE DIVI IOANNIS BAPTISTAE EVANGELIVM Lucæ 1.

ELizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierũt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congrãtulabantur ei. Et factum est in die octauo venerunt circuncidere puerum, & vocabãt eum nomine patris sui Zachariã. Et respondẽs mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autẽ patri eius quẽ veliet vocari eũ. Et postulans pugillarẽ, scripsit dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illico os eius & lingua eius, & loquebatur benedicens Deũ. Et factus est timor super omnes vicinos eorũ, & super omnia mõtana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: & posuerunt omnes qui audierãt in corde suo dicentes: Quisputas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est spiritu sancto, & prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionẽ plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorũ, qui à seculo sunt prophetarũ eius. Salutẽ ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderũt nos: Ad faciendam misericordiam cũ patribus nostris,

& memorari testamẽti sui sancti: Iusiurandum quod iurauit ad Abrahã patrem nostrũ, daturũ se nobis: Vt sine timore de manu inimicorũ liberati, seruiamus illi: In sanctitate & iustitia corã ipso omnibus diebus nostris. Et tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius: Ad dandã scientiam salutis plebi eius, in remissionẽ peccatorum eorũ: Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriẽs ex alto: Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedẽt, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

EADEM FESTA DIE

Epistolæ loco lectio Isa. 49.

AVdite Insulæ, & attendite populi de longe: Dñs ab vtero vocauit me, de vẽtre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum, in vmbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam. In pharetra sua abscondit me, & dixit mihi: Seruus meus es tu Israël, quia in te gloriabor. Et ego dixi: In vacuum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi. Ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. Hæc dicit Dominus formans me ex vtero seruum sibi: vt reducam Iacob ad eum, & Israël ad eum congregabitur. Et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit: Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israël conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremũ ter-

terræ. Hæc dicit Dominus redemptor Israël, sanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum. Reges videbunt & consurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israël qui elegit te.

SERMO PRIMVS.

LOnga in hac præsenti solennitate, verborum periphrasi, quis hic noster Ioannes sit, & cur tam illius cum in Euangelio, tum in Ecclesia honorifica habeatur mentio, memorare, minimè necessariũ arbitror. Oratio rebus dubijs adhiberi solet. Appij Claudij accusator olim dicebat, superfluum nimirũ ratus, multis verbis vti in eius accusatione, cuius scelera per omnium ora volitarent, omniumq; odiũ mererentur. Sic eũ, cuius manifesta virtus est laudare necesse nõ est. Ipsa em̃ virtus sui copiosa laus est. At ſicubi ꝙ malum est tanquã bonũ prę dicandũ erit, hoc opus hic labor est. Appiũ enim si quis & Neronẽ, idq; genus hominum iniquissimorum, alios virtutis ornatu decorare voluerit, is sanè meditatus accedat, necesse habet: si vero Ioannes noster laudandus est, multis verbis non eget, tantum huius Euangelij in mente habuerit historiam. Etenim hoc Euãgelio cognito, quis hic Ioannes fuerit, non ignorabitur: tum vero si quis, qua ratione ad fidem & Christi agnitionem peruenerimus, quomodo lapsi, quotidie in gratiam redeamus, secum perpendit: sanè cui rei ipse seruiat nobis Ioannes, ad quid vtilis sit, sciet. Cognitis ergo nomine officioque illius omnibus faciliore tractatione res tota absoluetur. Neque enim dubia res est hoc negocium Ioãnis, sed certissima omnium. Quicquid vspiam magnum quicquid egregium, dignumq; laude prædicatum est in alijs, commune huic Ioanni nostro cum illis est: præterea autem peculiaribus quibusdam donis claret, quæ nulli secundò data sunt. Id quod longa demonstratione non eget. In omnibus creaturis, Angeli primas tenent: & Ioannes Angelus dicitur, non natura sed officio. Post Angelos Patriarchæ principem locum tenent: & inter ipsos

Ioannes & caput & finis est. Post hos prophetæ primi sunt, quorũ Scriptura meminit,& ecce Ioannes plusquã propheta est. In nouo testamento Apostoli digniores sunt,idq; meritò.Et quid Apostolus significat,nisi legatum & missum? At de Ioanne dicitur: Fuit homo missus
Ioan.1. à Deo cui nomen Ioannes. Post Apostolos Euangelistarum dignitas potior est. An verò Ioãnes Euangelista non est,qui primus regnum cœlorum prædicauit? Quid Martyre in Ecclesia honorificentius? Et martyr Ioãnes fuit. Quid magis decorum virgine? Etiã virgo Ioannes fuit. Et quis veteres illos Eremitas nõ est miratus? Et Ioãnes eiusmodi fuit. Quid Christiano homini decentius quã esse Confessorẽ,qui veritatis in omnibus confessionem teneat,siue de se ipso,siue de Deo,aliisue hominibus res agitur? An nõ & hoc ipsum Ioãnes præstitit grauissimè? Quis vnquã egestatẽ suã confessus est humilius Ioannes: Nõ sum dignus,inquit,soluere corrigiã calciamẽti Christi. Quis maiore maiestate Christi gloriã prædicauit vn-
Ioan.1. quã quã Ioãnes? Ecce agnus Dei,qui tollit peccata mundi. Quis vnquã ea vehementia qua Ioannes,vitia homi-
Marc.6. nũ infectatus est, & coarguit? Non licet tibi, ad Herodẽ regem ait,fratris tui habere vxorẽ. Hæc omnia Ioannes
Ioannis priuilegia. cum alijs communia habet, sed longè plura in ipso conspicienda sunt præterea,ipsi propria,nulli omnium data. Neque enim vllius natiuitas tanta maiestate prædicta legitur. Isaac atque Sampson natiuitates prænunciatę quidem sunt,sed ille solis parentibus Abraham & Saræ,hæc
Gen.17. Iudic.13. ruri prædicitur. Hæc vero Ioannis,in tẽplo ipso,populis præsentibus,ac publico sub sacro. Estque illud primum. Deinde etiam qui eo modo Spiritu sancto in materna aluo repletus fuerit,nemo est. Tertiò,nemo eo modo ad Christi natiuitatem exultauit, quo ipse. Quartò nullius alterius natiuitas tot miraculis claruit. Quintò, nullum, qui tam iuuenis,tam austeram vitæ normã secutus sit,inuenias. Elias quidem & alij prædicantur, sed nulla omniũ erga hunc comparatio est. Sextò: ante eum nemo tã aperte regnũ Dei prædicauit. Multi quidẽ docuerũt,sed alij terribilia, alij læta prædicãtes, oẽs sub verborum inuolucris res abditas proposuerunt: hic verò apertè. Septimò,ipsum gloriæ Regẽ baptizauit. Octauò. Ipsi omniũ

primo

primo summa illa se Maiestas apertã atq; perspicuam videndam obtulit. Abraham tres personas vidit, sed quod illi obscurum erat, huic fit clarum. Deniq; nullum alterum, ipsa veritas tanto dignata est testimonio. Iob enim testimonium habuit Iustitiæ: Dauid quod vir secũdum Deum fuerit: Moses quod electus seruus Domini. Si tamen hæc cum Ioannis laude conferas, nihil sunt. At enim veritas: Amen dico vobis. Nõ surrexit maior Ioãne Baptista inter natos mulierum. Quid ergo miramur tanti viri inter nos honorificã permanere memoriã, nimirum scientes, hęc nostro bono sic ordine instituta esse. Non sibi tantùm Ioannes in medium prodijt, nobis potiùs factum est, quicquid in ipso Deus operatus est: Ideo tanta vehementia, in deserto clamauit, ideo baptizauit, ideo Eliæ confertur, imò hanc ipsam ob rem Elias dicitur. Ideo Christus eum lucernam ardentem & lucentem dicit. Et vt breuissimè dicam, sic vbi Christus quicquam efficiet, Ioannes præcedat necesse est. Illic Euangelium rectè ingreditur, vbi Ioannes anteambulo priùs intromissus est. Ita Dei ordinatione institutũ est, ita Christus disposuit, Ecclesia obseruauit, ita etiã vsque ad Mundi finem perdurabit. Plurima Neotericorũ pars, quæ falso sibi Euangelicorũ nomen vendicat, vehemẽter de Christo superbiunt, nec ideo culpari merẽtur: sed nisi Ioannem præcedere feceris, hoc est, nisi leues impiasq; hominum mentes lege iudicioq; Dei perterrefeceris, admodum parum Euangelij sermo efficiet. Optima profecta diuinæ sapientiæ ordinatio est, tantùm si ea nobis rata esset. Agitè ergo Ioannem mentis oculis intueamur, ipsiusq; doctrinæ vocẽ audiamus, sic enim rectè Christum susceпturi sumus. Quam illæ vitæ doctrinæq; regulã secutus sit cogitemus, & sic Christi Euãgelium commodiùs, maioreq; cum fructu auscultabimus. Id ergo vt faciamus Christi nos gratia adiuuet, Amen.

Iob. 1. Eccle. 47 & 45. Matth. 11.

SERMO SECVNDVS.

EQuidem neminem vestrûm, quasi indignum quid fieri, iudicaturum esse confido, tanta quod hodie cum honorificentia, Ioannis Baptistæ, memoriam in Ecclesia celebramus. Neque enim admodum præclarum speratæ pietatis ederet indicium, quisquis isthæc

carpere adhuc præsumpserit, imò ne quidem legisse Euangelium, aut vllo erga pietatem affectu moueri sese proderet, quorum alterutrum Christianum hominem vehementer dedecet. Quis enim Christianum censeret eum, qui aut Euangelium planè nesciret, aut nulla solicitudine quæ pietatis sunt curaret? Toties quidem Euangelia, Ioannis huius mentionem faciunt, vt non possit non agnosci ab ea cui illa vel semel & obiter lecta sint: tum etiam tam præclara de ipso scripturæ tradunt, vt si cui vel minima Christiani sanguinis guttula insita fuerit, non possit non & amare eum, & qui omnibus piè credentibus imitandum exemplum proponatur, dignum iudicare. Vt aũt & simplicioris ingenij homines intelligant, quid in hoc viro tantopere Ecclesia miretur, agè duas easque legitimas huius festi causas adferam. Prima harum est, quod hic tantus præco primus in nouo testamento Christum in carne venisse, aperte prædicauit. Aperte inquam: Antea enim & alij, vt Angeli, Maria, Elizabeth, Zacharias, Pastores, Simeon, Anna, multa de Christo loquuti erant. Sed paucis præsentibus. Hic verò primus clarè atque aperte Christũ prędicauit, idque ea felicitate vt omnium applausu, omnium ad se raperet fidem. An forte indignum eã propter erit, si pij semel tantùm quotannis secum cogitauerint, per quos Euangelicus sermo primùm in orbę intonuerit, & quomodo? Et hæc prima huius festæ diei causa est. Altera est, quod Ioannes non modò Christum in orbe prædicauerit, verumetiam ipse quoque Christianus fuerit, isque non claudicans, nec verbis modò, sed rectus, totus, & ipso etiam facto: Talisque non demum senex factus est, sed ex vtero matris natus est. Nec aliquo tantùm vitæ suę tempore, sed per omnem vitam talis ille perseuerauit. Itaque in ipso non modò strenuum prædicatorem, verumetiam perfectum Christianum videmus propositum, quæ duo plurimi sanè facit Ecclesia. Quanquam nostro hoc seculo, vtrumq; vehemẽter vacillet, tã prędicatio, quàm pietas & deuotio. Pauci admodum sunt, qui Ioannis grauitatem, veritatẽ, constantiam in prædicando ostendant: pauciores, qui vitæ ipsius asperitatem, sanctitatemque exprimant. Et

Causa instituti festi huius.

quæ

quę facies potest esse Ecclesiæ, vbi nec prędicatores nec auditores suum satisfaciũt officium? His enim duobus, doctrinæ nimirum & vitæ veritate pietatéque Ecclesia constat & conseruatur. Quomodo enim Christiani ab Iudæis, Turcis, separamur, nisi his duobus? Tolle ab Ecclesia hæc duo, & Turcis meliores nõ erimus. Quę cum ita sint, vtiq; vt in pristinum redeat statum, laborandum est vehementiùs. Et quidem huic rei plurimum conduceret, Ioannis exempli obseruatio. In ipso enim exemplum habemus propositum, & Christianæ doctrinæ, & piæ vitæ, vtrumq; in summo gradu. Propterea & mihi nõnihil porrò de eo dicendũ est. Nihil enim vtiliùs fructuosiusque in Ecclesia fieri posse arbitror, quàm si exempla eorum, qui prima Ecclesiæ fundamenta posuêre, diligenti cura considerauerimus. Illic enim mox apparebit, quàm infirma sit, quamq; ab antiqua illa virtute defecerit Ecclesia, in qua nec doctrinæ veritas, nec vitę cõspicitur pietas. Qua re pij quiq; ad orandum Deum accendentur, sua vt ille gratia, tales viros nostris quoq; tẽporibus excitet, qui collapsam Ecclesiã erigant, eamque in cõseruatione eius, quod bonũ dicimus, seueritatem, quã olim plãtatores illius, exhibeant. Sed ipsum Ioannẽ consideremus. Primò igitur oĩn, cogitemus, quomodo Christus Euangelicæ suę doctrinæ semen non per leues vilesq; quoslibet homines, sed per cordatos, iustos, sanctos, ac graues viros, primũ in terris disseminauerit, trãsplantaueritq;. Et horũ alij quidẽ licet scientia, arte, diuitiis prædíti, clarísue natalibus orti essent, quę hic mũdus miratur, & suspicit, magnã ipsis tamẽ fides, dilectio, veritas, æquitas, iustitia Dei, timor, idq; genus aliæ virtutes, autoritat tribuerunt. Et quod mundanæ maiestati decerat, spiritus sanctus abundè gratia sua suppleuit, eamque æstimatione eorum fecit, vt & Mundus eos miraretur, potentes reuererentur, hostes etiam infensissimi laudare cogeretur. Atque ita fieri necessum erat. Neque enim leues quique hominum, eò rem deduxissent, nec fidem in Mundo meriti fuissent. Propterea Paulus ait: Ego in 1. Cor. 2.
infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos: & sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & vir-

virtutis, vt fides non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Quanquam idem ipse Paulus alibi, quidem
1.Co.1. scribit, quæ stulta sunt mundi elegisse Dominũ, vt confunderet Sapientes: & infirma mundi elegisse, vt cõfundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia, & ea quæ non sunt elegisse, vt ea quæ sunt, destrueret, minimè tamen stulta hæc atque infirma de mundi amicorum stoliditate, vitęque leuitate, (id quod moderari prędicatores persuadere conantur) interpretanda sunt. Illi sanè scurrilitatem, petulantiam, imò malitiam lasciuiamque vitæ, infirmitatẽ illam cuius Paulus meminit, interpretari non erubescunt. Hinc est, quod si quando ipsos eas ob res arguas: plenis buccis proclament, Deum infirma mundi elegisse. Sic voluptuariam vitam suam excusant, defenduntq;, ac reliquum vulgus in nocẽtissimam persuasionem inducunt, quasi Deus nullam vitæ cuiusque qualitatem respiciat, tantum egregiè vociferetur & prædicet. Sed longè secus sese res habet. Non enim eam, quam tu intelligis, infirmitatẽ Paulus intelligit: nec vspiam, quod Christus eiusmodi infirmos elegerit, nempe leues, mundanos, carnales, sineque omni timore Dei
Matth. 9. viuentes, scriptum legimus. Matthæus quidem secundũ mundum vixit, sed priusquam vocaretur, postea enim multũ mutatus, quasi sui dissimilis factus est. Et vt breuissimè dicam, non illa in primis illis Euangelij prædicatoribus, quam nostrûm aliqui prætendunt & excusant, infirmitas, quam rectiùs malitiam dixeris, fuit. Homines haud dubiè fuerunt, nec perfectè à peccato immunes vixerunt, non tamen carnalis, mundo conformata, aut iners otiosaq; vita ipsorum fuit, sed planè seuera, grauis, sancta: Cuius sanè rei Ioannes exemplum est luculentissimum. Primus ille fuit, qui Christo aperta prædicatione seruiuit, & ad hoc ministerium non sese ingessit, sed à Deo vocatus est. Ita enim scriptura de eo
Ioan.1. testatur. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Ecce hic tibi nomen & personam, officium, vocationemque eius. Arduum profectò officium, recte Christi præire, ipsum ostendere, viamq; eius præparare. Vnde non quilibet ad

hoc

hoc munus eligi debuit. Nouus quidē & peculiaris homo requirebatur, quem ad hanc rē Deus ab æterno prę-
uidiſſet, electumque ordinaſſet. Ecce, inquit Dñs, ego
mitto angelum meum ante faciem tuam quæ præpara- Mala.3.
bit viam tuam. Ac ſi diceret ante te. Meum, inquit, angelum, Plures quidem alios nuncios, Angelos atq; homines habeo, quorum miniſterio in alias res conficiendas vtor. Verùm hùic negotio ſingularem quēdā quę-
ſiui, quem ideo meum dico, quod præ alijs ipſum elegerim præordinauerimq;. Et hic præter Ioannem nemo
fuit. Id quod Chriſtus ipſe teſtatur dicens: Hic eſt de Matth.11.
quo ſcriptum eſt. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vt ergo omnes talem eum crederent, Deus ab initio ad finē vſq; magna in ipſo operatus eſt, miraculisq; conſpicuū omnibus fecit. Primò enim egregia eum familia, pijs ſanctisq; parentibus, non ſine miraculis, concipi naſciq; fecit. Deinde etiam antequam naſceretur officium vitæq; modum per Angelum edocuit. Tertiò & nomen illi, tale omnino, vt officio per omnia conueniret, per eundem Angelum indidit. Quartò ſpiritu ſancto eum adhuc ex vtero matris donauit. Quintò præclara etiam in natali ipſius ſigna edidit. Deniq; in pudicitia innocentiaq; eū immaculatum ad finem vſq; cuſtodiuit, ita vt omnibus, hic, tanquàm nouus aliquis homo eſſet mirabilis. Verū an fortè ſine cauſa factum arbitrabimur, quod hunc talem, non alium filij ſui ante ambulonem primumq; prę-
conem Deus habere voluerit? Minimè. Qui enim nouit corda hominum, vtiq; non ignorauit, morum vitæ grauitatem permultum ad verbi doctrinæq; laudem cōfirmationemq; facere. Id quod in Ioanne videre eſt. Nemo vnquam Prophetarum tanta cum diligentia auditus fuit: nemo hominum mentes, eo quo hic modo, permouit, quin reliqui Prophetæ, vbique de obduratis hominum mentibus conqueruntur & clamant. Sic Iſaias
fecit, cum ait: Domine quis credidit auditui noſtro? Et: Iſaiæ.53.
Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona, poſt cogitationes ſuas. Et iterum: In vacuum laboraui, ſine cauſa, & vanè fortitudinem meam cōſumpſi. Sic & Ieremias clamat: Vę mihi Iere.15.

mater

mater mea. Quare genuisti me virũ rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra? Omnes maledicunt mihi. Et Mi-
Mich.6. cheas : Væ mihi, inquit, quia factus sum sicut qui colligit in Autumno racemos vindemiæ. Non est botrus ad comedendum, præcoces ficus desiderauit anima mea. Et quia Israël audire recusauit, Ionas propheta in Gentes
Ezech.3. prædicaturus mittitur. Idem etiã Ezechieli dicitur: Domus Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me. Verùm Ioanne hoc nostro prodeunte, turmatim accurrũt, proceduntq; obuiam, ciuis, agricola, Sacerdos, laicus, publicani, stipẽdiarij milites. Quæris vnde verbis illius
Ioan.6. tanta virtus insit? Vtiq; Dei opus erat, qui mẽtes hominum ad Christum adduxit, traxitq;, ad quem nemo, nisi à Patre tractus venit. Præterea & illud non parum autoritatis verbo addidit : quod omnibus cognitum esset, quãta in ipso Deus ab infantia miracula edidisset, quòd ipse piè sanctæq; in deserto vixisset : nemo verò vllius mali in eum vel suspitionem haberet. Alij prophetæ, in mundo, in hominum cętu, vbi nemini sine crimine licet viuere, agebant. Vnde illorũ sermo non eundẽ effectum sortitus est. Cuius enim vita sordidatur, eius sermo facilè despicitur. Id quod in nobis ipsis satis apertè experimur. Quid enim est, quod ea verbi non nũc est virtus, quæ olim esse solebat? Haud dubiè iusto Dei fit iudicio quod excęcati, nec videmus nec audimus. Deinde & illud nõ parùm impedimenti adfert, quod nullus Ioannes nunc reperitur, hoc est, gratię donum amplius in prædicatoribus non lucet. Contritio pœnitentiæ nusquam in illis consideratur: Nouus, Christianæ nouitatis, homo, non apparet: Christi imitatio nulla est in ipsis: & vt vno verbo dicam, diuinus ille spiritus in ijs nõ videtur, quos spirituales vocitari delectat. Neq; enim quicquam præter mundana, carnalia, superbia, auaritia, vitæq; turpitudo in nobis conspicitur, & cur miramur sermonem nostrum sine fructu perire? Nostra causa nomen Dei, verbum, honosq; negligitur, contemnitur, blasphematur. Et proculdubio sine difficultate verbum Dei priorem efficaciam sortiretur. Nos si pelles Ioannis, hoc est, spiritum vitamq; ipsius indueremur. Non sine causa veteres tot statutis piam esse voluerunt spiritualium homi-

num

num vitam, imò non frustra Paulus quid Episcopum quid Diaconum, & in his omnes Ecclesiasticos ordines deceat, præscripsit. Nempe Ecclesiam non solùm verbis conseruari, verumetiam impietate vitæ labefactarier agnouerunt. At nostra ætate, non modò Canones & statuta, sed ipse etiam Paulus despicitur. Quam autem excusationem prætendes olim in magna illa iudicij die, quando quod tua vitæ impietate verbum Dei alijs in risum abierit, de culpa redarguet? Isthæc fratres diligenter cogitemus. Neque enim sine causa Deus talem Ioannem initio habere voluit, imò verò te quoque eiuscemodi virum vult, qui si non fueris, periculosissimè habitas. Quæ si nobiscum cogitaremus, profectò vndique nos premerent angustiæ: nos, inquam Ecclesiasticos tantæ vndequaque solicitarent curæ, vt nemo hos sibi ordines illo tam graui æris pondere coëmeret, multoq; minus vi, dolo, totque hominum immerentium cruore in eos sese intruderet. Sed nulla nos huius rei cura tangit, qui honores magnificosq; titulos & commoda huius temporis venamur. Sed quid Dei vox clamat? Scio, inquit, opera tua: quia nomen habes quod viuas & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe, qualiter acceperis & audieris, & serua & pœnitentiam age. Si enim non vigilaueris, veniam ad te tanquàm fur, & nescies qua hora veniam ad te. Hac igitur ratione abundè satis dictum esse arbitror, de persona Ioannis. Nunc porrò & prædicationem illius consideremus. Hanc verò partim in Matthæo, Marco, atq; Luca scriptam legimus, vbi in hæc verba de Christo loquitur: Non sum ego Christus. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam. Venit autē fortior me, post me, cuius non sum dignus vt soluam corrigiam calciamentorum eius. Ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni. Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas aūt comburet igni inextinguibili. Hæc aliaq; id genus multa monet refertq; ad populū. Verùm in Ioanne expressiùs aliquāto, quod huius viri de Christo testimonium fuerit, describitur.

1. Tim. 3. Tit. 1.

Apoc. 3.

Matth. 3. Mar. 1. Lucæ 3.

Ioan. 1.

Ecce,

Ecce,inquit,agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi. Post me venit vir qui ante me factus est,qui prior me erat,& ego nesciebam eum. Sed vt manifestetur in Israël,propterea veni ego in aqua baptizãs. Et testimonium perhibuit,dicẽs: Quia vidi spiritũ quasi columbam descendentẽ de cœlo, & mãsit super eũ, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendẽtem,& manẽtem super eum,hic est, qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia
Ioan.3. hic est filius Dei. Et iterum: Ipsi vos testimonium perhibetis quod dixerim, non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus aut sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meũ impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. Qui desursum venit,super oẽs est. Qui est de terra, de terra est,& de terra loquitur: qui de cœlo venit,super omnes est. Et quod vidit,& audiuit, hoc testatur, & testimoniũ eius nemo accipit. Qui autem accipit eius testimonium, signauit,quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium,& omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium,habet vitam æternam: Qui aũt incredulus est filio,non videbit vitam,sed ira Dei manet super eũ. Ecce, hic Ioannis de Christo sermo est,in quo omnia ea quę rectè ac necessariò de Christo sciũtur atq; creduntur,comprehensa sunt. Agnum eum vocat, quo nomine,& innocentiam eius,& mansuetudinem, & sacrificium innuit. Sed & peccata tollentem,& spõsum & Dei filium ipsum nominat. Quid autem præstantius de Christo expectare potes ? Sed hoc quoque considera: quod Ioannes non modò Christum prænunciauerit: verumetiam viam ipsi præparauerit: idque partim durioribus verbis, vt superbas elatasque mentes,hoc est, Pharisæos in disciplinam attraheret, partim etiam amicis atque blandis, quibus valles exaltaret,hoc est,pusillanimes,& pro peccatis timidos cõsolaretur: ita planè vt nimiũ securos minis terreret: duros prauosq; doctrina corriperet: omnes ad pœnitentiam adduceret.

Hoc

Hoc modo Domino viam præparauit Ioannes, non vno dicendi genere contentus, sed pro hominum captu, conditione, atque ordine sermonem attemperauit. Id quod Angelus de eo prædixerat: Multos filiorum Israël conuertet ad dominum Deum suum. Et præcedet ante ipsum in spiritu atque virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare domino plebem perfectam. Eiusmodi prædicatores, qui docendo delectum haberent, etiamnum plurima efficere possent. Sed & hac parte laboramus. Non enim autoritatem personæ Ioannis tantùm non habemus, verumetiam nec sapientiam nec intelligentiam eius, tantumque Christum prædicamus, at viam illi non præparamus. At quam viam, quæris? peccato sepultis conniue mus, nec corripimus, nec reprehendimus, qualescunque homines sint, nihil moramur, tantumque gratiam egregiè proclamamus: & quid est, quod ad tam paucos Christum venire, obsitis nimirum vijs peccatorum repagulis, tam plenam esse Ecclesiam, phariſæorum, impiorum, Horrodorumque, miramur? Ioannes, nempe, qui Domino viam præpararet, deest. Restat tertium, quod, & ipsum in Ioanne considerandum est: Nempe, perfectum illum ingenuumque fuisse Christianum, hoc est, diligentem, imitatoremque Christi, Idque per omnem vitam ipsius: ita, vt omnibus nobis cuiuscunque conditionis perfectum satis exemplum esse possit. Innocens ille puer, pudicus iuuenis, grauis adolescens, honoratus sanctusque vir, egregius prædicator, Martyr denique patientissimus, fuit. Hinc quisque suæ & ætati & conditioni exemplum sumat. Si puer es, innocentiam eius sequere: Iuuenis, pudicitiam cole: adolescens, grauitatem imitare: vir, seueritatem, honorificentiam & sanctitatem: prædicator, virtutem, zelumque: ad Crucem vocaris, patientiam, equanimitatemque illius sequere. An non fœlix ille Ecclesiæ status, si eiusmodi Ioannes & prædicatores, & auditores haberet? Agitè ergo pro virili pellem nostram mutate, & Ioannis induere studeamus, si modò pacem fœlicitatemque volumus. Et hæc quidem breuissimè de D. Ioanne nostro dicta sint. Gratia Dei nobiscum. Amen. Luc. 1.

SERMO TERTIVS.

DE Ioanne cuius hodie per omnes Ecclesias, magno gaudio celebramus natalem, tāta & tam multa, nō modò homines, verumetiam Angeli, ipseq; adeò Christus locuti sunt, vt rectè, nemo mirari possit, tantam
Luc.1. eiꝰ apud nos permanere memoriā. Priùs enim q̄ in vtero cōciperetur, ea de ipso Angelꝰ p̄dicabat, vt Zacharias futurus pater, si possibilia essent, miraretur. Deinde ipso iā nato recēs, illa diuinorū operū maiestas circa vicinia claresceba, vt mirarētur hoīes atq; dicerēt: Quisputas puer iste erit? Postremò etiā iā penè peracto delegato sibi
Matt.11. munere, ipse Christus eius dep̄dicat laudes: Angelū eū dicit & prophetā imò & plusquā Prophetam. Pālam, maiorē inter mulierū natos surrexisse neminem, Ioanne Baptista, testificans, vt taceā interim, inter impios quoq; Iudæos, tantam eius autoritatē, existimationēque fuisse, vt Christus ipse putaretur. Eiusmodi igitur cū fuit Ioānes, nemo & hic quēdā de eo audire grauetur. Difficilè enim aliū quenq̄, in omnibus alijs, qui vtilior cōmodiorq́; Ecclesiæ fuerit, sitque etiamnum, inuenies illo. Tria igitur cōsideranda sunt in ipso. Personā, officium, ac fru
Luc.1. ctus illius. Personæ quidē propietatē, Angelus expressit, cùm ait: Erit magnus coram dño. Sanè magnus, non secundum exteriorē mensuram, hoc est lōgitudinem latitudinémue corporis: sed magnus coram domino, magnus in matris vtero, magnus in natiuitate, magnus in iuuentute, magnus in perfecta viri ætate, magnus vita, magnus in passione. In bonam enim terram plantatus, multo imbre diuinæ gratiæ irrigatus, magis creuit, seq; ipso maior factus est. Primo enim materna in aluo magnus erat, spiritu enim sancto impletus fuit. Et quid p̄stantius? Inde enim Christum priùs seipso agnouit: prius predicauit, quàm fari posset: imò prius cœlum apprehēdit, quàm terram attingeret. Et quis hanc procacē Ioannis magnitudiuem non miraretur? At quæris, quæ tibi hinc vtilitas sit? Hic, vt & ipse crescas, precare: quin & gratias age, iamdudum tibi quoque spiritum sanctum dedisse Deū, tum in ipso vt augeare, labora. Ideo enim Deus sua dona elargitur manifestè, vt alij isthæc considerantes, ad precandum moueātur. Secus diuites nostri faci-

faciunt, qui clàm erogant, ne plus postea & alijs erogare necesse habeant. Hoc ergo primùm, in Ioanne considerandum est. Fuit deinde & in natiuitate magnus, ita plenè, vt non solùm parentibus, verumetiam omnibus alijs, hæc videntibus, audientibusque admirationi esset. Omnes enim cum ipso manum Domini, adesse intelligebant. Vnde certatim ad laudem Dei erumpebant. Benedictus Dominus Deus Israël: Zacharias clamat. Hæc ergo in ipsa natiuitate contigêre: hæc illa, quæ Angelus prædixerat, gaudia sunt. Atque vtinam in nobis quoque contingerent eiusmodi. Nos mensas instruimus, conuiuia apparamus, natis liberis, his nobis gratulamur leuitatibus, cũ rectiùs & pro merito precaremur benediceremusque Deum: Vnde liberos nostros, aut nunquam, aut certè serò, coram Domino magnos fieri, sequitur. Tertiò, etiam in iuuentute Ioânes coram Domino magnus fuit. Nam & Domum paternam reliquit, & gaudia vana contempsit, & mundum refugit, seque ad deserta contulit. Animam enim bonam consecutus, corpus immaculatum custodire studuit. Id quod difficillimè in hoc Mundo fit. Qui enim tangit picem, inquinatur ab ea, & cum peruersorum conuersatione, facilè peruertitur, & corrumpunt bonos mores, colloquia praua. Quicquid animam coinquinare potest, omne inuisum Ioanni est: Conuenientius atq; salubrius arbitratus, solitarium, aut cum feris esse, quàm cum impijs: Id quod vtinam illi considerarent, qui liberos suos in mundi medio cõmorari cõpellunt, ipsorumq; eo ipso magna perditionis horrendæ causa sunt. An non rectiùs cum Ioanne, in deserta eos cõmitteremus, vbi magni coram Deo succrescimus? In mundo deficimus decrescimusq;. Id quod ipse etiam Dauid rex considerauit, qui in deserto positus, multos egregiæ pietatis composuit Psalmos, verùm in mundum rediens, in adulterij crimen lapsus est. Et Moses quidẽ deserti accola, ita vires sumpsit crescens, vt etiam Deum videre atque audire posset. Sic etiam Elias. Et quid multa? Quis enim, in quam celsitatem ac magnitudinem Ioannes in deserto positus excreuit, non videt? Dicere quis potuisset, ecquid in deserto desidet? Cui proficit? Sed cum definitũ

Sapien. 8.
Eccl. 13.
Psal. 17.
1. Cor. 15.
2. Reg. 11.
Exod. 3.
3. Reg. 19.

illi tempus aduenisset, ea autoritate progreditur, vt omnium in se tanquam in nouum hominem, raperet oculos. Nunquam sanè tantus in Mundo creuisset. Hac ratione veteres Credentes, liberos suos ab ineunte ætate è Mundo extractos, desertis commiserunt, hoc est, ijs locis, vbi Dei timorem, pietatemq; addiscerent, quales cœnobia olim fuerunt, tradiderunt. Tum si quando requirebatur vnus aliquis Ioannes, deserta illa, nimirum pietatis Scholæ, plures dabant. Id quod vehemẽter è re sua esse, Ecclesia didicit. At nos, quæ huius seculi est peruersitas, mundum refugientes, seque negotijs tumultuarijs abdicantes, diris prosequimur, quasi verò otiosi inertesque sint, nullusq; præter mundi externaq;
Lucæ. 10 impedimenta, labor superst. Sic Martha Mariam sororem desidem iudicãbat: Sed Christus longè secus docet. Verum crede mihi: verbo Dei occupari, orare atque contemplari, non est otiari. Populus Israëliticus,
Exod. 17. olim ad pugnam procedentes, otiosum esse Mosen arbitrabantur, sed plus omnibus laborauit. Et sanè Ioannẽ quicquam mechanici exercuisse non legimus, veruntamen otiosus non fuit, somnolentia enim, aut inerti otio, ad eam perfectionem nunquam peruenisset. Vigilantia autem, & abstinentia, & oratione is tantus euasit. Sed de hoc satis. Quartò, & in vita Ioannes magnus fuit, maximè quod tam validè Mundo, ac carni renunciauit, hoc enim ipso, multò maior illis cẽsendus est, quos aliquãdo Mundus, magni, noïe dignatus est: vt Alexander, Põpeius & alij, qui licet magni essent, concupiscentiarum & appetitus tamen erant mancipia. Fuit autẽ & prædicatione Ioannes magnus. Et hæc ipsius magnitu-
Malach. 3 do olim per Prophetas prænũciata fuit. Malachias enim,
Isaiæ. 40. Angelum eũ dicit, Isaias clamãtem vocẽ prædicat. Neq; id frustra: Tam vehemẽti enim sonitu pertonauit omnẽ illam regionẽ, vt etiam oës accurrerent, publicanos atq; peccatores conuerteret, sed & Cædros Libani, hoc est, Herodes, Pharisæosq;, elatos agitauit, mouit, concussit. Ecce hæc ipsa Ioannis persona fuit, atq; modò est. Eum hominem DEVS Ecclesiæ suæ primùm præposuit, in quo successores sese, tanquam in speculo quodam contemplarentur. Vtinam sæpius ipsum contueremur. Sed

quod

quod officium ipsius? Breuiter, idem illi, quod & Legi, officium fuit: nempe, parare Domino viam, atque de Christo testificari. Sed lex hoc modo Christo viam prę parauit, vt primò peccata hominibus sua ob oculos pro- Ioan.12. poneret, deinde mox Christum ostenderet. Eadem & Ioannis prædicatio fuit, cuius exordium, pœnitentiæ doctrinam habebat, deinde agnum Mundi peccata tollentem monstrabat. Hanc viam etiamnum in nobis Ioannes præparat, pœnitentiæ enim prædicatio, ad peccatorum agnitionem, ad contritionem commissorum vocat, præterea etiam ad medicum ducit Christum, tot testimonijs. Atque vtinam idem fructus nunc sequeretur, qui olim dum ipse prædicaret. Sed à diebus Ioan- Matth.11. nis Baptistæ, inquit Christus, regnum cœlorum vim patitur. Et in hodierna lectione: Reges videbunt, & cõsurgunt Principes, & adorabunt Dominum Deum. Hic fructus est, qui ex memoria festoq; Ioannis metiri debuit, nempe, vt ardentiùs incumberemus, regnum Dei ad nos attrahere, quando eam ob causam Ioannes missus, venit, atque Dei gratiam vbique prædicare exorsus est. Sustollamus igitur oculos, & natos nos in hæc gratiæ tempora, lætemur. Gratia Dei nobiscũ, Amen.

SERMO QVARTVS.

Quando hoc festũ cum S.S. corporis Christi solennitate coincidit.

MIrè hoc anno festi dies, & mihi quidem, quæ nũc mea est conditio inconuenientissimè coincidunt. Duæ enim hac vna die solennitates festiuæ, ambæ celebres obtingunt: prima est ordinati Sacramenti commemoratio: altera Ioannis Baptistæ memoria: Vtraq; plena suauitatis atq; cõsolationis est, vtraq; etiam Euangelijs fundata firmissimè. Primò enim haud facilè quicquam in Euangelio, ab Euangelistis diligentius, consolantius, conformiusque, præter huius Sacramenti institutionem, perscriptum inuenies. Cuius rei cuilibet obuia sunt testimonia, in Matthæo, Marco, & Matth.26 Luca: Tum etiam in prima ad Corinthios. Id verò sin- 1.Cor.11. gularem meretur & festiuitatem & sermonẽ, prętera & hoc constat, post Christũ, hominem esse nullum, cuius

vel honorificentior memoria sit, vel maiore cum maiestate describatur natiuitas, quàm Ioānis Baptistæ. Primò
Marc. 6. enim in Marco legimus, quod ipse etiā Herodes Ioannē
Matth. 14 timuerit, sciens eū virum iustū & sanctū. Deinde popu-
& 11. lus vniuersus non iam Prophetam eum, sed ipsum etiam Messiam arbitratur, reuerebaturq; Tertiò & ipse Christus maiora illi testimonia contulit, cum inter natos mulierum non surrexisse maiorem Ioanne Baptista, asserit. Id quod & ipsum proprio sermone explicandum esset, priuataque festiuitate commemorandum. Et quidem quod ad vtranque festiuitatem attinet, concurrentibus hoc anno duobus, in vnam diem festis, perappositè factum est, vt cuique propria deputata sit dies, & hodie S.S. corporis & sanguinis Christi memoriam: ac sequenti die Ioannis Baptistæ natalem celebremus. At sermo deerit, vt enim nunc me affectum sentio, vosque ipsi debilitatum intelligitis, craſtinus sermo prætermittendus mihi erit, si modo Dominica die sermo mihi habendus erit. Quanquam & aliàs quoque sextis ferijs, concionari admodum parum volupe mihi est: nimirum, hic: non enim conueniunt, Euangelij concio, & nundinæ: Christus & Belial. Veruntamen maximus mihi dolor est, si quando (Deum testor) sermo mihi intermittendus est: maximè verò cras, quod Ioanni solēnis dies, meumq; festum est, non solùm ideo quod Ioannes ipse dicar, illoq; die natus sim: verumetiā ac multo magis, quod hoc die primam in hac æde concionem habuerim. Atq; hic quidē septimus annus est. Verū secus nunc fieri non potest. At ne omnino inconsideratè nobis prętereat Ioannes, huius sermonis exordio deseruiet. Et quis decētius id Ioanne facit? Quisue nouit melius? Si Christo viam parare potuit, vt certatim omnes accurrerent publicani, milites, qui ante nec Deum, nec propriam salutem curabant: profecto & nobis viā præparabit, occasionemq; eorū quę ad hanc festiuitatē pertinent, dabit. Atque vtinam hac festiuitate eiusmodi Ioannem haberemus, qui non nudis incederet verbis, sed in spiritu atq; virtute Eliæ præiret: talis omnino hominum mentes accendere ad amorem reuerentiamq; huius sacramenti posset, vt eodem, quo patres nostri, sensu ambu

ambularemus. Imò vero, vtinam vel vnã Ioannis prædicationem cõprehenderemus, quæ sola digna huic festæ diei foret exhortatio. Et quę illa Ioannis prædicatio? Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Quid autem tota hæc festiuitas, nisi acclamatio quædam est huiusce modi? Cur nunc denuo sacramenti huius peragitur memoria? Cur non ipsa institutionis die dictis quiescimus? Imò cur toties nobis ostenditur Sacramẽtum? Et quam ob causam per plateas iuxta domos transfertur, nisi vt quasi dicatur nobis: Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi? Admonemur nimirum, cogitemus quãto pretio conempti sumus, quomodo Deus pro sua misericordia atq; gratia nostri curam gerens, tam ineffabili Charitate præuenerit nos, & quod omnes tantæ gratiæ participes simus. Hęc enim omnia Ioannis verba cõplectuntur: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. His enim Christum immolandum, quemadmodũ olim agnus in Aegypto, suoq; sanguine hostem subacturum significauit. Ecce agnus Dei, atq; gratia factũ esse indicauit. Ecce qui tollit peccata mundi. Quod enim nõ vnius hominis, sed Mundi, dixit: hoc ostendit, quod omnes in ipso saluari possint. Et quid nobis magis necessarium eiusmodi exhortatione? Tribus hic mundus vicijs laborat, certissimum toti orbi exitiũ, maximè his partibus, allaturis. Primum est: tanta violentia abundare iniquitatem omniũ. Secundũ: omnẽ erga Deũ diuinaq; omnia deuotionem Charitatemq; refriguisse. Tertiũ oẽs nos inuicẽ dissectos esse. Hæc sunt, inquam, quæ nobis certissimam calamitatẽ superinducũt. Extincto enim in nobis deuotionis ardore, suã quoq; Deus à nobis manum subtrahit. Abundantẽ iniquitatẽ pœna seqtur iusta, nec tardabit: sed & dissidijs animorũ concordia rũpentibus, pessum iri oĩa necessum est. Quid verò tanto huic malo rectiùs tẽpestiuiùsq; obuiare posset, pręter hanc festiuitatem, atq; Ioannis sermonẽ? An possibile est, tanta pertinacia, proteruia, impietateque nos in varia scelera leuitatesq; præcipitaturos esse, si magno nos coemptos pretio cõsideraremus? Ecce agnus Dei, clamat ille, ecce atque cõsiderate Christo inaugurati oẽs, pro vobis immolatum agnum? Deinde, an tãta esse poterit ingratitudo, irre-

Ioan. 1.
Exod. 12.

Triplex in mũdo vitiũ pestiferũ ecclesiæ.

do,irreligiositas nostra, tã enormis acedia erga Dei cultum,tam impudẽs socordia erga oẽm pietatẽ erit, si quã nobis per Christum dilectionẽ beneficẽtiamq; prẽstitit Deus diligentiùs cogitauerimus? Ecce agnus Dei Ioánes ait: Videte & cogitate nõ modo agnũ qui pro vobis passus est,verumetiã Deum vestrũ,qui sic mundũ dilexit,vt filiũ suum daret vnigenitũ,vt oís qui credit in illũ non pereat sed habeat vitã æternã: Et hoc secundũ. Tertiò: An fortè ita nos disipabimus,inuicẽ cõtemnemus, maledicturiue sumus, an tãtis furijs, alter in alteri⁹ perditionem cõcitabimur: si Christũ pro oibus simul mortuum fuisse, vt mediũ inimicitiarũ parietem tolleret, ex duobus,imò oibus populis, vnam Ecclesiã formaret, in qua vnicus baptismus,vna fides, vnus Deus, vna vocatio,vnaq; spes esset,cogitauerimus? Ecce agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi. Videte atq; cogitate Credentes,inq; huius sacramenti aspectu cõsiderate,summa vos colligatos dilectione, vt vnus essetis panis, qui oẽs de vno pane participatis: vnum corpus, qui vnius vos capitis membra agnoscitis. Ecce quomodo & Ioannis prędicatio,non autem festum hoc tantùm,à pctis absterrere, ad pietatem incitare, inq; vera vnitate conseruare possit. Et quid nobis vniuersæque Ecclesiæ obtingere posset vel melius vel vtilius? Quando igitur vna hac die cum Sacramentũ tum Ioannis festiuitas cõueniunt, agè quisquis ingenuè Christianus es, tu quoq; vtrunq; cõiunge,& quotiescunque Sacramentum illud videndum datur,fit,quasi Ioannes iuxta staret,atque ter accineret: Ecce agnus Dei. Hæc pro peccatis vestris victima est, hæc certissima plenæ dilectionis Dei arra est. Hoc vinculum quo colligimini credentes, in quo mutuo agnoscitis fratres atq; Domesticos. Deũ immortalẽ,si hęc tenemus quantũ hodie didicissem⁹,quàm pulchrè hãc festiuitatem peregissemus? Hoc igitur dicere volui,quod Ioánes quoq; in hac festiuitate partem suam tuetur.

SERMO QVINTVS.

Collatio Ioannis atque Eliæ.

QVod in huius festiuitatis sermone exordiũ longè quæram, nõ est: Eliæ enim historia non modo exordium mihi, sed totam etiam vitam Ioannis nostri

nostri docebit. Id si quis miratur, primũ, Lucæ, vndeci- Luc. 1.
mum & decimũ septimum Matthæi capita legat, & nul- Matt. 17.
lum totius anni festũ tam aptè Elię historię cõuenire, at
que hoc ipsum intelliget. Qui sic quæris? Priusquam
nasceretur Ioannes, in spiritu atque virtute Elię, præces-
surus ante Messiam, ipsiq; viam præparaturus, Prophe-
tarum angelorumque oraculis prædicitur. Tum Chri-
stus ipsum esse Eliam aperte testatur, nimirum quę pro-
phetæ prędixissent venturum, atque Christũ pręcessu-
rum esse. Omnes prophetę & Lex vsque ad Ioannem Matt. 11.
prophetauerũt, & si vultis recipere ipse est Elias, qui vẽ-
turus est. Qui habet aures audiendi audiat. Et alibi inter
rogantibus discipulis: Quid ergo dicũt pharisæi & Scri-
bæ: quia Eliam oportet primum venire? respondit: Elias Matt. 17.
cũ venerit primò, restituet omnia. Sed dico vobis quia
Elias iam venit non cognouerunt eum, sed fecerunt illi
quæcunq; voluerunt. Et sequitur mox: Et intellexerunt
discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis. Verũ ne-
mo hic titubet, quod Ioãnes (vt in alio Euangelista est)
interrogatus, an Elias esset, respondit. Non sum, similitu
dinem quidem habet repugnantiæ, sed reuera nõ est. Al-
terũ enim personam respicit, alterum virtutem atq; Spi-
ritum. Persona quidẽ Elias non erat Ioannes, verissimè
tamen Elias erat officio atq; spiritu. Quẽ enim ille quon
dã exhibebat zelũ aduersus idolatras, eundẽ Ioannes in
cõuersione populorũ ad Christum, suo tempore ostẽdit.
Id quod multa demõstratione non eget. Vtriusq; enim
historia, pari eos spiritu atque zelo fuisse prædítos ma-
nifestat, etiam si nec Angelus nec Christus ipsos con-
tulisset. Quod enim hactenus in Elia videre licuit, idem
in Ioanne considerabamus hodie. Elias Propheta erat, erat
& Ioannes, imò plus quàm propheta hic erat. Elias eo ip
so tẽpore, cũ idolatria feruentissima, impij pernicacis-
mi essent, mittitur: Ioannes quoq; cum oẽs ferè promis-
siones Dei in obliuionẽ abierant, eoq; credentes tes diffi
dentiores essent, prodijt. Eliæ sermo vt ignis ardebat, Io
annis verba hominum mentes accẽdebant, vt publicani
etiam atque milites, gens alioqui impia concuterentur,
consiliumq; & spem quæsitã acquirerent. Elias nihil cu- Matt. 11.
rabat Mundum, refugium quæritabat eremi, Ioannes ab

infantia deserti fuit cultor, quousq; Deo iubente prædicationem suam exordiretur. Elias omnibus viribus impugnabat Impios, idē Ioannes fecit: nemini pepercit Elias ita & Ioannes. Elias Achab, Ioannes Herodē arguit. Et quid lōga collatiōe vtor? Tantū textus verba sensumque mihi sumam quem proximè recitaui, illis quomodo Elias atq; Ioannes vnius spiritus, animiq; fuerint nō modo erga Deū, verumetiā erga homines, videbimus. Audiuimus ergo superiùs, quomodo Elias Achab, nihil regiū diadema veritus, acerbè corripuerit, vt qui eius facti mādatum illius qui super oēs reges est, haberet. Occidisti, ait, insuper & possedisti. Hęc ergo dicit Dominus: in
3. Reg. 21. loco in quo linxerūt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. Quibus verbis Achab nihil respōdit, nisi quod diceret: Inuenisti me inimicum tibi? Quod vt quid mihi repugnas, nūquàm à me lacessitus. Vbi rectè colligetur Regem timuisse Prophetā, & non contrà. Propterea ait: Inueni: eo quod venundatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini. Ac si propheta diceret: Qui Dei inimicus est, etiam meus hostis est: qui Deo reluctatur, amicū dicere nequeo meum. An nō simi lia quædā in Ioanne inueniantur? Ioannes, inquit Euan
Marc. 6. gelistā, arguebat Herodē dicens: Nō licet tibi fratris tui habere coniugē. Herodes aūt metuebat Ioannē, sciens eū virū iustum & sanctum. Vide ergo num vtrobiq; idē factum, idemq; sit spiritus? Vtrobique spiritus verax, grauitas, cōstantiaque in his prædicatoribus consideratur. Vtrobiq; diuini verbi virtus cernitur. Vtrobiq; filiorū Adæ natura cōspicua est. Quæris qui sic? Ecce veracem spiritū, grauitatē, constantiāq;, quæ ita sese in propheta ostenderūt, vt rectè de eo dici potuit: In diebus suis nō
Eccl. 48. pertimuit principē, & potentia nemo vicit illū: cum ea verbi Dei potentia est, vt etiā Impios terrefaciat. Quod si suo cōmodo impendere nolunt, ad æternum cruciatū audient. Hæc semper Adamo genitorū natura fuit, nullū delictorum correctorem amicum putauerunt vnquā. Sic impius Achab fecit. Quod si Elias tacere, cōuenire, ac blandiri potuisset, sanè Achab amicus fuisset reputatus, sed quia arguit, inimicus habetur, imò nullius sibi rex impius hostibus faciuoris in Eliam conscius, iniuriā

fieri

fieri sibi, dum à Propheta corripitur, autumat. Summa enim in mundo iniuria est, corripi atque moneri. Idem Ioanni euenit. Et quid peruersius? Achab Eliam inimicũ suum iudicabat, eo quod argueret, verus tamen amicus illius erat, tantum si amici consilium secutus fuisset impius. Alios in impietatem instigantes, sceque strenuos iniquitatis augẽdæ adiutores offerẽtes, intimos amicos putabat suos, cum re vera essent inimici: quod ad certissimã perditionem regem totámque familiã pertraherent, secundum hæc externa: quod enim ad animam, iam antè perierat. Ita & Herodes, qui conuenientibus adulterio suo, amicus erat. Quod quia Ioànes arguebat, carceri inclusus tenebatur, imò capite plectebatur. Sed Euẽtus rerũ docuit, quis fidus cõsilio amicus fuerit. Idem morbus etiamnum perdurat, nemo vult corripi. Quotidie enim experimur Eliam atque Ioannem admodum parum inire gratiæ coram mundo, sed propterea cessandum non est, imò hanc ob causam vterque hic proponitur, Vterque constantis verique prædicatoris exemplum habet. Non ideo cessandum est, quia Mundus audire recusat. Quanquam enim Achab cum sua Iesabel inuitus audiret, non tamen Elias destitit, Idémque Ioannes fecit. Cũ igitur tã sibi inuicẽ conformes hi duo sunt, simul etiã atque vna eos nobis inculcemus, ipsique quantum licet conformes fieri studeamus. Gratia Dei nobiscum. Amen.

SERMO SEXTVS.

SI quis Euangelij huius historiam nouerit, facilè quidẽ si modo communi ratione prẽditus fuerit, quis Ioannes, cuius hodie natalẽ peragimus, quod officiũ eius, quid in terris effecerit, et quis eius vsus sit, intelliget. Quinimò Ecclesiasticarũ rerum gnarus, primò mox historiæ illius intuitu, dignam iustamque hanc illi animam memoriam tribui iudicabit. In ipsa enim historia clarè demonstratur, quod de Ioanne prædicauit Christus nimirum inter natos mulierum non surrexisse maiorem Ioanne Baptista. Magnos quidem hic mundus & excellentes viros habuit, præstantiores verò Ecclesia: neutra tamen in parte, maior hoc Ioanne Baptista surrexit. Omnia enim in illo noua, omnia rara, excellentia, sancta: ita vt scriptura veluti de nouo quodã homine, cui similẽ hic

Mundus

Mundus non viderit, loquatur, quandocunq; ipſius mẽ
tionem facit. Fuit homo miſſus à Deo, Ioannes ait, cui
Ioan.1. nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium vt te-
ſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederẽt per
illum. Sumus quidem homines etiam nos in Ioanne, ta-
men illud nouum eſt, quod mirabiliter conceptus, in
natiuitate miraculis decoratus eſt. Peculiaris quidam ho
mo fuit. Deinde quoque & alij quidam hoc nomine Io-
annis appellati ſunt. Sed hoc ipſum illi nouum eſt, quod
nomen hoc, non ab hominibus, ſed ab Angelis inditum
accepit, nec nudum, ſed ipſam nomnis ſignificationem
atque virtutem: Ioannes enim Gratiã ſignificat. In quo
verò diuina gratia clariùs luxit, aut quis Chriſtum prę-
dicauit clariùs? Præterea ſunt & alij prophetæ à Deo
miſſi, ſed hoc in Ioanne nouum eſt, quod non mo-
Malach. 3 dò miſſus, verumetiam per Malachiam promiſſus, of-
ficiumque eius per Iſaiam prophetas vaticinatum eſt,
Iſaiæ. 40 Propterea peculiari quodam modo miſſus à Deo dici-
tur. Poſtremò & alij prophetę teſtimonium veritati per-
hibuerunt, ſed hoc in Ioanne nouum eſt, quod non, vt
alij, de venturo Chriſto loquutus eſt, ſed præſentem di-
gito monſtrauit. An fortaſſe magnus hic, Ioãnes enume-
ratis his cauſis, iudignus erit, cuius honorifica memoria
in Credentibus vigeat conſerueturque? in hoc cardo
rei vertitur, vt diuina opera, cum in conceptione, tùm
etiam in natiuitate facta diligenter conſideremus, dein-
de & prædicationem illius attendamus, deniq; & vi-
tæ conuerſationem. In primo certiſsima diuinæ bonita-
tis, veritatis, atque potentiæ videbimus ſigna: Idque
noſtro bono. In ſecundo, Chriſtianæ doctrinæ modum
inneniemus. In tertio, perfectæ vitæ exemplum habe-
bimus obuium. Si quæ tibi de Deo ſperanda ſunt hæſi-
tas: quid in Ioannis natiuitate contigerit, vide. Nor-
mam veræ doctrinę petis: Ioannis prędicationem obſer-
ua. Quæ vitæ ratio ſequenda ſit pijs ignoras? Ioannis
vitam aſpice. Hæc qui fecerit, præſentem feſtiuitatem
rectè celebrauerit. Gratia Dei nobiſcum, vt Ioannis
adhortationem ſequentes, ad eum perueniamus ſecu-
rè, quem ipſe prædixit, Ieſum Chriſtum dominum no-
ſtrum. Amen.

SERMO

SERMO SEPTIMVS.

PRæter alia, illud quoq; in hoc Euangelio ostenditur, quod ea diuinorum operũ in Ioannis baptistæ natiuitate fuerit maiestas, vt nõ modò propinqui ac vicini, quicquid de nato infante futurum esset mirarentur, verumetiã alij, quorum fines hæc pueri fama percrebuisset, ostupefacti inuicem quærerẽt: Quis putas puer iste erit? Quin hodie etiã admirari quis posset, quæ Dei hoc ipso facto fuerit intẽtio, vt hoc ipso puero, & in ipsa quidem natiuitate, tot signa fecerit, nusquã cùm simile legatur in vlla historia: nempe, tot in vnius natiuitate hominis signa facta fuisse, excepto Christo. Est alioqui minimè rarum, Deum mirabilia in sanctis suis fecisse: facit etiamnũ nomenq; tenet, in sanctis esse mirabilẽ: sed hic tantũ de Ioannis natiuitate loquor, in nulla aliqua historia eiusmodi, tot signa inuenio. Mirabile erat Isaac atque Samuelem senio confectis & antea sterilibus genitos fuisse matribus. Mirabile etiam Ieremiam in matris vtero fuisse sanctificatum, inque Prophetam electũ. Mirabile erat, Mariam sine originali peccato conceptã fuisse. In Ioanne verò non vnũ aliquod, sed multa simul cõsiderãtur miracula. Annunciatur, proprio ac inusitato nomine vocatur, ad præstãtissima peculiariaq; munia ordinatur ab Angelo: anicula & nunquã priùs fœcunda matre conceptus in hanc lucem editur. Mirabilis Deus in Patre, quem pro incredulitate sua quasi elinguem fecit: mirabilis in matre, quod repletã spiritu sancto, præsentiã Domini ad huc in virginea aluo clausi cognoscere docuit: mirabilis in Ioanne, adhuc maternis visceribus absconsum exultare faciens in gaudio. Rursus in Zacharia mirabilis, linguæ eius vinculum nato infante soluens. Hæc admiranda erant, cunctisq; ad stuporem adactis, in hanc vocem erũpere facit. Quisputas puer iste erit? Etenim manus domini esset cũ eo. Posset quis non abre etiamnum secum mirari, ac quærere: Ecquid tot in infante exhibitis signis Deus voluit? Sanè sine graui & vrgente causa factũ non est. Ipsum munus, cui Ioannes destinabatur, eiusmodi signa Dei in ipso postulabat. Et quod officium? Ipse Deus in Malachia dicit: Ecce mitto angelum meũ & præparabit viã ante faciẽ meam. Et in Isaia

Luc. 1.

Psal. 67.
Gen. 17.
1. Reg. 1.
Iere. 1.
Luc. 1.

Malach. 3

legi-

Isa.40. legim⁹: Vox clamantis in deserto. Parate viã Dñi, rectas facite semitas Dei nostri in solitudine. oĩs vallis exaltabitur, & oĩs mõs & collis humiliabitur. Ioãnis primo legimus, hominẽ à Deo fuisse missum, nomine Ioannẽ. Venisse hũc vt testimoniũ perhiberet de lumine, vt oẽs crederẽt per illũ. Tũ Angelus Lucæ primo capite sic de eo refert: Ipse præcedet ante Dñm in spiritu & virtute Elię. Deinde ipse etiã p Zacharriã ipsum alloquitur dicens: Et tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis em̃ ante faciem dñi parare vias eius, ad dandã scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum. Ecce Ioannis officium præire ante Christum, vt fortem antesignanũ decet, vt prophetam acclamantem vocẽ Christo parare viã in hominũ mẽtibus: testificari de vero ęternoq; lumine, quo omnes illuminamur: conuertere corda patrũ in filios, & incredulos ad prudentiam iustorũ: dare scientiã salutis plebi eius in remissionẽ peccatorum eorum: et sic Dño perfectã tandẽ parare. Hæc omnia officij sunt Ioannis. Hic magna corã mundo autoritas requirebatur, qua sine quid horũ effecisset? Præstãs esset persona decebat, tãta expediturus negotia. Ecce, eã ob causam, tãta Deus in ipso ante postq; natiuitatẽ effecit, ideo etiã à spiritu S. à iuuẽtute ad deserta, deserta inquã: lõgè ab hominũ cõuersatione, ad eã vitæ asperitatẽ adactus est, ideo etiã tot retro seculis officiũ munusq; eius prænũciari Deus voluit. ideo ipse Christus tã de eo honorificã mentionẽ fecit, vt cũ mundo manifestaturus eũ esset, maiore æstimatione in vulgus prodire faceret. Et quidẽ speratus successit euentus, & tanta qui strennuus grauitate prædicaret, regniq; cœlestis negotiũ ꝓmoueret, solo excepto Christo, alius inuẽtus nemo est. Vnde factũ est, vt nemo tã desęs, qui tantũ virũ corã videre atq; audire nõ laboraret: nemo tã impius, qui ab eo consiliũ non quæreret: nemo tã pusillanimis, qui in ipsius sermone hæsitaret; nemo tã magnus, qui nõ inquireret: nemo deniq; tam potẽs, qui ipsum à propositi semita retraheret, omnes ipsum Messiã esse iudicabant, suscepissentq; tanquã promissum saluatorẽ Regẽ, nisi ab ipso fuissent prohibiti, se nõ esse Christum cõfitente. Vnde non immeritò de eo Christus ait:

Luc.1.

Matt.11. Inter natos mulierũ non surrexit maior Ioanne Baptista.

Sanè

Sanè verò: Magnus & admirabils puer erat, nõ modò animá bonam, sed corpus etiã incontaminatum nactus. Magnus vir, & qui cũ egregia effecit, tum multa quoq; passus est. Magnus propheta, nam & præteritorũ, & præsentium, & futurorum mysteria rationesq; patefecit. Magnus Doctor, verbo enim atque opere docuit. Magna lux, arsit enim atque luxit. Magna vox, nam & pœnitentiam, & gratiã, saluatorẽq; proclamauit. Ecce tibi Ioannẽ, cuius tanta hodie apud oẽs credentes memoria celebratur, idque nõ immeritò. Nã & hodie multũ cõmodare potest. Quam.n. ob causam gaudendũ sit, ipsius nos docet natiuitas, nimirũ in Deo eiusque laude. Ioãnis vitã respice, & pro tua negligentia rubore suffunderis, quòd tuã vitam illius vehementer sis consideratus dissimilem. Ioannes enim mundũ refugit, tu cõtra totum mundũ ad te attrahis. Ille in labore, tu verò in otio viuis. Ille in ieiunio vixit, tu cõtra in luxuria, Ille corpus suum castigauit, tu voluptatibus seruis. Ille sine vino, tu in ebrietate. Ille in camelorum pilis, tu in mollibus vestibus. Ille in deserto, tu in aulis principũ. Ille paucis cõtentus, tu insatiabilis. Vides ergo quomodo Ioannis vita, nostrã arguat? Posset ergo ipsius nos hoc modo ad Deum vita cõuertere. Maximè verò hoc prædicatio eius posset, qua breui ac succincto modo præteritorum commissorum pœnitentiam, deinde etiam fidẽ in Christũ tanquã vnicũ mediatorem docuit. Agè ergo hunc nobis Ecclesia hac die Baptistam proponit, si quo modo conuerti voluerimus ad dominũ Deum nostrũ. Ipsum ergo intueamur, ipsum sequamur, tũ haud dubiè eã apud Deũ merebimur laudẽ, quam hic Ioannes noster præ cæteris adeptus est. Gratia Dei nobiscum. Amen.

SERMO OCTAVVS.

Collatio Iosiæ & Ioannis.

QVod in hesterna tractatione dicebã postremùm, illud hodierni sermonis erit exordium. Inter cætera verò quæ in ea Regũ historia sunt, cogitandum proposuerã quomodo præter omniũ expectationẽ gratiã suã Deus abundãter in Iosia ostẽdisset. Id quod proculdubio hominũ vulgo non exiguã admirationẽ, pijs verò etingẽs gaudiũ attulit: nimirũ cũctis cogitãtib⁹quã nihil

virtutis

virtutis in parente suo Iosias posset vel cõcipere vel imitari, eoq́ue pro Rege impium paternæ iniquitatis imitatorem seu hæredem expectantibus: de carne enim caro
Ioan.3. nascitur, & placidam non lupus rapax ouẽ procreat, nec à degenere malaq́; arbore bonos quis fructus expectat. Vnde maior omnium & admiratio & gaudium fuit, tã diuitem & veluti procacẽ in puero Iosia Dei luxisse miserantis gratiã. Et ipsum illud est, quòd festinitati huic atque Euangelio perappositè conuenit. Quid.n. in Ioannis nostri natiuitate vel videtur vel auditur, præter admirandã gratiæ factorumq́; Dei excellentiã, quę ita sese in hoc puero exhibet, vt cũ præsentes, iuxta angeli vaticiniũ, exultarẽt: tum etiã famã eius rei audientes admirarẽtur, altisq́; omnia mẽtibus reponerẽt, inuicemq́; quispultas puer iste erit? disquirerẽt: Etenim manus Dñi erat cũ eo, hoc est, gratia atq; omnipotẽtia Dei sese prẽsentem in eo, & nõ solũ in eo, verumetiã in vtroq; parẽte, manifestauit. Tria enim miracula in patre, tria in matre, totidẽq́; in Ioanne filio omnibus erant conspicua. Patri enim apparuit Angelus prænuncians promittensq́; filium. Sed Angelo diffidens pater obmutuit, postea verò vbi natum infantẽ aspexit, rursus loqui cœpit. Mater Elizabeth sterilis, iãq́; senio cõfecta anicula erat, cõcipit tñ ac parit, insuper spiritu sancto repletur. Ipse verò Ioãnes infans sanctificatur in vtero, necdũ natus christũ cognouit, nomẽque suũ nõ ab homine inditũ sed ab angelo prædictũ susceperit. Et hæc illa est, quę cũ puero erat manus Dñi. Hoc modo gratia se Dei in natali pueri ostẽdit. Quid ergo miramur, si nõ modò pij gauisi sunt, verumetiã alij hęc audiẽtes stupefacti? Verũ in tã tenera pueri ætate Deo tãtẽ pestiuè operãte, egregia quædã subsecutura fuisse etiam, nemo dubitabat. Nec mirũ, tã diuite diuina gratia cœlitꝰ tã citò rigatũ, in eã prę cæteris succrescere altitudinem, quemadmodũ & Ioãnes ea quã ab initio habuit gratia in eã sublimitatẽ accreuit, vt nõ tantũ Angelo prænũciãte, Magnus corã Dño futurus prædicaretur, verumetiã ipso
Matt.11. Dño testãte, inter natos mulierũ maiorẽ illo nõ surrexisse prædicatur. Quid si quis quærat, qua in re hæc Ioannis magnitudo siue præstantia, qua cæteros antecellit, constiterit: huic ipse Christus respõdet: Non ea quę in Ioanne prædi-

prædicamus præstantia est, quasi corpore, diuitijs, amicis aut ætate relíquos antecelluerit maiorq; fuerit. Sed hæc fuit: principio quod fide sua nō vti arundo, sed quasi Cedrus nullo vēto motus perstitit: secūdo, quod nullius hominis fauorē, nullaq; mundi gaudia quæsiuit: Tertio, q̄ ita omniū illius religionis mētes prædicatione, ac baptismo suo permouit, vt oēs accurrerēt, coramq; eiuscemodi hominē videre atq; audire, ab ipso etiā doceri cuperēt: Quartò, q̄ nō solum Propheta, sed & plusquā propheta fuit. Hæc omnia ipse christus de eo prædicat. Et quod illi maius, vtilius, certiusq; testimonium dari posset? Et quidē ea omnia in ipso certa atq; cōperta sunt. Quid homines vel ad faciendū, honore, vel ad prætermittendū, timore magis incitat prohibetq;? Quid Absolonē, in impium illū, pulsandi regno patrē impulit conatum, præter honores? Vtrunq; Ioanni ad manus fuit, nihilominus tñ in cōstantia perseuerat: vulgus eum Christum æstimabat, eūq; pro Messia susciperent, qui maximus illius gentis honos erat, sed noluit, sed cōfessus est, & nō negauit: Quia, inquit, nō sum ego christus. Cōtrà Iudæorum pri Ioan. 1.
mores imperiosē quærebāt, quid baptizaret, cū nō esset Christus. Sed minimè cōterritus est. Herodes rex in car Mar. 6.
cere inclusit, at ipse in veritate professa cōstitit. Tū Lucas Luc. 3.
ab ineunte ætate deserta incoluisse eum testis est. Alij verò locustis ac melle siluestri pro cibo vsum fuisse referunt. Id quod clarè demonstrat, nec gaudium in mundo, Matt. 3.
nec amicitias hominū quæsiuisse eum, aut ambitiosē concupiuisse. Deus illi & fundamentum erat & finis. Tū verò ita clarè in Euāgelijs qua grauitate, nullius cuiuslibet sortis hominis timore, prędicauerit perscriptum est, vt lōgiore probatione nō sit opus. Denique etiā & propheta plusquā ꝓpheta fuit. Quæris quomodo plusquā ꝓpheta fuerit? Ecce mōstrauit corā, quē oēs Prophetę alij venturū esse prædixerant. Deinde etiā ꝓphetauit adhuc in matris aluo positus, exultans & gestiēs. Tertiò tantam ꝓphetice gratiæ abundantiā cōsecutus, vt ipsi² parētes etiam inde participarint ꝓpheticum spiritum. Ad hæc, oīa illius ꝓphetarunt: Nam & natiuitas eius mox futuræ Christi natiuitatis præsagium erat. Quemadmodum & aurora ꝓpinqui solis spē adfert. Nomen Ioannes adesse Dei gra

tiam indicio erat. Ioannes enim gratia dicitur. Prædicatio eius sequentis prædicationis, peccatorumque ablutionis vaticinium erat. Admiranda vita ipsius futurum ostendebat, vt conuersis mortalibus ad meliora, vera bona conquisituros, falsa verò contempturos esse homines. Hac ratione propheta maior Ioannes est: alioqui enim quid desertum incolere oportuit? Propterea igitur Christus ait: Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptista. Et ipsum quidem credentium Ecclesia hodie commemorat. Miratur & exultat in præstanti illa Dei gratia, quâ in Ioanne, & quidé ab ipsa natiuitate, manifestauit. Estque sufficiés cogitâdi materia, huius diei. Id ergo vt faciamus, gratia nos Christi adiuuet, Amen.

SERMO NONVS.

Super D. Chrysost. verba Tom. 2. sermone de natiuitate Ioan. Bap.

VNdè festo huic nomen origoq; data sint, commemorare necesse non est. Neque enim Christiani tantum, verumetiam Iudei atque alij circa nos Ioanni nostro hanc diè sacram esse, illiusque hodie natalé celebrari norũt. Verùm quid in eo pie atque cõmodè meditari, aut qua ratione Christianè celebrari possit, nõ omnibus apertũ est. Quãquàm & illud lõgè petitũ addiscere necesse nõ sit Ipse. n. Euangelista Lucas duobus Euãgelijs, hęc ostendit, quorũ alterũ heri, alterũ hodie legimus. Et tanta quidé ille tãque magnifica de pueri huius natiuitate cũ circũstantijs perscripsit, vt facilè cuiuis attẽto sit cognoscere, quanta cũ pietate celebrãda sit festiuitas. Sanè maioribus nostris primisque Christianis satis magnam pietatis occasionem hæc historia dedit. Imò verò in ipsis Ecclesiæ proceribus, non modò quod mireris, verumetiam quo delectari possis, videre est. Tãta enim diligentia Ioannis historiam hanc considerauerunt, tam profundè perquisierunt, omniaque ac singula verba librarunt, tam suauibus meditationibus semet in ea oblectarunt, tam multa pietatis plena inde & ipsi sumpserunt, & alijs proposuerunt, tam preclara eius rei monumenta post se reliquerunt, vt mirari quis possit quo tandem modo tam longè deflexerimus nos, quibus Ioannis hæc solẽnitas tantum in lasciuia vocum pedum-

dũq;, saltatione, in comessationib⁹ cõpotationibusq;, in insanis clamorib⁹ vociferationibusq; peragitur. Nec historię maiestatẽ attẽdimus, nec in eã patrũ meditationib⁹ mouemur. Vide. n. vel solius Chrysostomi præclarã illã tantũ in prima Euãgelij verba locupletẽ exercitationẽ: cũ hęc sibi verba sumẽs. Elizabeth impletũ est tẽpus vt pareret: primũ, illud ipsum Elizabeth tẽpus circa solstitiũ æstiuale fuisse. deinde à natiuitate Ioannis ad conceptionem recurrẽs, per nouẽ illos menses, quibus in vtero matris erat Ioãnes, circa autũnale æquinoctiũ ab angelo prędictum fuisse inuenit. Hinc tertiò, à Ioãnis natiuitate sex mensibus enumeratis ad illud tempus quo incarnatio filij Dei ab Gabriele virgini prænunciatur, procedit, atque vernale illic æquinoctiũ comperit. Deniq; inde nouem illos menses, quibus virginea carne latebat Christus, enumerans, circa solstitiũ brumale natum ipsum fuisse inuenit. Hinc tandem concludit, Ioannem autumno conceptum, verũ æstate natum, Christum verò veri tempore conceptum, sed natum fuisse hyeme: Qui sanè quatuor anni partes sunt. Nec sine causa duorum Ioannis ac Christi cõceptiones natiuitatesq; quatuor illas anni partes occupauisse opinatur. Postea etiã quid sibi velit obseruati temporis ordo exponit, cur Ioannes nõ solũ remeante Sole natus, verumetiã accrescẽte nocte, adeoq; diẽ minuente conceptus sit: Christus verò non solũ sole superiores circulos ascẽdente natus: verumetiã vernali solstitio crescẽte, die atq; noctẽ abbreuiante in virginis matris vtero cõceptus sit. Ioãnes intelligitur Lex: veterisq; testamẽti, omniũq; quę illud cõplectabatur, ac humanũ genꝰ grauabat illo tẽpore molestiarũ, imperfectiõis, inopięque figurã gerebat. christus Euãgeliũ significat, & nouũ testamentum cum omnibus gratiæ donis libertate atque gaudio ipsius, quæ in eo regnãt. Quod ergo Ioãnes crescente nocte concipitur, remeãte etiã sole natus est, indiciũ erat abrogandæ Legis, auferendiq; peccati, mortis, omnisq; miseriæ. Quod verò Christus mẽse Martio, & post vernale æquinoctiũ cõceptus, ac homo natꝰ est solstitio hyemali, qñ crescẽte die nox decrescit, argumentũ erat prodeuntis micãtisq; Euãgelij, siue noui Testamẽti, Lucis ac gratię ortꝰ expectãdꝰ erat. Cui etiã rei hoc seruit, chrysost.

quod matre anicula Ioannes, virgine matre Christus natus est. Deficere nimirū Ioannē. Christū verò, quęq; per ipsum significata sunt adolescere oportuit, Ipso Ioanne

Ioan.3. dicente: Ipsum oportet crescere, me aūt minui. Ecce hæc D. Chrysostomi super primam illam huius Euāgelij vocem meditatio fuit. Et quale tandē tempus postularetur, si quid præterea idē alijq; in eam Ioannis nati recens historiam multa consideratione conscripserint, recitare voluero? Vtique minimum hoc in ea historia est, quod Lu-

Luc.1. cas ait: Impletum est tempus pariendi: Si ergo quod minimum est illic, tanta ostendit, quid magis ardua facient?

Matt.11. Verùm ipse CHRISTVS ait, inter natos mulierum, nō surrexisse maiorem Ioanne Baptista. Idque copiosē demonstrari potest, nimirum Ioannem ipsum omnibus veteris atque noui testamenti sanctis præstare. Neq; enim, si omnes omnū temporum historias legeris, tot tantaq; in vnius alicuius hominis natiuitate, Christum semper excipio, miracula videbitis, præterquā in Ioannis nostri. Idq; nō sine peculiari ratione factū est. Nullum enim ipse Ioannes per omnē vitā miraculū edidit, eoque maiora Deus exhibuit in natiuitate illius: Atq; ita quidē fieri oportuit. Ad egregium atq; celebre munus Ioannes seligebatur, ideoq; ab incunabulis celebrē eius famā esse decuit. Id ergo Deus in eius natiuitate magnis ac inauditis prodigijs effecit, vt oēs simul inuicemq; dicerent: Quisputas puer iste erit? Hunc Deus finē proposuerat. Quia verò nō sibi sed Christo homines colligere debuit, si ipse per vitæ tēpus suum miracula edidisset, nihil sanè profuisset. Sine miraculis enim Iudęi eū Christū opinabantur, ęp si etiā miracula ipse edidisset, vulgus hominū relicto Christo, omne ad ipsum reuertisset. Ea propter edendorū miraculorū virtus, ipsi quidē data nō erat. Deus aūt illo maiora in natiuitate eius faciebat, imò vero & ante natiuitatem, quo sua ipsi maneret autoritas. Quantus verò hic de ijs miraculis campus se aperit? Sanè non vnius sed plurimorum sermonum hæc dicendi materia est. Sed quia hæc maxima parte superioribus annis docui, nūc in tria verba (quod dici solet) coniungam. Quicunque piè Christianus es, Ioannē in lucē prodijsse lætare: Deū omnia, etiā quæ impossibilia videtur, facilè posse exequi mirare.

rare. Quod idem visitauerit plebem suam, eāq; redemerit, cum Zacharia laudes prędica. Hæc sunt quę propriè ad hanc festam diem pertinent. Saltationes enim atque choreæ, tum commessationes ebrietatesque, ac vociferationes nihil ad rem faciunt, magisque Ethnica quā Christiana sunt. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO DECIMVS.

In historiam natiuitatis Ioannis.

COnuenientius nullum exordium huius video sermonis, præter ipsam natiuitatis sancti viri historiā.

Ait Lucas: Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & vxor eius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autē iusti ambo ante Deum, incedētes in omnibus mandatis, & iustificationibus domini sine querela. Et non erat illis filius, eo quod esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Et factū est aūt, cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinē sacerdotij, sorte exijt incensum poneret ingressus in templū Dñi stās à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. Et vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannē: & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Dño, & vinum & siceram non bibet. Et spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante ipsum in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad angelum: Vnde hoc sciā? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Et respondens angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel qui asto ante Deum missus sum loqui ad te, & hæc tibi Euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem quo hæc fiant, pro eò quod non credidisti verbis meis quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quod tardaret ipse in templo. Egressus verò non

poterat loqui ad eos. Et cognouerunt quod visionem vi disset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus. Et factũ est vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suã. Post hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinque, dicens: Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. Ecce hæc illa historia, quam ideo totam recitari, vt omnes hanc festiui tatem, tanto cum omnium in Ecclesia tripudio, non sine vrgenti causa celebrari videant. Alioqui enim nõ imme rito quis miraretur, maximè qui hanc festã diẽ, tantũ na tiuitatem illius viri respicere intellexerit. Est autem hæc Ecclesiæ consuetudo, vt cum filijs suis exultet, non ea qua primum in hunc Mundum nati sunt die, sed qua pas si sunt: qua re sanè longè secus, atque Mundus hic, facit. Qui enim Mundi sunt, lætantur cum nascuntur, mœrore afficiuntur mortis præsentia. Longè (inquam) alia Eccle siæ filiorum ratio est, qui natales suos in peccatis ad mul tas exilij huius miserias nati deflent, at in morte contrà lætantur, vt qua miserijs peccatisque exuti, ad requiem transeant. Nullius, præter Christum, Mariã atq; Ioannẽ, natalem Ecclesia celebrat, sed eã potius diem annua me moria repetit, qua piè sanctèque hanc vitam finiuerunt, Diabolum Mundumq; deuicerũt, ex tẽpesto mari in op tatũ portum appulerunt, & ex labore huius vitæ in do mini sui requiem introierunt, securi in perpetuũ permã suri. Id verò ante obitus diẽ nunquàm contingit. Hic er go festos dies agendos Ecclesia docet. Quanquam enim vel iustissimi sint, quandiu tamẽ in hoc Mundo viuunt, timendum est. Qui stat, monet Apostolus, videat ne ca-
1. Cor. 10 dat. Et sapiẽs, ante mortẽ ne, inquit, laudes hominẽ quen
Eccle, 11. quã, ac si diceret finẽ expecta, nescis enim an constãs per mansurus sit. Ne fœlicẽ iactaueris nautã, antequã littus attigerit. Ne canas triumphũ alicuius ante victoriã. Sed in Ioanne peculiare quid offertur. Vnde credentiũ po pulus, nõ modo in morte, verumetiam in natiuitate eius cũ ipso gaudet. Idq; ideo fit: principiò, quia tot in natiui tate eius cũ in ipso tũ etiã parentibus miracula contige rũt. Deinde quod ipsa natiuitas tot motus inter homines excitauit, multos in admiratione, nõ paucos etiã in gra-

tiarum

tiarum actionē induxit: vt illo ipso etiā tempore impleretur in eo quod postea Christus testatur dicens: A diebus Ioannis Baptistę vsq; nunc regnū cœlorū vim patitur, & violenti rapiunt illud. Oēs enim prophetæ & Lex vsq; ad Ioannē prophetauerunt. Maximè vero ideo factū est, quod Ioānes quemadmodū prædicando Christū prænunciauit, ita etiam nascendo sequentē significauit. Erat enim sequentis Christi certissimum indicium, Ioannis natiuitas. Haud aliter atq; stella matutina oriēte, mox Solem surgentē certo expectamus, Hoc vero nō exiguū gaudium hominibus attulit. Ipse enim Deus quondam hoc signo dato, homines sperare docuit, quod viso aliquando auditoque Ioanne, mox secuturus esset inque publicum processurus Messias. Ecce, inquit, ego mittā angelum meū, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quęritis, & angelus testamēti quem vos vultis. Ecce venit dicit dñs exercituum. Et alibi: Vox clamātis in deserto. Parate viam dñi, rectas facite semitas Dei nostri in solitudine. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt pauca indirecta, & aspera, in vias planas. Et reuelabitur gloria domini, & videbit omnis caro pariter, quod os domini locutū est. Hæc olim Deus prædixit, voluitque his præmonitos homines ac si dixisset: Cum hæc ita fieri videritis, attollite capita vestra, & non longa mora venturum expectate Messiam. Hoc ergo signum dederat Deus. Vnde quandiu Angelum hunc nusquam apparentem cernebant, nec hāc in deserto vocem audiebant, nullam appropinquantis Messiæ spem habebant. Verum nato Ioanne, & hūc antesignanum esse Regis magni, Angelo præmonente, venturum mox Messiam certi erant. Ecce hæc celebrati natalis nostri Ioannis causa est. Quam ea Lucas diligentia præscripsit, vt meritò piè Christianus, quilibet in illa historia occupetur, vt quæ multis modis prodesse queat, maximè vero in eo, quod Ecclesia docente, precamur, nimirum ad spiritualium gratiam gaudiorum, & ad dirigendos nos in viam salutis. Hæc enim duo precari iubemur hodie, vt & spiritalium gaudiorum gratiam agnoscamus, in viam salutis pedes nostri dirigātur. Et quid est quod nobis ad

Matt. 11.

Malach. 3

hanc rē plus cōmodare poteſt, prēter hanc quam audiuimus hiſtoriā aliaq; quorū Scriptura, de Ioanne loquens mentionē facit? Nuſquā enim eā quàm in hac hiſtoria verā, ſpiritualē diuinamq; lætitiam videbimus. Nō alia re, quàm hac hiſtoria, cōpendioſius diſces, qua ratione pedes tuos in viā ſalutis æternæ dirigas. Id ita eſſe, paucis oſtendā. Principio, igitur quod vere ſpirituale ſit gaudiū queris? (de hoc enim ſolo loquor, hoc oēs inquirere æ-
Luc.1. quū eſt, hoc etiā Angelus intelligi vult, cū multas in natiuitate Ioannis gauiſuros eſſe prænūciat, hos etiā pij patres noſtri in hoc feſto queſierūt, cū nemo nō ſpirituale gaudiū expeteret, quod Angelus nūciaſſet, quod etiamnū inueniri poſſet, quemadmodū & ab illis inuentū eſt. ſi tantū inde abduci nos ab hoſte noſtro paſsi non fuiſſemus, aut ipſi à ſpirituali gaudio, ad mētium illā corporumq; inſaniam, petulantiamq; nō defeciſſemus: Ita vt nec illius quod Angel⁹ prēnūciauit, gaudij recordemur, Id quod Chriſtianos nō modò minus decet, feſtosq; dies noſtros Iudæis atq; alijs, riſum facit, verūetiam hoc
Luc.6. efficit, vt licet inuiti, audire tū cogamur: Væ. vobis qui nūc ridetis, quia flebitis. Nec mihi propoſitū eſt, Mūdi illā væſaniam, ab hominib⁹ eximere: quòd alij multi me multò prēſtantiore id ſepe fruſtra tentarūt: ſed pijs atq; credētibus loquor, quorū de vere ſpirituali gaudio, quēſtioni ex ipſa hiſtoria reſpōdebitur. Ipſe Zacharias, qui eā hiſtoriā nō modò mētis gaudio, ſed & oris cōfeſsione cōcludit, docebit: Et quomodo ad illud gaudiū puenit? Serò quidē & nō ſine mora ſucceſsit, inceptūq; eſt negotiū, multi etiā dolores ſe immiſcebāt, pībātq;. Quanquā enim, ambo iuſti eſſent, Zacharias vxorq; Elizabeth, vſque in ſenectā, tū illa, quā nōnunquā & malis cōcedi videmus, benedictione priuati erāt. Nō erat illis filius, ait Euangeliſta. Quæ ſanè illorū tēporum, maxima erat miſeria piorū, ſcientes Abrahā hanc à Deo accepiſſe benedictionē primùm, futurū eſſe, vt benedictione multiplicaretur ſemen eius, ita planè, vt oēs populi in illo ſemine benedicēdi eſſent. Vnde hac prolis benedictiōe priuati,
1.Reg.1. ejectos ſeſe eſſe à gratia Dei colligebāt, & eiuſmodi plānè eſſe, alij iudicabant. Id quod in Anna Samuelis matre videre eſt, cui veluti grandis calumnia, hac fœcunditatis

bene-

benedictiõe priuatá esse, obiectũ fuit. Hanc ergo & ipse, quantũuis iustus Zacharias sustinuit, & quidẽ in senectã vsq; calumniã. Insup priusquã verũ illud cõsequeretur gaudiũ, etiã linguæ vsu orbatur, quo nõ modò priuaretur benedictiõe illa, præterea etiã pateretur. Id quod amplius, quasi iratꝰ Dei, pœna, suspitionẽ augere potuit. Solet em̃ hoc modo iudicare mũdus, vt eũ maledictũ putet, cui afflictiões à Deo impositas esse videt. Ita em̃ & christo & Apostolis, & Martirybꝰ, & veteris Testamẽti patribus, & ipsi huic Zacharię vsu venit. Verũ tandẽ rerũ exitus alia edocuit, qñ copiosum gaudium cumulatè confertur. Primo Angelꝰ apparet: Idq; principiũ erat gaudij. Néque verò exigua gratia est, videre angelũ, eo videre modo, quo Angelũ hunc, Zacharias vidit. Enimuero alia lõgè hęc apparitio fuit, q̃ olim cũ vel in Aegypto apparẽs, primogenita occidit: vel in facié Baal educto gladio restitit: vel in tẽtorijs Sẽnacherib, vna nocte oẽm exercitum deleuit. Clemẽtiæ hęc apparitio erat, illa verò irę. Quanquã em̃ Zacharias turbaretur, mox tñ cõsolatio cõsequitur, Angelo dicẽte: Ne timeas Zacharia, quoniã exaudita est deprecatio tua. Et vxor tua Elizabet pariet tibi filiũ, & vocabis nomẽ eius Ioannem, & erit gaudiũ tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Et hic, ad gaudiũ illud, secundus erat gradus, cũ nõ modò angelũ videt, sed & loquentẽ audit verba Dei, & eiuscemodi planè, quæ meras ꝓmissiones cõtinebant. Et quę promissio? Illius nẽpe, quod in hac vita expectabat maximũ: filium nimirũ, & eiuscemodi, qualẽ vsq; in eũ diẽ, Mũdus ne quidẽ vidit: filiũ, in quo mortalibus omnibus, præstãtis gratiæ ederetur exemplum, quã ob rẽ etiã Ioanne dictus est. Et huius rei gratia Angelus multis verbis vsus est, sed quę multũ ad rẽ faciãt, & quorũ quodq; peculiare, quid in se cõprehẽdit, de hoc puero. Principio em̃ Angelus ait: pariet tibi filiũ, vocabis nomẽ eius Ioannẽ, et erit gaudiũ tibi & exultatio. Et hęc quidẽ, in genere dicta erant, potuissentq; eam, coniugum horum quã tot annis sustinuerant calumniam leuare. Sed minimè his contentus Angelus quiescit, adhuc enim alias huius infantuli conditiones enumerat, & tot omnino, vt Zacharias habere dictis, fidem vix posset, vt qui eã bonorũ, liberalissi

mi Domini copiã, ne ſperaſſet quidẽ. Quid ergo de naſcituro infante prædicit Angelus porrò? Magn⁹ erit coram Dño. Ecce hęc de Ioãne necdũ cõcepto dicũtur. Et quid præclarius de eo dici potuiſſet? An nõ lætitia perfundi debuit pater, cui tãtus filius prænũciatur? Quãtus ſudor eſt ad pietatẽ filios erudire? Non hoc labore Zacharias in erudiendo filio opus habuit. Deus em ipſe in hoc infantulo operari voluit, imò vero adhuc in matris poſitũ vtero ſpũſanctõ replere, vnde nihil prẽter magnũ atq; egregiũ ſequitur. Quid enim nõ poteſt ſpũs ille ſanctus? Sanè nõ eſt quod miremur magnũ fieri corã Dño, nulla mundi huius cupiditate titillari, oẽs ad Chriſtum perducere, eum, qui ſpiritũ ſanctũ in ſe habet. Et quomodo hæc in Ioanne cõſummata ſint oẽs Euãgeliſtæ teſtãtur, nullus horũ Ioannẽ noſtrũ tranſijt. Et Lucas quidẽ atq; Marcus exordiũ ab eo Euãgelicæ hiſtoriæ ſumunt, Matthæus non quidẽ ab eo exorditur, verũ mox tamen in illius hiſtoriã incidit. Quemadmodũ Ioannes etiã facit. Quod ad Lucam, iã ante audiuimus. In Marco verò

Marc.1. ſic legimus: Initium Euãgelij Ieſu Chriſti, ſicut ſcriptũ eſt, in Iſaia Propheta: Ecce ego mitto angelũ meũ ante faciem tuã, qui præparabit viã tuã ante te. Vox clamãtis in deſerto: Parate viam Dñi, rectas facite ſemitas eius.

Matth.3. Matthæus in hæc verba ſcribit. In diebus illis (nimirum quibus Chriſtus natus erat) venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, &c. Poſtremus quidẽ Ioannes Euangeliſtarum eſt, ſed oim grauiſsimè, nec vno in loco de Ioanne Baptiſta, loquitur. Oia hęc Zachariæ promiſſa ſunt, & quid miramur: aliud prẽter Ioannis, puero indi nomen prohibuiſſe? Nequaquã inquit mater, ipſe verò pater cũ loqui nõ poſſet ſcripſit in eandẽ ſentẽtiam: & hoc ſecundũ eſt, quod Zachariæ patri gaudiũ attulit. Tertium verò maximũ eſt, quod filij promiſsionẽ accepit, & talis filij, in cuius officij deſcriptione ipſe etiam

Luc.1. chriſtus promittitur. Et ipſe prẽcedet ante ipſum in ſpiritu & virtute Elię. Hoc maximum erat, neq; Zacharias ſatis mirari potuit: Et, inquit, tu puer Propheta altiſsimi vocaberis, præibis enim ante faciem Dñi parare vias eius: imò vero propterea erũpere in hanc exclamationem cogitur: Benedictus Dñs Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit

fecit redemptionē plebis suę. Hic illud gaudiū perfectissimum est, imò vita ęterna est, cognoscere Deum & quē ille misit Iesum Christū. De qua re quā pulchrè Zacharias canat auscultа. Nondū Christus redēptionis munus exorsus erat, imo nondū in hanc lucē processerat, tā cōfidenter tamē ea de re Zacharias loquitur, ac si iā dudū cōfecta essent oīa. Sed vnde hæc illi certitudo? Ioannes. Quandiu.n. hunc habebat, de Christo hæsitare non potuit. Et tu puer. Quis iste vero Dñs est, ante cuius faciem Ioannes erat præcessurus? Oriens ex alto. Sic Lucas, sic & Zacharias Christum appellat. Hoc illi nomē est. Sed quale munus ipsius est, quid effecit? Visitauit & fecit redemptionē plebis suę. Et erexit cornu salutis, quomodo visitauit? Per viscera misericordiæ. Quomodo, & vnde liberauit? Salutē ex inimicis nostris, vt seruiamus porrò coram ipso, oībus diebus nostris, sine timore. Quid ipsum ad hæc permouit? Tria. Misericordia ipsius, veritas, & nostra inopia. Ad patefaciendā misericordiam suam, primum est: Ad faciendā misericordiam cū patribus nostris, & memorari testaméti sui sancti, ac iusiurādi quod iurauit ad Abrahā patrē nostrū atq; Dauid. Per memetipsum iuraui, inquit, si Dauid mentiar. Et: Iurauit Dñs, Dauid veritatē. Et: Iurani seruo meo Dauid. Tū per reliquos etiam Prophetas denunciauerat atq; promiserat. Hoc ergo præstare voluit. Traxit verò & nostra inopia. Prospexit de excelso sancto suo, Dñs de cœlo in terram aspexit. Vt audiret gemitus cōpeditorum, & solueret filios interemptorū. Et quæ nostra inopia? In tenebris & in vmbra mortis sedebamus, pedes nostri à via fœlicitatis deflexerāt. hæc nostra erat inopia. Ille ergo cōtrà lucem dedit nobis, & reduxit nos in viam salutis. Et quid cōuenientiùs sequitur, nisi vt dicamus: Benedictus Dominus Deus Israël. Ecce gaudium, quod Angelus annunciauit, Zacharias: sensit, cui & præsens festiuitas innititur, & quod publica omnium voce à Deo expetimus: Da Domine spiritualium gratiam gaudiorum. Hoc qui non concepit, intraq; se experitur, verè hunc natalem non celebrauit, imò qui per Ioannem ad Christi agnitionem non venit, ne quidem Ioannnem nouit. Non enim sibi tantùm natus est Ioannnes, sed

Psal. 89.

Psal. 101.

ad

ad parandā viam Dño, ad perducendū hoīes in agnitionē Christi & beatitudinis in remissionē pctōrum ipsorum. Id q̄ secundū est hodiernę ac Ecclesiæ orationis, qua Deū præcamur vt cīm fideliū mētes cōuertat. Huic igitur rei præsens historia seruiat, vt via aperta sit Deo introëundi in corda nostra, tū verò pedes nostri in viam pacis atq; salutis directi sint, hoc est. Ad hæc rē nobis cōmodabit Ioannis festiuitas, ne nosmet in ea quā prę̄sentē tenemus gratiā, impediamus: sed ipsi quoq; futurę gloriæ acquirēdę studeamus. Gratia em promerita est, salus atq; gloria promissa est. Christus præsto est. Ego, inquit sto ad ostium & pulso: & Ioānes quidē digito in ipsum mōstrat: ecce agn⁹ Dei, ecce qui tollit peccata mūdi. Hic est qui in spiritu & igni baptizat. Hic est de cuius plenitudine oēs accepimus. Hic est vnigenitus ille Dei filius, qui est in sinu patris, quē manifestauit pater, quem pater diligit, cui pater oīa in manus dedit. Proinde pœnitentiā agite, quicquid vspiā impedimēti, quod vos ab ea gratia remoratur, est, abijcite. Quicquid cōmodare potest, suscipite. Ne quid confidentius agatis, neq; desperetis, nolite in factis vestris gloriari, nec peccatores animū abijcite. Vtrūuis enim horū Christo viā præcludit. Peccatores vos agnoscite, gratiā quærite, discedite à prauis vijs vestris, rectā & regiā viā incedite, vt ab hostiū vestrorū timore liberati, deinceps Deo & Dño vestro sine timore in sanctitate atq; iustitia seruiatis, oībus diebus vestris Ita em Zacharias monet. Propterea liberauit nos, vt nō nobis, nō mundo: sed ipsi, nec externo habitu tantū, sed in sanctitate & iustitia, non solū corā mundo, sed corā ipso, nec vno aliquo tēpore, sed omnibus vitæ nostræ diebus seruiamus, hæc via illa salutis ac pacis, ad consequendā peccatorū remissionē & æternā cūm pacē, tū fœlicitatem. Hanc viā Ioannes docuit, hanc ipse cū vtroq; parente iuit. In omnibus iustificationibus ambulabāt. Propterea etiam primi erant, quos pro Christi agnitione lætitia Deus perfudit. Huic ergo nos quoq; studeamus secundū euangeliū. Monet quidē Ecclesia precari Deum, vt dirigat vias nostras, tū etiam quod nostrūm est præstandū erit. Deus iustificat atq; sanctificat nos, sed nō sine nobis. Nō enim otio torpendū est. Gratia Dei nobiscū, Amen.

IN

IN DIE APOSTOLORVM PETRI AC PAVLI EVANgelium. Matthæi. 16.

VEnit Iesus in partes Cęsareę Philippi, & interrogabat discipulos suos dicēs: Quem me esse dicūt homines, filium hominis? At illi dixerūt. Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit eis Iesus: Vos autē quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Respondens autē Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hāc petram ædificabo Ecclesiam meā, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

EADEM FESTA DIE EPISTOLAE LOCO LECTIO. Acto. 12.

EOdem tempore misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autē Iacobum fratrē Ioannis gladio. Videns autē quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cùm apprehendisset, misit in carcerē, tradens q̄ quatuor quaternionibus militum ad custodiēdum, volens

lens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Cùm autem productturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussóque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem angelus ad eum: Præcingere, & calcia te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est, quod fiebat per angelum. Existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis. Et exeuntes processerũt vicum vnũ, & cõtinuò discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus ait: Nunc scio verè quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

SERMO PRIMVS.

QVod nuper ante paucos dies dixisse me memini, idem nũc in hac festa die dico: nimirũ, cõmodè iustoq; ordine fieri, vti præter Euangelij doctrinã illud quoq; ac iuxtà doceatur, qui primi illius doctrinæ & susceptores & prædicatores fuerint. Ita enim plerunque in mũdo vsu cõparatum est, vt quæuis doctrina gratior reddatur, non iam quod vera ac bona, sed quod per graues bonosque viros prædicata, amplectenda proponatur. Iam verò apertissimum est, nostram Euangelij doctrinam, quam Christo Deo dante accepimus, non modò

modò per se bonã, certam, ac indubitatam, verumetiam ab initio per eiusmodi homines prædicatam esse, quos ipse etiam mundus prædicare ac magni facere cogitur, vtique cùm nihil habeat, quod vere obijcere possit. Id quod suprà in Ioanne, atque hic in ipsis Petro atque Paulo videmus, qui ideo pariter nobis hac die proponuntur, nó quia vna die passi sint, sed vt clariùs aliquanto perspiciamus, quos Ecclesia primos duces pastoresq; habuerit. Hi enim duo inter eos qui primum Ecclesiam plantauerunt, facilè fuerunt principes. Quicquid etiam nuui Christianismi maximè in Europa supereſt, per alium neminem, præter hos duos Apostolos, horumque successores plantatum fuit. Vnde propriè etiam nostri Apostoli dicuntur. Nunquid ergo iniquum est eorum vel semel quouis anno nos meminisse? Vehementer arbitror necessarium esse id, maximè cùm sint tales quorũ non pudendum nobis est, sed magis lętandum in ijs est. Idq; rectiùs quàm de philosophis olim suis Græcia, vel de belli magnanimis ducibus suis Roma gloriabatur. Quid enim hi omnes erga nostros sunt? Quid simile effecerunt? Et illi quidem quorum summa virtus ac sapientia fuit trucidare ac circumuenire homines æterna suorum memoria celebres erunt, nos vero nostrorum ducum obliuiscemur? Longè à nobis qui Christo Iesu militamus hoc abśit. Ne vnquam Apostolorum in Ecclesia, maximè horum amborum memoria sepeliatur. Quod enim maius robur fidei nostræ tum supererit? Quod præstantius certæ atq; piæ vitæ exemplum, præter horum duorum, relinquetur? Quod si hi duo ad Christũ non traxerint, nemo sanè trahet. Qui horum à peccatis ad pietatẽ exẽplo ducti non fuerint, haud facilè à quouis mouebũtur. Et vt breuiter dicã, si quis necdum Christianus effectus esset, si tamen quorum opera Euangelij verbum primùm inter homines, atq; fides dissemi natum sit, cogitauerit, adhuc Christo nomen daret. Ecce hæc causa est, cur tanta cum honorificentia duorum horum memoriam Ecclesia repetit. Nec secùs ac dixi se res habet. Atque vt necessarium ita quoq; pulcherrimum esset, sæpe præsertim hac tempestate, eorum meminisse. Proinde nó possum quin pauca de ipsis dicã. Neq; enim

vn-

vnquam, quid nobis ad veram pietatem desit considerabimus, nisi primos fidei ductores intuiti fuerimus. Id vt fiat, tu Domine, oculos cæcutientium aperias oro. Sunt igitur in his Apostolis nostris tria perpendenda: Persona, doctrina, ac vita. Quod ad personas, magnæ autoritatis ac reputationis fuerunt. Quod ad doctrinam, indubitatæ fuerunt veritatis. Quantùm verò ad vitâ attinet, plenæ perfectionis fuerunt. Hæc sunt Christianorum ornamenta, quæ etiam omnibus vehementer necessaria sunt. Autoritatem personæ habebant Apostoli, inquam, non secundùm originis aut mundanæ scientię, aut diuitiarum, multo verò minus ostentationis respectum. His .n. rebus atq; formis seculi huius filij autoritatem sibi conciliare consueuerunt imprudentium, nihil eò præstantiores coram sapientibus iudicati, nisi cæteris virtutum ornamentis claruerint. Nam & Neronis, hodie eius causa recordamur, parua admodum ipsius laude, at veluti primi Christianorum persecutoris, atq; crudelissimi tyranni, qui primus post Pilatum, Romanam Christianorum sanguine sedem, conspersérit. Hic, inquâ, Nero omnia habet, quibus carnales homines populi fauoré sibi conciliare consueuerunt. Erat enim Cæsareo genere, illo tempore facilè pręstantissimo, oriundus. Matrem Agrippinam Caij Cæsaris sororem, Tyberij verò Cæsaris neptim habuit Germani filio Drusi fratre. Adde quod & adoptiuus erat Claudij Cęsaris, tandé ipse quoque in fastigium rerum subiectus fuit, tantis diuitiarum copijs, tanta doctrina præditus, tanto fastu tumidus, vt Suetonio teste, nunquàm vnam vestem bis indutus sit. Hæc aliaq; multa id genus Nero copiosè habuit. Quam autem apud homines autoritatem obtinuerit vis scire? Oderunt omnes, calumniabantur, ad nominis etiam appellationem, pro detestatione, conspuebant: deniq; interitum ipsius efflagitabant. Contrà vero Apostoli nostri horum nihil habuerunt, nec diuitias possiderunt, nec voluptatibus dediti fuerunt: nihilominus tamē ea ipsorum apud pios omnes erat autoritas, vt ab omnibus magni haberentur, venerarentur, suspicerentur. Vis autoritatem ipsorum cognoscere? In Actis legimus plurimos infirmos in lectulis suis in plateas fuisse positos, vt

Act. 5.

veniente

veniente Petro, salutem vmbra illius obumbraret quę-
quam illorum,& liberarentur ab infirmitatibus suis.Sed
& multi finitimi Ierosolymam venientes, attulerunt æ-
grotos suos, & qui vexabantur à spiritibus immundis.
curabantur. Et in Ioppe quidem tantum Petri erat desi- Act.9.
derium,vt missis ad eum duobus Legatis orarent,vt ad
se venire non grauaretur. Quo cum peruenisset,duxe-
runt eum in cœnaculum, & circumstiterunt illum om-
nes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes,
quas faciebat illis Dorcas. Eiectis autē omnibus foras,
Petrus ponens genua orauit:& conuersus ad corpus di-
xit. Tabitha surge. At illa aperuit oculos,& viso Petro
recedit.Sic cùm ab Herode in carcerē missus esset oratio Act.12.
fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo ad Deum.
Tantæ ergo apud omnem credentium Ecclesiam æstima
tionis erat.Simils est Pauli ratio: hic enim Listris nō ho
mo, sed Deus habebatur aliquis. Corinthi sudaria ip-
sius super malè affectos, pro remedio ponebant. Cum
Ephesō Ierosolymā pergeret, osculabantur eum omnes Act.14.
seniores in signum dilectionis.Comitabantur eum Tyri Act.19.
cum vxoribus atque liberis,cum ab eis recederet in Cę Act.21.
sarea, cum Agabus ligandum esse eum in Ierosolymis
prædixisset, omnes pro sua incolumitatis ipsius cura
ne ascenderet illuc,obtestantur. Sic cum naufragiū pas-
sus esset atque Mitilenam venisset, breuissimo tempore Act.28.
tantam consequebatur gratiam populi, vt pro Deo ha-
beretur,humaniusque socij sui causa ac mitiùs tractaren
tur:deinde Romam aduentans,occurrerūt ei fratres vs-
que ad Apij forum & tres tabernas.Et quid multis?Tātę
autoritatis erant hi nostri Apostoli, vt primi etiā Cæsa-
ris aulici illis cōiungerentur, vt testis est Linus in ipso-
rum passionis historia,imò verò ipse etiā Tyrannis Ne-
ro admiraretur ioſos.Sed vnde hęc illis autoritas venit?
Non aliunde,nisi quod Deus in ipsis operaretur.Loque
batur Deus per eos, ipsiusq; gratia lucebat in verbis ip-
sorum atq; factis.Hoc ergo ipsis parabat admirationē at
que autoritatē apud omnes.Agè huc adsis,ac disce,qui-
cunq; nominis gloriā immortalitatēque in Mundo aucu
paris.Quod principū fauorem appetas, argentum repo-
nas,auro gemmisq; te ornes, necesse nō est.Tum etiam

colũnas,imagines, ędificia nomẽ, & cũ armis galeâ erigas,aut parietibus allinias. Hoc ſtudeas potiùs quo Deus intra te operetur,per te loquatur,inq; vitę tuę modo ſeſe oſtẽdat: ſic,ſic inquã,maximã,eamq; veram tibi laudẽ cõciliaueris,pij quique diligẽte te,mali admirabuntur, atq; reuerebũtur. His medijs Apoſtoli nomẽ decuſq; cõſecuti ſunt. Priuſquã enim diuina illa in ipſis gratia lucere, ſatis ignobiles Mũdo erãt. Verùm cũ,accepto in Pentecoſte ſpiritu ſancto, loqui inciperẽt magnificentiãque Dei varijs linguis prædicarent, tum demũ eam autoritatem cõſequebantur, quæ ſanato,vnõ verbo Petri, claudo, cumulatè creuit. Vti etiam Paulus nominis ſui gloriam Lyſtris conſequebatur,quod claudum erigeret: & Mitylene quod viperam à manu ſua in ignẽ excuteret. Hæc aliaque his ſimilia Dei opera tantùm ipſis autoritatem pepererunt. Atq; hinc conſiderare licet, cur non hac noſtra ætate etiã ſacerdotes ac cæteros Eccleſiarum miniſtros tãto honore reuereãtur,quo olim veteres illos Eccleſiæ paſtores atq; Epiſcopos. Vis noſſe cauſam? Nõ illa Dei ſãcta in nobis inueniuntur,nullaque vera in nobis apparet pietas, nulla gratia Dei lucet in nobis: imò vero his planè contraria vbique ſunt obuia. Et quid cauſæ prætendemus,quia contemnimur. Impietas,luxuria, vitæq; impietas in cauſa ſunt. Atq; his quidem non nominis gloriam comparabimus,verùm multo magis ignominiã prouocabimus. Quod ſi Apoſtolos imitaremur, haud dubiè lõgè præſtantiorẽ nominis famam cõſequeremur. Atq; hæc de Apoſtolis eorumq; perſonis ſint dicta: nunc porrò quod doctrinæ genus promouerint, id quod breui ſermone dici nequit. Verũ nõ diffido de vobis,atq; planè mihi rẽ actã agere videbor, ſi diutiùs hac in parte laborauero. Neq; enim vlli ipſorum incognita doctrina eſt,niſi q; fortè & ipſum Chriſtũ neſciat. Nihilminus tñ vel tria ſolũ verba de ipſis cogitãda vobis libet proponere quibus quis finis quęque doctrinæ ipſorũ intẽtio ſit facile erit perſpicere. Petrus in conſilio Iudæorũ ſic loquitur: Non eſt, inquit,aliud nomen ſub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri. Idẽ & Paulus dicit in nomine Ieſu omne genu flectetur,cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Ecce tibi Chriſtianæ

Acto.3.

Act.14.

Act.28.

Acto.4.

Phil.2.

atque

atq; Apostolicæ doctrinæ exordiū, caput, atq; intentionem, quēadmodū illud in omnibus eorū scriptis atq; sermonibus videre licet. Hoc exordiū perpetuū erat, nunquā ab ore eorū discessit. Vis huius doctrinæ successum videre, vt inquit Petrus, diuina eius omnia nobis largita est, quæ ad vitā ac pietatem pertinēt, per agnitionē eius, q̄ vocauit, eius propria gloria & virtute, per quē maxima & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hæc efficiamini diuinæ cōsortes naturæ: fugientes eius, quæ in mūdo est, cōcupiscentię corruptionē. Ad hæc & Paulus sic loquitur. Obsecro vos fratres per misericordiā Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiā viuentē, sanctam, Deo placentē, rationabile obsequiū vestrū. Ecce hæc cōsequentia sunt Apostolicę doctrinę. Nūquid & finē vis? Gloriari absit mihi, Petr⁹, cū ad suppliciū Crucis raperetur, ait, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, cui ego seruio. Et Paulus corā Nerone: Exiguo admodū tępore patior, inquit, postea. Cū Deo meo viuente, & cū Rege meo Iesu Christo æternum victurus. Habes ergo Apostolicę intentionis summā. Exordiū eius siue caput, Christus est, siue quæ in ipsum est fides: Cōsequentia siue successus, via pia ac Christiano digna: finis siue cōclusio, crux & in persequutione patiētia, & de hac doctrina pulcherrim⁹ D. Bernardi sermo extat. Docuerunt nos sancti, inquit, Apostoli, nō Platonē legere, docuerunt me viuere. Putas parua res est scire viuere? Magnū aliquid, imò maximum. Nō viuit qui superbia inflatur: qui luxuria sordidatur: Quoniam hoc nō est viuere, sed vitā confundere, & appropinquare vsq; ad portas mortis. Bonam autem vitam puto: cognoscere Deum, & quē ille misit Iesum Christum, deinde & volūtatem eius implere. Postremò: per secundam atq; aduersam fortunam ad vitam properare æternam. Hoc est viuere, & mala pati, & bona facere. Hæc Apostoli nostri docuerunt. Vtinam eadem doctrina omnes cathedræ personarent. Vtinam omnes mortales hæc cuperent discere. In nullo enim negligentiores sumus, cum tamen hoc ipsum maximè necessarium est. Sint ergo hæc de Apostolorum doctrina dicta. Nunc porrò & vitam ipsorum considereremus. Hic autem deambobus id dico, quod olim Chrysostomus de

2. Pet. 1.

Roma. 12.

Bernard.

Ioan. 17.

altero horum scripsit. Si quando Pauli vitā cōsidero, tā-
quam in speciosum oīs generis virtutū prospicere mihi
Gene.4. videor. Hoc igitur de vtroq; hic loquor. Oēs enim san-
ctorum virtutes, in his duobus sunt obuia Apostolis. A-
bel laudatur, quod Dño sacrificauerit. Id quod tantū pe-
cudum & vnicū sacrificiū fuit. Apostoli nostri semetip-
sos immolabāt, nō semel tantū sed quotidie. Paulo dicē-
te: quotidie morior propter gloriam vestram, fratres,
quam habeo in Christo Iesu Dño nostro. Et iterū: Ecce
tertiò paratus sum ad vos venire, & nō ero grauis. Non
2. Co.12. enim quæro vestra sed vos. Et mox: Ego autē libentis-
simè impendā, & superimpendar ipse pro animabus ve-
stris. Quin nec hoc cōtenti, totum etiā Mundū Christo
Gene.7. cupientes adducere. Noë iustus senex tandē Arcam ex-
truxit, in qua reliquos mortalium in diluuio conseruā-
uit. At multo præstantiorem arcam ędificarunt, in qua
non octo animæ tātùm, sed totus hic mundus conseruā-
ri posit. In arca enim Noë nemo, quā antè fuisset, me-
Gene. 12. lior factus est: Coruus emissus euolabat aduolabatq;. In
& 14. hac vero quā Apostoli ędificarunt Arca, ex coruis, colū-
bæ: ex lupis efficiuntur oues: Abrahā patriā suā & oēm
cognationē reliquit: Deo iubēte, postea etiā pro defen-
sione Loth fratris sui filij discrimini sese exposuit. Apo-
Philip.3. stoli itē oīa reliquerūt. Oīa, inquit Paul⁹, existimo detri-
menta esse, & arbitror vt stercora, vt Christū lucrifaciā,
deinde suo etiam periculo, nō vnum aliquem, sed multa
hominum milia è seruitute liberauerunt. Isaac prædica-
Gene.26. tur, quod Philisthijm malitiam æquanimiter sustinue-
rit, atq; ipsorum furori cesserit. Hi verò nō modò cessē
runt hostibus, verūetiam ad vitā pertrahere eos studue-
Gene.30. runt. Quatuor enim annis Iacob pro Rachel seruiuit, hi
verò omni vitæ suæ tēpore pro Ecclesia ministrauerūt,
non modò ęstū frigusq;, sed & flagella, carceres denīq;,
ipsam etiā mortē pertulerunt. Ioseph pudicitiæ laudem
obtinuit & quid nisi eandē præstantē in Apostolis cōsi-
Exod.32. deramus? Moses Pharaoni restitit, hi diabolo. Moses ne
populus perderetur demeritaque pœna extingueretur,
deleri ipsum se de libro viuentium postulauit. Idem de
Rom.9. Paulo legimus, qui anathema pro fratribus à Christo
esse voluit. Iosue, eumque succedentes pro populo Dei
certa-

certauerunt,& quid aliud Apostoli nostri? Dauid ingẽti zelo domum Dei ædificare, cultumq; verum dispone- Acto.5.
re arsit. Idem & Apostoli fecerunt. Elias pro zelo quem habuit laudẽ obtinuit: & quid aliud in Petro videre licet in morte Ananiæ: quid aliud in Paulo cũ fornicato- 1.Cor.5.
rem Corinthũ excludit? Vides ergo verè de Apostolis dici, quod ipsorũ vita, ,sit veluti capus virtutum humanarum omniũ. Et eiuscemodi quidẽ duces fidei nostræ habuimus. Et quid miramur ijs ducibus Ecclesiam adoleuisse atq; steti sse? Deũ immortalẽ, quæ nostra tam diuersa ratio est? Attamẽ miramur Ecclesiã nobis ducib⁹ quotidiè labefactari viliorẽq; fieri? Cõsideremus hæc, fratres sequamur Apostolos: precemurq; hodie cũ Ecclesia dicẽte: Deus qui hodiernũ diem Apostolorũ tuorum Petri & Pauli martyrio cõsecrasti: da Ecclesiæ tuæ eorũ in oĩbus sequi præceptũ: per quos religionis sumpsit exordiũ, per Dñm nostrũ Iesum Christum, Amen.

SERMO SECVNDVS.

VT nunc sunt tẽpora, singulis festiuitatibus, singulas denuo rationes cur institutæ sunt, cur in Ecclesia seruentur ostẽdere necessariũ arbitror: tam negligentes sumus, atque quotidie viliores reddimur, his temporibus nouissimis, in ijs quæ magno nobis commodo esse possent, vnde quàm deuiauerimus longèq; à patrum deuotione ac Charitate discesserimus facilè cognosci potest. Sit hodierna festiuitas exẽplo. Et quidẽ Antiquis nihil perinde, atq; per illud Apostolorum omnibus fuerunt cogniti. Vbicunq; enim homines credẽtes erant, illic & horũ duorum magnifica frequẽtata fuit festiuitas. Oẽs Petri admirabantur virtutem, oẽs Pauli prædicabant sapientiam. Vnde in omnibus libris, in omnibus Ecclesijs, in omnibus templis, ipsorum memorias legimus, canimus, considera mus. Quæ sanè dilucidè satis indicant, quę ipsorum semper & vbiq; fuerit autoritas, atq; dignitas apud oẽs Christianos. Et verè Christianus non est, qui ipsos honore nõ dignatur. Quanquam hoc seculo inuenias, qui nec ipsum Christũ magnopere curẽt, nedum Apostolos. Quid aũt maiore reprehensione dignius hac nostra leuitate, si quæ nobis maximarum diuitiarum opulentia per horum manus tradita sit cogi-

tauerimus? Dauid Propheta cũ olim in oratione suaque deuotione suspenso teneretur animo, secũ primæ rerum creationis factũ cogitaret, nõ potuit quin prorumperet, atq; de quolibet diuinæ pietatis omniq; potentiæ facto proclamaret dicẽs: Cõfitemini dño quoniã bonus, cãtate nomini eius quoniã suaue est. Et iterũ: Confitemini Dño, quoniam ille est, qui fecit luminaria magna solus, Solẽ in potestatẽ diei, lunã & stellas in potestatẽ noctis: quoniã in æternũ misericordia eius. Age igitur si Dauid hoc fecit, quanto rectiùs nos idẽ facimus, quorũ vtilitati tanta Deus Ecclesiæ suæ pręfecit luminaria: Quid enim Ecclesia sine vel Petri potestate, vel doctrina Pauli? Petrus diei pręfuit, lucẽs in ea, hoc est, Iudæis quibus vel exiguum lucis erat, ipse prædicauit. Paulus in nocte, hoc est, inter Gẽtes, quibus nulla veritatis lux erat, euãgelizauit. Petrus, inquã, vetustate desertũ, ac infœcundũ agrum sub Legis vmbra à solis veri calore tectũ, in lucẽ producere laborauit. Paulus nouã terram Crucis oratio scidit, frugumq; nescią seminauit. Petrus olim in plãtata laborauit vinea, Paulus nouã vineã, in Gẽtibus quæ non fuerant vinea, fodit, excoluitq; Petrus oliuam purgauit, Paulus oleastrũ cõtra naturã in verã oliuã inseruit. Petrus Iudæorũ duritiã mitigauit, Paulus Gentiũ ignorantiã illuminauit. Petrus saucios Iudæorũ oculos sanauit. Paulus à natiuitate cæcorũ Gentiũ oculos aperuit. Et vt succinctè dicã, hi duo sunt, quorũ opera Ecclesia, in qua nos viuimus, fundata atque ædificata est, quiq; peculiari modo nostri dicendi sunt, vtique singulari gratia nobis missi. Christus eñ ipse in oriẽte vbi ortus solis est prædicauit, occasum solis nõ venit. Verũ ne quid desit nobis, hos præcipuos Apostolorũ in occidentẽ misit: iustũ igitur est, vt ipsos nostros iudicemus: tantùm rectè vtamur illis. Hic verò iustus ipsorũ vsus erit, si doctrina ipsorum fidẽ nostrã cõfirmauerimus: vitę verò eorũ exẽplo vitam nostrã emẽdauerimus. Quę ambo nostro hoc seculo quidẽ maximè necessaria sunt. Primõ inquam, fidei nostræ cõfirmatione opus est nobis. Quotidie enim magis magisq; claudicamus, & quouis doctrinæ vento agitamur. Nouis mundus opinionibus atq; sectis vbiq; plenus est, quorũ alij alijs suã fidẽ anteferunt, deq; vera

Psal. 135.

Acto. 2.

Isaiæ. 5.

Roma. 11.

Ecclesia

Ecclesia iactitat: vnde factū est, vt multi dubitent etiam, vbi vera fides, vera Ecclesia sit. Propterea fidei illa iactātia satis nō est, sed magis quo fundamēto innitatur atq; insistat videndū est. Id qđ Paulus quoq; docet, qui eam quoq; ob causſam ciues nos atq; domesticos Dei vocat, Ephes. 2. quod superædificati sumus super fundamentū Apostolorū & prophetarū. Tum & illa vera fides, veraq; Ecclesia erit, quæ fundamēto Apostolico innititur. Quanquā aūt oēs apostoli in ponēdo Ecclesiæ fundamēto laborauerunt, alius in India, alius in Aethyopia, alius in Asia, alius in Europa (testis enim est Ioannes, cœlestē Ierusalem duodecim fundamentis insistere, in quibus scripta sunt nomina Apostolorum) nullius tamen fundamentū perstitit diutius, quàm horū duorum Petri & Pauli. Nō quod malē ædificarint alij, (vnus idemque in oibus fuit spiritus) sed quia Deo ita visum fuit, vbi enim alij Apostoli ædificarunt, ad tempus fides stetit. Postea verò deficit, iusto proculdubio Dei iudicio. Vbi verò hi duo fundamentū posuerunt, illic & fides & Ecclesia vsq; ad nostra tempora perdurauit. Quæ ergo certior fidei nostrę cōfirmatio esse posset, quàm, quod super fundamētum duorū horum ædificati sumus quorū ædificatio ad nos vsq; perstitit, scire? Hęc fidei norma, quā in Romana ecclesia posuerūt apostoli, nunquā nisi in nostra hęc tpa rupta fuit, semp licet extēsa sit. Id qđ de nulla alia fide dici potest. Nec quisquā oīm hæreticorū demōstrare potest, suā fidē atq; Ecclesiā, ab vllo Apostolorū per verā rectamq; lineā inconcusse ad se descēdisse. Quēadmodū nobis id docere de nostra fide atq; Ecclesia difficile admodū nō est. Atq; ideo hāc Deus vnicā lineā siue normā (meo iudicio) conseruare voluit, vt si qua hæresis orta fuerit, vbi vera sit ecclesia, videre liceat. Quēadmodum & in veteri testamēto factū est: Licet. n. multa orirentur infracta, tū suam fidē Deus semper cōseruabat linea Sic ab Adā ad Seth fides descēdit vera linea, à Seth ad Noē. Verum in linea Cain fides occidit. A Noë, porro vsque ad Abraham in linea Sem, postea mansit in linea Isaac atq; Iacob. Ab hoc oēs duodecim illi tribus susceperunt fidem, tandē verò in sola tribu atq; linea Iuda permānsit. Aliæ. n. tribus ab Iuda atq; tēplo deficiētes sese abscide-

runt. Atq; hęc admirabilis turbatio, horrendumq; diſsi-
3. Reg. 2. dium erat. Alij, in Dan vitulo aureo ſupplicaturi dila-
bantur, alij in Ieroſolymorũ tẽplum cõcurrebant. Idq;
Samaritani ipſius terrę incolæ conſiderantes, & ipſi ſibi
priuatum locũ eligebãt orationi commodũ, nimirũ mon
Ioan. 4. tem in quo Iacob orauerat. Atque in hoc quidẽ diſsidio
quæq; pars ſibi videbatur veram ſe fidẽ verumq; cultũ
Dei habere, habebantq; oẽs ſuos quæq; Prophetas, qui
ſua dũ confirmarẽt, alios damnabant. Cũ tñ nulla illarũ
partiũ verior certiorq; eſſet, q̃ quæ templũ Ieroſolymi-
tanũ ſequebatur. Vtiq; hoc freti, q̃ eam fidẽ à patribus
ſuis p manus accepiſſet lõga ſucceſsione. Id qđ aliæ par-
tes minimẽ poterant. Eandẽ quoq; horũ temporũ ratio
eſt. Licet. n. ſuã fidẽ pleno ore prędicẽt hęretici, nobis tñ
hoc priuilegiũ manet, q̃ ſoli inter oẽs demõſtrare poſſu
mus noſtrã fidẽ atq; religionẽ inde ab Apoſtolis, tanquã
per certiſsimã incõcuſſamq; regulã vſq; ad nos ſeſe pro
tendere. Aliæ. n. ſi reſpicere libet, decẽ, aut maxime vi-
ginti annis plerunq; perdurauerũt, ſectæ. Attamẽ Arria-
na hæreſis etiã centeſimũ exceſsit. Tũ Turcica rabies a-
liquot etiã ſeculis durauit. Nulla tamẽ harũ partiũ Apo-
ſtolos attingit. Noſtra verò linea ad Apoſtolos ſe exten-
dit, licetq; nobis dicere: Sic docuit Petrus, ſic Paulus vi-
xit. In hac linea patres ieiunauerũt, orauerũt: & cur mi-
hi idẽ nõ licebit? Neminẽ verò, ſi quos abuſus in hac li-
nea irrepſiſſe videat, remoretur. Multa quidẽ in Eccleſia
mala videmus, plurima in hac linea obuia ſunt mala: oĩa
tamẽ arguũtur per fidẽ. Nõ eã ob cauſam Eccleſia fugiẽ-
da eſt. Si. n. peccata voluerimus fugere oĩa, ẽ mundo ex-
cedendum erit, quod quòquò nos vertamus, vbiq; pcta
ſint obuia, nullaq; firma nobis erit mãſio. Id quod in A-
nabaptiſtis videre eſt. Dauid & Auguſt. ſuo etiã tẽpore
multa in Eccleſia mala cõſiderabãt, nõ tñ ideo refugerũt
eam, imò verò malũ qđ videbãt tollere atq; cõprimere,
bonũ verò quod deſiderabãt plãtare & prouehere labo
Matth. 13. rabant. Nã & Chriſtus dixit ſemper cũ tritico zizaniam
creſcere. Et Paulus quidẽ impietatẽ fugere docet. Pro-
2. Cor. 1. pter quod, inquit, exite de medio eorũ & ſeparamini &
immundũ ne tetigeretis, & ego recipiam vos, dicit Dñs.
1. Theſ. 2. Alibi tũ in aliã ſententiã de Chriſtianorũ pctis loquitur,
dicens:

dicēs: Corripite inquietos, cōsolamini pusillanimes, susci-
pite infirmos, patiētes estote ad oēs. Tum alibi indura-
torum pertinaciumq; pœnę, hoc est, anathematis modū
perscribit. Quod si magistratus huic Pauli doctrinæ nō 1.Cor.4.
obsequitur, & quod suū est officiū non facit, ideóne Ec-
clesia dānanda erit? An ideo boni fugiēdi erunt, atq; ma-
ledicendi, quod malos inter permixtos habent? Minimè:
Infirmus fugiendus non est, at potiùs qua ratione sanari
possit videndum est. Si ergo inualiditatem Ecclesiæ vi-
des, hoc age, non vt deseras, sed vt adiuues & cures. Ec-
ce hoc modo fidem nostrā Apostolorum eorum respe-
ctu confirmare licebit. Neque tamen id satis est. Fuerunt
illi quidem doctores fidei, sed tamen & pædagogi isti
fuerunt. Hinc illa vox Pauli: Imitatores mei estote, fra- 1.Cor.4.
tres, sicut & ego Christi. Age igitur quos pœdagogos ha
beamus audi. Ex multis enim paucula adferam. Superio
re dominica audiuimus Petrum dicentem: Exi à me Luc.5.
Domine, quia homo peccator ego sum. Ecce verę humi-
litatis vocem. In hodierno Euangelio idē ait: Tu es Chri
stus filius ille Dei viui. Ecce fidei vocē. In Matthæo idē Matt.16.
quoq; : ecce, inquit, nos reliquimus omnia & secuti su- Matt.19.
mus te. Atque hæc veræ obedientiæ vox est. In Ioanne Ioan.21.
verò: Tu scis Domine quia amo te. Ecce veræ in Deum
dilectionis vocem. In Actis ad claudū loquens dicit: Ar- Acto.3.
gentum & aurum non est mihi: sed quod habeo tibi do.
Ecce condolētiæ affectum. In eodem volumine ait: Nō Acto.4.
est aliud nomen sub cœlo datū hominibus, in quo opor-
teat nos saluos fieri, præter nomen Domini nostri Iesu
Christi. Et hæc cōstantię vox firmę est: Tū in Matthęo,
Domine, inquit, bonum est nos hic esse. Et in Ioanne: Matt.17.
Domine, quò ibimus? verba vitæ æterne habes. Et hæc Ioan.6.
sunt, quę in Petro discenda sunt. Haud minora his & in
Paulo legimus. Ille enim, quanquam pro generis digni-
tate atque scientiæ nomen sibi cōparasset, omnia tamē
vt stercora existimat, neminemq; præter Christū Iesum
diligit. Qui non diligit Dominum Iesum, anathema sit, Phil.3.
ait. Videbaturq; sibi prędicās nihil scire se præter Chri- 1.Cor.16.
stum, & hunc crucifixum. Vita Christum imitari stu-
duit. Viuo, inquit, iam non ego, sed viuit in me Christus. 1.Cor.2.
Officio patrē se exhibebat omniū, omnia factus omni-

bus. Ecce eiuscemodi patres habemus, horum studio in fidē ædificati sumus. His ergo adhæreamus, hos sequamur, si modò cōmodis nostris consulere voluerimus. Id ergo vt faciamus præstet Dei in nobis gratia, Amen.

SERMO TERTIVS.

Quando festum hoc secunda, post quintam Trin. Dominicam, feria incidit.

PVlchrè atque commodè hæc Petri atque Pauli Apostolorū festiuitas in hanc diē incidit hoc anno. Hesterno.n. Euangelio respōdet ita, quod illic dictū est Euangelicis verbis, hic Apostoliçis, verum demōstretur exēplis. Inter cætera autem dicebant: Ecclesiā, quā Petro Christus cōmendauit, quæ etiā à Petro ad nos vsq; incōcussa linea descēdit, sempiternā illā nauim esse, qua tu tò turbidū mūdi huius mare tranamus, vnde audenter sine metu nosmet ipsi committere, intrepidè etiam in ea perstare possumus, nunquā ab ea vllis persuasionib⁹ defecturi, vt vt alij nouam suam quam nescio Ecclesiā, iactitēt egregiè. In hoc vero Euangelo Christū dicentem audis: Tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meam, & portæ inferi non preualebūt aduersus eam. Quis aūt nō cupidè huic se cōmitteret naui? Quē non veheméter etiā in ea Ecclesia, quę super petrā ædificata est, iuuaret inhabitare? Vtiq; quę promissionē, eāq; firmā, habet: nihil vnq̄ aduersus eam, vel ipsas etiā inferni portas posse, quæ claues etiā regni cœlestis habēs, ligādi atq; soluēdi potestatē pest. Et hoc qdē primū est, in quo pseus festiuitas hesterno Euāgelio cōuenit. Deinde hāc quoq; promissionē Petro Christ⁹ dedit: nēpe, hominū illū piscatorē fore, tot homines capturū, quot antè cepisset pisces. Id ipsum ergo in Petro hodie, nec solū in Petro sed in Paulo etiā cōsideram⁹. Qui.n. cooperatus est Petro, idē & Paulo vel seipso teste cooperatus est. Hi illi piscatores sunt, quos Christus Euangelicæ doctrinæ cōmisso rete, in spacioſum hoc mūdi pelagus emisit, nimirū vt homines in profundum peccatorū submersos, inq; erroribus suffocatos extraherent, extractos ad veritatis sempiternæq; vitæ lucē adducerent. Petr⁹, inquit Ecclesia, Apostolus, & Paulus Gentiū doctor, Petrus ipsa Pēteco-

Cor. 15.

Euāgelici piscatores.

tecostes, omnibus Ierosolymitanis ob rei nouitatē concurrentibus, & quod in Apostolis factū esset cognoscere desiderātibus, quid rei nouitas significaret, vnde & quo autore factū esset scisciātibus, primū hoc ritē eiecit. Tūc, inquā, primū eiecit Petrus, euge et q̄ bene cecidit, vno ictu duo hominū milia cōuersi sunt. Eiuscemodi deinde et alios plures iactº fecit, imo ab illo die id facere nunquā destitit, nec in cassum, quemadmodū Acta Apost. fusē testātur. Et Paulus quidē postea cœpit tandē: sed qđ neglectū erat tēpore, abūde resarciuit diligētia, assiduo indefessoq; labore, ita, vt verè dicere potuerit: Ego sum minimus Apostolorū, qui nō sum dignus vocari Apostolus, qm̄ persecutus sum Ecclesiā Dei. Gratia aūt Dei sum, id qđ sum, & gratia eius in me vacua nō fuit, sed abundantiùs illis omnibº laboraui. Nō ego aūt, sed gratia Dei mecū, Sanè nō aliū Apostolorū tot vrbes, regiōes, insulas atque regna, Euāgelica tuba pertonuisse, atq; Paulū constat: nimirū ab Ierusalē p Iudæā vsq; Romā peruenit, vbiq; Euangeliū annunciās. Imò verò per illud Apostolorū audebat & se extremis periculis cōmittere, vbi & mare profundissimū, & Satā fortissimus, & mundi potestas validissima atq; terribilissima erat: & summū magistratū, cui totus hic mundus incuruabatur, & maxima deferebat: Romā cunctis mortalibus inuictam, adoriri: & ipsos quidē rerū dnos, qui oēs ditiōes, oīa regna ceperant, inque suā potestatē subegerant, capere, & sub Christi regis iugū domare, poterāt. Quare minimè cuiquā mirū videatur, de ipsis nos canere, q̄ ipsi Principes Ecclesiæ, suæ fidei virtute, spei certitudine, dilectionis q̄; Christi plenitudine principē terræ deuicerint. Et iterū: Ianitor cœli, doctor orbis pariter. Iudices seculi, vera mūdi lumina: per crucē alter, alter ense triumphans: vitæ senatum, laureati possident? Et quid honorificētius de ipsis dici posset? Quod nomen præstātius, quis titulus ipsis dari posset celebrior? Et quidē omniū horū titulorum digni sunt. Principio enim sine dubio Ecclesiæ fuēre Principes, vt qui maxima ex parte eam & ædificarint, & sartam tectamque conseruarint, deinde & verè triumphantes duces spiritualis militiæ fuēre, vt qui etiam adhuc in terra positu dicere poterant: Quis nos separabit à charitate Dei?

Act. 2. 3. 4. 5.

1. Cor. 15.

Rom. 8.

2. Cor. 4.

Tri-

Tribulatio, Anguſtia, fames, nuditas? Et alibi: Perſecu-
1. Tim. 4. tionē patimur, ſed nō deſtituimur. Et iterū: Bonū certa-
men certaui, curſum cōſummaui. Tertiò & ſeculi ipſi Iu
dices ſunt, qui in terris adhuc poſiti dixerunt: Noſtra cō
Phil. 3. uerſatio in cœlis eſt: Et Scim⁹ qm̄ ſi terreſtris hęc domus
noſtra diſſoluatur, q̄ ædificationē ex Deo habeamus, do-
mū non manufactā, ſed ęternā in cœlis. Quartò ſunt etiā
vera ipſi mūdi lumina, vt qui ſua doctrina oēs errorū te-
nebras fugarūt è mūdo, verūq; lumē in quo Deus vide-
tur & quē ipſe miſit, per quē & oia impetrit Ieſum Chri
ſtū. Hos igitur vna vice ambos nobis Eccleſia proponit.
Nec immeritò: Quēadmodū em̄ ſe in vita dilexerūt, ita
& in morte nō ſunt ſeparati. Et quis nō videt quā ſpacio-
ſus hic dicēdi ſe cāpus aperit? Quid laude magis dignū il
la Petri tā conſtātis voce? Tu es Chriſtus filius Dei viui.
Quid honorificētius reſpōſo chriſti? Tu es Petr⁹. Quid
præſtātius Petri verbis in heſterna lectione? Argentū &
Matt. 16. aurū non habeo, q̄d aūt habeo, hoc tibi do: In noīe Ieſu
Act. 3. Nazareni ſurge. Quid magis conſolatoriū ijs quæ hodie
lecta ſunt: quāto Deus Petrū miraculo è carcere liberaue
Act. 12. rit, q̄ cathenæ de manibus ipſius ſua ſpōte ceciderint, q̄
immunis ipſe, imò alijs incōſiderantibus per vtranq; cu
ſtodiā abierit, q̄ prima porta vltro illi aperta fuerit. Vnde
& vox illa ipſius noīe in ipſo ſacri Introitu cantata eſt:
Nūc ſcio vere quia miſit Dñs angelum, & eripuit me de
manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudęorū.
Et qui dicēdi materia, ſi Paulū reſpicias, offertur? Quāta
Lucas de eo in Act. à 9. cap. vſq; ad finē perſcripſit? Sed
quia legentibus hæc ſunt obuia, & ſimplicioribus multa
id genus ſuperioribus annis dixiſſe me memini, diutiùs
nūc ijſdē immorari ſuperfluū arbitror. Cuiq; veſtrū pre-
cationē illā Eccleſiæ tantū cōmendo, vt ea corde atq; o-
re ad Deū patrē precemur. Id q̄d rectè hāc feſtiuitatē ce-
lebraſſe erit. Deus qui hodiernū diem Apoſtolorum Pe-
tri & Pauli martyrio conſecraſti: da Eccleſiæ tuæ eorum
in omnibus ſequi præceptum: per quos religionis ſum-
pſit exordium, per dñm noſtrum Ieſum Chriſtum, Amē.

SERMO QVARTVS.

*Quando feſtinitas hæc in quartam Do-
minicam Trinitatis incidit.*

Perap-

PErappositè presens festiuitas, qua duobus illis Petro & Paulo Apostolis nostris parẽtamus, cũ dñicali Euangelio cõuenit. In hoc enim vt misericordes sim⁹, Christus initio admonẽs, multis deinde quomodo misericordiæ vocẽ intelligere debeamus, annectit: nẽpe ne iudicemus, neq; condẽnemus, sed ignoscamus atq; dimittamus. Tũ pleno Ecclesia ore de Apostolis nostris canit. Hi, inquit, sunt viri misericordiæ, quorũ pietates nõ defecerũt. Cũ semine eorũ permanẽt bona, hęreditas sancta nepotes eorũ. Quid autem rectiùs cõiungitur, quid pulchriùs cõuenit fido præceptore cũ nõ ignauo discipulo? Quis vnquã maiore fide docuit Christo? Quis auditor diligẽtior discipulis? dñe, inquiũt, verba vitæ æternæ tu habes, & quò abibimus, tui vt simile inueniamus? Paulus vero: Imitatores mei estote, inquit, sicut & ego Christi. Vt ergo diligẽter CHRISTVS in dominicæ huius diei Euangelio misericordiã docet, ita etiã non inconueniẽter Apostolis tribuitur fuisse viros misericordiæ, hoc est eiusmodi hoĩes, in quibus oĩs generis misericordia cõspiciatur. Misericordiã. n. à Deo cõsecuti, ex misericordia Ecclesiæ à Deo dati sunt, misericordes semp fuerunt. Ita. n. D. Bernardus exponit, atq; hæc tria in Apostolis nostris demõstrat. Vide, inquit, quã misericordiã cõsecuti sunt. Paulũ interroga de seipso, vel magis spõte confitentẽ audi: Qui blasphem⁹ fui et persecutor et iniqu⁹, sed misericordiã consecutus sum. Et iterũ: fidelis sermo & omni acceptione dignus: qm̃ dñs Iesus venit in hunc mundũ peccatores saluos facere: quorũ primus ego sum. Verùm apud Petrũ aliud habeo qđ apponam, abundantiore modo in illo se misecricordia Dei exhibuit, dũ non modo in gratiã, posteaquàm tã horrẽdè cecidisset redijt, sed & pristinũ honoris gradũ recuperauit. Nã peccauit Paulus, sed ignorans fecit, in incredulitate: Petrus cùm cecidit apertos habuit oculos: eoq; maius delictum habuit. Non. n. vt Paulus ex ignorantia aut incredulitate peccasse se dicere potuit. Vbi verò abũdauit delictũ, superabũdauit & gratia. Cõuersus Dñs respexit Petrum. Vtiq; misericordiæ respexit oculis. Post resurrectionẽ. n. hoc primum dicebat angelis: Ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Deinde nõ iam primus,

Eccl. 44.

Psal. 6.

1. Cor. 11.

1. Cor. 15.

Luc. 22.

Marc. 16.

sed

sed solus erat, cui Christus dicebat: Pasce oues meas. Ecce hoc modo Apostoli nostri viri misericordiæ dicūtur: nēpe, quia tantā misericordiā suā Deꝰ in illis ostēdit idq; ad consolationē omniū peccatorū. Si enim ex ignorantia peccasti, Paulū: si post agnitionem veritatis & voluntariè lapsus es, Petrū respice: Nā vt Paulum suscipit, sic nec Petrū excludit. Modò quemadmodū Petrus per gallicantum, hoc est, per Legis prædicationem, ita nos quoque ad cor redierimus, à peccato surrexerimus, ipsumque defleuerimus, & firma fide gratiam Dei & consolationē expectauerimus. Hi sunt viri misericordiæ. Quod si quis vel nescit vel non credit Deū esse misericordē, atque peccata hominū remittere, hos ambos Apostolos respiciat. Sed non modò misericordiā eos consecutos, verumetiam ex misericordia nobis datos, & ad nos missos
Matt. 9. cogitemus. Ita enim legimus Matthæo referēte: Vidēs Iesus turbas, misertus est eis, quia erāt vexati, & iacētes sicut oues non habētes pastorē. Tūc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij verò pauci. Rogate ergo Dūm Messis: vt mittat operarios in messem suā. Mox vero sequitur, ꝙ missis duodecim Apostolis præceperit di-
Matt. 10. cens: Eūtes prædicate, dicentes: quia appropinquabit regnū cœlorū. Et hæc secūda ratio est, cur dicātur viri misericordiæ: quod ex misericordia Dei ad nos missi, misericordiā prædicarint. Vnde dixerūt: Posuit in nobis verbū reconciliationis. Et quis nō videt, quā præstās hoc di-
1. Cor. 6. uinæ misericordiæ donū sit, & quā nos ad gratias referē das Deo obligamur? Eramus peccatis obnoxij sed abluti, sed sanctificati sumus. Eramus tenebræ, & sine Deo: & ecce ciues sanctorū & domestici Dei facti sumus. Et cui id debem⁹? Deo ipsiusq; gratiæ. Et qua via ad nos isthęc gratia venit? vtiq; per Apostolicā prædicationē. Hi ergo sunt viri misericordię: Misericordiā cōsecuti sunt, misericordiam prædicauerunt, pleni miseratione & dilectione fuerunt, pro eadem sua miseratione & dilectione, serui nostri permanebunt vsque in finem. Argentum & aurū,
Act. 3. inquit, Petrus, non habeo, quod autem habeo hoc tibi
2. Cor. 12. do. Et Paulus. Testis, inquit, est mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Iesu Christi. Et iterum: Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar

ipse

ipsè pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar. Tam pleni enim misericordia erant, vt nulli labori parcerent, nullū periculum timerent, tantum à perditione eximerent. Salus hominū atque conuersio, vnicum imò & summum ipsorum gaudium atque bonum erat, quod quærebant & cuius causa tantopere laborabant. Nā & Petrus summè lætabatur, intelligens quomodo & Gentibus annunciandum esset Euangelij verbū. In veri- Act. 10.
tate, inquit, cōperi, quia nō est personarū acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Et in Paulo quidem multa id genus vo- Phil. 4.
ces legimus. Gaudium meum & corona mea, ad Philip- Ibid. 2.
penses scribit. Et ad eosdē: implete gaudium meū. Et ad
Thessalonicenses. Quæ est, inquit, nostra spes aut gau- 1. Tes. 2.
dium, aut corona gloriæ? Nónne vos? Et ad Corint. Mul 2. Cor. 7.
ta mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis: Repletus sum consolatione: superabundo gaudio. Quæ omnia satis declarant, plena eos misericordia atq; dilectione affectos fuisse. Non igitur immeritò viri misericordiæ dicuntur? Ideo etiam iustitiæ eorum obliuionē Eccl. 44.
non accipient. Corpora eorum in pace sepulta sunt, nomina autem eorum viuunt in seculum seculi. Sapientiam eorum prædicent populi, & laudem eorum omnis Ecclesia narret. Quæ verba si vspiam impleta sunt, certè in his duobus impleta sunt Apostolis. Si igitur & nos sempiternam memoriam volumus, si obliuionem refugimus, si nominis gloriam apud Deum atq; homines appetimus, ad misericordiam Dei festinemus, gratias Deo agamus, quòd misericordiam nobis suam exhibuit. atq; quotidie offert. Exhibeamus verò & ipsi erga proximum nostrum misericordiam. Idque Apostolorum nostrorum exemplo. Estote misericordes, inquit Christus. Atque hoc modo præsens festiuitas cum dominicali Euangelio conuenit. Quæ omnia piè Christianus penitus secum examinet. Quotidie enim per illud Apostolorum nobis loquitur, ita vt integrum sermonem inde contexere necessarium non sit. Deus Opt. Max. qui per ipsos religionis dedit exordium ipsorum nos sequi doctrinam largiatur, Amen.

IN

IN DIE VISITATIONIS MARIAE EVANGELIVM

Lucæ 1.

EXurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Et factum est, vt audiuit salutationē Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est spiritu sancto Elizabeth, & exclamauit voce magna, et dixit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vētris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatē ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatā me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes implevit bonis, & diuites dimisit inanes. Suscepit Israēl puerum suum recordatus misericordiæ suę. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Mansit autem Maria cum illa, quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.

EO-

EODEM FESTO EPISTOLAE LOCO LECTIO

Cant. 2.

ECce iste venit saliens in montibus, transiliēs colles. Similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cācellos. Et dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit: Vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt suum. Surge propera amica mea: speciosa mea & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Ostēde mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

SERMO PRIMVS.

TAnta diligentia à Luca Euangelista conscriptū hoc Euangelium, tā grauidum exēplis pulcherrimis est, vt nemo tam sit simplex qui quàm piè iustéque factum sit, dum peculiarem illi festam diem Ecclesia instituit, non videat. Neque enim tam lapideus quisquam est, qui ad huius Euangelij auditū nō molleſcat. Nemo tam inconsideratæ mentis est, qui hoc Euangelio, cū in Deū ipsum, tum erga eos, in quibus Deus miraculosē operatus est, non incitetur. Totum enim Euangeliū nihil præter gratiam atque opera Dei sonat. Vnde hos ipsos quorum Euangeliū meminit, in Deo exultare, suūq; gaudiū tū corde, tū etiā verbis atq; opere ostendere, nemo miratur. Præ exultatione em̄ psallit Maria, præ nimio gaudio clamat Elizabeth. Et ipse etiam Ioānes adhuc in materna clausus aluo, in gaudio exultat, cū psallere atque clamare

non potuit. Hæc festa dies, hoc gaudiũ cum iubilatione tunc temporis in Zacharię ędibus celebrabatur. Omnia autem in Deo atque ex eodem, pro cuiusque & pietatis ardore ac zeli feruore. Mundanum enim gaudium, &
2. Cor. 10 quicquid hic mundus egregium habet & æstimat, illic locum non habuit: sed Deus ipse omnia erat in omnibus. Propterea non absurdè, Ecclesia nec immeritò huic solennitati, Arcæ Dei in Obed Aedom domum inuectæ historiam, cuius gratia Deus ita ipsius viri do-
2. Reg. 6. mum omnem benedicebat, vt ipse deinde Dauid in sua palatia arcam introducere moueretur, comparat. An non simile in hoc Euangelio videmus hodie? An non Arca atque thalamus, in quo vnigenitus Dei filius requieuit, Maria fuit? Huic enim rei plurimũ seruit, quod quemadmodum tribus mensibus Arca Dei in ædibus Obed Aedom requieuit. Ita sit Maria. Qua ex re Zacharias omnisque domus eius parem Dei benedictionem suscepit. Nam & ipse, & Elizabeth, & Ioannes spiritu sancto repleti sunt, nec quicquam tam exile tamque abiectum in tota illa familia, quod hanc Dei benedictionem non senserit, atq; hęc omnia propter Arcã imò per & propter eũ qui in arca latebat, vt non immeritò Elizabeth exclamauerit: Vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me. Rectiùs verò deinde dixisset: Venerunt mihi omnia pariter cum illa. Iã verò si nobis Dauid spiritus adesset, vtiq; quẽadmodum Dauid ita nos quoque loqueremur atque faceremus. His ergo postquã audiuisset Arcam Dei intrasse in domum Obed Aedõ, dixit: Ibo, & reducam Arcam cum benedictione in domum meam. Et quidem fecit, quod dixerat. Hic ergo Zacharię fœlicitatem, quã ab illa die habuit, qua Maria intrauit, cogitemus. Atque hęc nos deceret diligentia, vt & ipsi participare diuina gratia studeremus. Id quod facili opera possemus efficere. Neque. n. quicquam vel in Deo, vel in Dei deest donis. Dives enim est in misericor-
Ephe. 2. dia. Et quod illo tempore fecit in Zacharię ędibus, non quatuor illarum personarum causa tantum factum est, quemadmodum nec paucorum hominum causa in mundum venit: sed vt omnibus vbiq; populis, quantumquidem in se est, eiusmodi gaudia proponeret, paremque gra-

gratiam conferret. Id quod omnes semper pij, nosque etiamnum experiremur, nisi ipsi diuinæ gratiæ obicè opponeremus. Ego, inquit, sto ante ostiũ, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum: & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Si quis ergo ea, quæ Zacharias in cordis sui domo, non inuenit, sibi imputet. Stat.n sentẽtia firma, dicẽte Deo: Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Propterea dignius atque honestiùs nobis agendum esset: vt quam vult Deus gratiam suam nobis exhibere possit. In nobis enim & maxima ex parte situm est, vt à Deo glorificemur. Nec multa inquisitione hic opus est, an ad eam prædestinatus sis. Lata enim hæc est sententia: Si honorificaueris Deum glorificaberis ab eo. Verùm illud quoque diligenter atque solicitè cogitandum erit, non sufficere si Deum labijs externoque quouis cultu honorificaueris: sed quemadmodum Sapiens, seniores docet honorandos, verbo, opere, & omni obedientia: ita etiam Deus honorari vult, corde, lingua, atq; manu: hoc est, fide, confessione, mandatorumq; ipsius perfectione. Deum enim honoramus, quando ipsum bonum, potentem, veracem, pium, iustumque credimus. Sic enim Abraham honorificauit eum: Propterea etiam scriptum legimus: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Sic & Maria: Vade audit: Beata quæ credidisti. Hæc, enim, nempe fides, ante omnia Deo placet: vnde & iustitia illi tribuitur. Contrà verò vehementer Deo displicet, si minus crediderimus, sperauerimus, timuerimus, dilexerimus. Post fidẽ Deus etiam lingua prædicandus est. Sacrificium laudis, inquit ipse, honorificabit me. Hinc Petrus nos vocatos esse ait, vt annunciemus virtutes eius, qui vocauit nos de tenebris in admirabile lumen. Et huius quidem laudis pulcherrimum sanè exemplum suo Cantico Maria edidit. Denique etiam opere, hoc est, vita, atque mandatorum Dei perfectione honorificatur. In quẽ sensum CHRISTVS loquitur: Quousque dicitis mihi, Domine Domine, & non facitis ea quæ dico? Et ipse quidẽ suo exẽplo Deũ nõ solũ verbis, verumetiá ac multo magis mandatorũ ipsius obedientia,

Apoc. 3.

1. Reg. 3.

Gene. 15.

Luc. 1.

Psal. 49.

1. Pet. 2.

Ioan. 13.

Ioan. 17. tia, honorificari docuit. Pater, inquit, ego te clarificaui
super terram. Quæris quomodo? Manifestaui nomẽ tuũ
hominibus quos dedisti mihi. Sed nunquid præterea ef-
fecit? Opus, inquit, cõsummaui. Ecce quod & opera Deo
Isa. 58. placeãt. Huc etiã pertinet quod in Isaia scriptũ est, quod
qui honorificat Deũ, non pro suæ voluntatis arbitrio vi
uat, sed esurienti panẽ suũ frangat, nudosque vestiat, &c.
Propterea toties Christus testatur patris se voluntatẽ im
Ioan. 4. pleuisse. Meus cibus est, inquit, vt faciã voluntatẽ patris
Ioan. 6. mei. Et: descẽdi de cœlo non vt faciã voluntatẽ meam,
Ioan. 14. sed eius qui misit me patris. Et: Sicut mandatum dedit
mihi pater, sic facio. Ecce breuissimè ostensum est, quo-
modo Deus honorificetur fide: nempe cõfessione atque
vita. Cauendum ergo nobis est sedulò, ne quid horum
negligamus. Contrà verò & illud memoria tenendum
est, quomodo Deus contemnatur, nimirum incredulita-
te, abnegatione, ipsiusq; voluntatis contemptu. Et quid
Scriptura dicit? Qui me honorificauerit, glorificabo eũ.
Iam verò interne Deus eos qui honorant se, glorificat,
quando eos sanctificat, iustos, veracesque efficit. Et hu-
ius rei exemplis scriptura plena est. Tum etiam honora-
tos conspicuosque facit, & tandem in regno suo æterna
beatitudine honorificat. Cõtrà verò contemptores suos
contemnit, internis bonis eos spoliat: externè obscuros
inquit, atque in æternum arguit. Agitè ergo, hæc consi-
deremus atque cogitemus. In Mariæ virginis matris re-
spiciamus exemplum, quæ summè Deum honorificauit,
& vicissim ab ipso summè glorificata est: ita vt omnes di
cere oporteat: Benedicta tu inter mulieres, nec sub sole
habes simile. Hoc sequamur. Gratia Dei nobiscũ. Amen.

SERMO SECVNDVS.

Super Canticum Aue præclara.

EVangelium quod hac festiuitate Ecclesia legimus
pulcherrimum, eorum me verborum admonet, quæ
olim de honestissima Iudith dicebantur, quando
in medium Assyriorum sese ingerebat, dolo circumuen-
tura Holofernem, eoq; mundo suo omniũ pretiosissimo
ornata esset, vt verba corã ipso rege faceret. Nõ est, aie-
bant talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudi-
ne, & in sensu verborum. Adeò pulchritudinẽ eius, de-

cus,

cus, atq; facundiâ admirabantur: sed quæ suo ipsorum damno erant, per eadem enim ipsa decepti, confundebantur. Multò vero rectiùs nobis hæc de virgine nostra dicere licet. Id quod non modò damnú nullum verumetiam ingens nobis adferet commodum. Monet quidé, & rectè Scriptura, ne quis alienam speciem respiciat, quòd multi in illa perierint, vt videre est ante diluuium, in Sichem, in Dauid, in Amon, ac duobus presbyteris in Babylone. Verùm nullum hic periculum timendum est: tuto atque cum magna securitate virginis huius dicendi suauitatem admirari licebit, sine metu illius faciem intueri poteris. Non enim in carnalem te solicitabit amorem, sed in Dei inflammabit charitatem, nisi forte omnino lapis fueris. Imò vero ideo hoc Euangelium perscriptum est, ideo hæc festiuitas instituta est, ideo etiam ipsa virgo proponitur, vt ornamenta illius ac decorem, atque verba, cum omni diligentia consideremus, admiremur, atque in ijs oblectemur. Neque vero decus illius ima corporeà, momentanea faciei aut corporis est gratia: ipsius ornamenta non mundus muliercularum fastuosarum est: Tum nec verba illius fruſtranea, inanis, dolosa dicacitas est: sed decus ipsius, decus Deo placens est: ornamenta illius ornamenta animæ sunt: verba illius, verba veræ pietatis sunt. Quæ omnia in hoc Euangelio considerantur, & ita, vt quicunque tandem legerit attentiùs, huic virgini similem in toto orbe esse, vel forma, vel decore, vel verborum prudentia, facilè sit negaturus. Idque non multa demonstratione eget. Principio enim si mores, modestiámue aspexeris virginis videbis decorem, ipsius non in extraneo ornatu, aut capillatura aut circundatione auri, aut inanibus, aut indumẽto superfluo, situm fuisse. Minimè. Verùm hoc Deus ipsius fuit, non sublime sapere, nec superbire pro acceptis Dei donis, sed mox audita gratia, quam Deus Elizabeth cognatæ suæ exhibuisset, quomodo & ipsam visitasset, prolisque fœcunditate donasset, sui oblitam planè alterius congratulatum abire fœlicitati, deinde mox surgere, non, nec labore nec difficultate deterreri, & qua ratione alijs dilectionis sanctæ obsequia exhibeat cogitare. Tertiò in montana festinare, vt cuius mens sensusque non ad ĩ-

Eccl. 5. & 15.

sima sed magis sursum ad cœlestia erecti sint. Quartò, non morā in vicis, in hominum frequentia trahere, non omnia scrutari, non circumspicere: sed properare. Quinto non ad leues, suspectósue: sed ad pios, ad iustos, sanctosque diuerti. Sextò Elizabeth, longè sane apud Deum inferiori seruire, idque non vno aliquo die, sed tribus integris mensibus. Postremò, Deo soli omnia ascribere. Hoc ergo decus virginis nostræ est. Nec aliam facilè inuenias, in qua omnia hæc tanta perfectione conspicere liceat. O beatam te, quæ credidisti, clamat Elizabeth. Hæc formę species & pulchritudo est, de qua & Dauid loquitur: Audi filia, & vide, & inclina aurē tuā, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui, hoc est, si Deo placere cupis, audi, crede, ipsiq; adhæresce: & sic concupiscet rex speciem tuam, quoniā ipse est Deus tuus, & adorabis eum. Ipsius enim fides longè præstantior est fide Abrahamica, quod ea credidit quæ cunctis seculis inaudita erant, imò, quæ secundum naturæ cursum impossibilia erant. Vis tertiò quoq; videre, quia in terra omni, talis mulier in sensu verborū non sit? Quid in cantico suo canat, vide: Fuerunt quidē & aliæ fœminæ, quæ compositis canticis Dei laudes cantauerunt: vt Mosi soror Maria, Delbora, Anna mater Samuelis, Iudith, et alię. Sed hæc cæteros sua Cantione longè præstat. Illa enim principio quid sit Deus, nempe Dominus, indicat: dominus omnium hominum, salutare eorundem, Deus potens, cuius nomē sanctum est. Deinde quodnam illud diuinæ pietatis factum sit, quod in se Deo autore peractū est, confitetur. Respexit, inquit humilitatem ancillæ suæ: fecit mihi magna. Duo facta, vtrunque egregium, quorum illud spiritus bona, quibus eam Deus dotauerat, hoc incarnationem Christi ad quam eam ipse Deus præ cunctis selegerat, respicit. Tertiò & illa enumerat facta, quę in vniuersum Deus in mundo operari consueuit, vt sunt timentibus misericordiam præstare, superbos disperdere: potentes deponere, humiles exaltare: esurientes bonis implere: diuites inanes relinquere. Hæc Dei opera consueta sunt. Quartò etiam in specie virgo nostra quid priuatim Deus in Israële operatus fuerit: nimirum quod misericordiam suam atque veritatem in illis ostenderit,

Exod. 15. 1. Reg. 1.

recen-

recenſet. Pro ſua enim miſericordia Chriſtum illis promiſit, pro veritate ſua eundem ad ipſos miſit. Ecce omnia hæc virgo noſtra hoc in Cãtico perſtrinxit. An non igitur mihi licebit dicere: Eiuſcemodi fœminam in terram non eſſe? Vides ergo quàm multa & quàm varia nobis hic cogitanda proponantur? Et ſanè hæc hodiernæ meditationi abundè ſufficerent, nec quicquam meditabimur vtiliùs. Sed tamen præterea ac præſtantius quid audiendum nobis eſt. Canticum ergo cuius exordium eſt ſalutatio: Aue præclara: conſiderare libet. idque breuiſsimè, tantùm vt quod vobiſcum conſideretis habeatis vel aliquid. Tria autem in illo Cantico facit Eccleſia. Principio oculos, mentem, cogitationesq; omnes ad hãc virgunculam conuertit, tantum præ admiratione eorum quæ in ipſa Deus omnium noſtrum bono operatus eſt. Atq; huc prima illa verba reſpiciunt. Aue præclara. Mox ipſa opera, quæ per eã Deus fecit recẽſet, atq; veteris teſtamenti figuras horũ operũ inſerit, atq; hic multi reſpiciũt verſus teſtamẽti figuras horũ operũ, inſerit, atq; hic multi reſpiciũt verſus à primò vſq; ad duodecimũ. Poſtea precationẽ ſubdit, quemadmodũ in omnibus, quicquid boni de Deo intelligimus, precibus concludendũ eſt, atq; hic quieſcimus. Eſt autẽ illa Eccleſiæ perpulchra oratio. Principio Mariam, vt quam proximam gratiſsimamque eſſe Deo, non diffidat alloquitur. Sed nec hoc contenta, ſed conſiderato quod nec ipſi ſancti omnesque angeli cœleſtes ex ſe quicquam poſsint, mox ad Chriſtum ſermonem conuertit, vt qui nõ homo modò, ſed & ipſe Deus ſit, & cui omnia Pater in manus dederit, quæ in cœlo quæque in terris ſunt. Audi nos, Mariã alloquitur, nã te filius nihil negãs honorat. Salua nos, ad Chriſtũ cõuerſo ſermone ait, Ieſu, p quibus virgo mater te orat. Et hic videre eſt illa quã etiã in litanijs ſuis obſeruat differẽtia. Ab hominibus quidẽ & angelis tantũ intercesſionẽ petit, verùm à Chriſto auxilium atque ſalutem. Et qua meliore via poſſet hoc fieri? Nulla ſiue angelica, ſiue humana creatura tam per ſe præſtans eſt, vt auxilium ex ſe præbere, aut ſaluare poſsit. Dñi eſt ſalus, & ſu per populum tuũ benedictio tua. Aptè igitur poſitę ſunt orationes Eccleſiæ: Audi nos, ſalua nos. Magna diffe- Pſal. 3.

rentia distant, audire & saluare. Omnes quidem audire preces, sed nō omnes exaudire & opitulari potest. Vnus est, Iesus, hic potest. Ideoque in hoc auxilium salusque querenda est: & alios quidē vt prēces miseriasq; nostras respiciant, vt vnà precentur nobiscū, orare possumus. Et hanc qui animaduertit differentiā, non vspiā aberrabit. Interea tamen neminem moueat, aliquas precatiuncu-las, ab ipsa etiā Maria auxilium opemque videri petere. cum dicimus: Da fontem boni. Nam illa voce, Salua nos Iesu, illi opinioni præuentum est. Verùm qua rione pro nobis Sancti orent, In Ioanne satis abundè docui: atq; ea præteriēs, quid in hoc Cātico precari doceamur, in-dicabo. Idq; maximè nostra refert. Omne bonū à Deo nobis manat, & ab ipso petendū illud est, nihilominus tamē illi, suæ voluntatis beneplacitū relinquentes, velit per seipsum an per alios quasi media quod rogatur prę-stare. Iā verò hoc Cātico multa & præstantia à Deo pe-tere docemur, omnia Scripturarū testimonijs fundata: pri mò vt nudis sine calceatu pedibus, puris labijs, mūdo-que corde liceat appropinquare ad ignem sanctū, quam Maria virgo mater portauit, quēadmodum, olim rubus in igne flammaq; Mosi videbatur, sed non cōburebatur. Et hoc primùm precari docemur, quo etiam ad veteris testamenti historiam quę Moses tyrannidem Pharaonis
Exod. 3. fugisse commemōrat, respicere monemur. Moses enim fugiens Pharaonem, Lethro soceri sui oues pascēs in de-serto, videbat quod rubus arderet & nō combureretur, dicebat ergo: Vadā & videbo visionem hanc magnā, vbi autem proprius accessisset, videbat non esse naturalē ig-nē, sed Deum loquentem sibi in rubo audiebat: Moses Moses, non approperes huc. Hanc igitur historiā, precā-tio illa respicit. Et bene. Nam & nobis tyrannus est, qui vitæ nostre insidiatur: ipse nimirum Satan. Et ipsum sa-nè tutò fugere nō licet, nisi sacrum ignem accesserimus, ad essentiale Dei verbum, ipsum filium, quē Maria virgo mater portauit, & virginitate integra genuit. Hūc enim ignem quicunque viderit atq; accesserit, sine dubio vo cē illam plenā cōsolationis audiet: Ego Dominus De-us tuus, vidi afflictionem tuam, descendi vt liberē te. Et quid magis consolatorium in hoc deserto, in hac inquā

la-

lachrymarum valle audire possemus? Ecce hac ratione precari monemur, vt cõsecuti gratiam, hunc ignẽ videre, ad ipsum accedere, hoc est Christum Dei filium agnoscere, & ad ipsum venire possimus. Non enim cuiuis hoc datum est. Nemo venit ad eum nisi patre trahente. Vt ergo trahamur, à patre precari docemur. Sed & quid nostra parte faciendum est admonemur. Deus quod suũ est, facit: Omnes trahit. Calciamenta pedum soluenda sunt, mortua peccati opera deponẽda sunt, mundis labijs puroque corde accedendum est. Alioqui enim plus incommodabit hic ignis quàm speraſſemus. Deus noster, inquit Moses, ignis consumens est. Et dominus ipse: sanctificabor in ijs qui appropinquant mihi. Nõ ergo quid precandũ nobis si tantùm, verumetiam quid orantibus præstandum sit hoc cantico docemur. Quod si exaudiri volumus per Christum, vt Moses ita nobis etiam accedendum est: accedendum, inquam, solutis calciamentis mundo corde purisque labijs. eo planè modo quo Paulus viros in omni loco, & puras manus leuare præcipit. Et hac primùm ratione precari hic docemur. Deinde etiam vt fontẽ suauem per petrã deserti figuratum plena ac pura fide gustemus hoc ipso Cantico docemur. Qua re iterũ in veteris Testamenti historiam respicere monemur, quæ Deum sitibundo populo è petra durissima in deserto aquam præbuisse commemorat. Petram illam Mosen accedere Deus iussit. Hac ratione vt & ipsi suauem de petra aquam gustemus docemur orare. Est aũt hæc aqua nihil nisi spiritus sanctus, imò omnis generis gratia & cõsolatio. Petra autẽ, Paulo docẽte, Christus est. Petra percutiẽte Mose, aperta est: Iudaico populo Christũ occidẽte, varia dona gratiarum veluti è fonte suauissimo fluxerũt, nec fluere desinẽt. Sed hęc aqua nõ omnibus datur, nisi pura fide accedentibus. Qui credit in me, inquit Christus, flumina de vẽtre eius fluent aquę viuę. Vt igitur hunc fontẽ pura fide gustemus. Dei gratiã expetimus: Semel verò degustatus, sine dubio sui desiderium excitat. Domine, inquit Petrus quo ibimus, verba vitæ æternæ habes. Et: Bonum est nos hic esse. Tertiò & hoc precamur, vt lati in mari renibus constrictis, anguẽ æneum in cruce speculemur. Et hoc rursus

Leuit. 10.

Exod. 17. Num. 20.

1. Cor. 10

Ioan. 6.

Matt. 17.

veteris testamẽti libros reuoluere monemur. Mosi enim præceperat Deus vt liberandis populis à serpentũ morsibus, serpentem æneum in signum erigeret, quo viso viuerent. Rectè igitur hic orare docemur, vt à Diabolo per peccatum læsi, exaltatum serpentem, ipsum crucifixum Christum liceat aspicere. Habebat enim æneus ser-
Ioan.3. pens, figuram Christi, ipso dicente: Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum nõ pereat, sed habeat vitam æternam. Et quid in hoc deserto rectius precari possumus. Percussi sumus omnes, omnes præcipitati in peccata, nec vllum contra hanc pestem remedium præter crucifixum Iesum, nec licet hunc nisi baptismate lotis, & post baptisma succinctis lumbis ambulãtibus, hoc est, in puritate ac pietate vitæ &, non in carnis desiderijs incedentibus, aspicere. Et hęc tertia oratio. Hæc quarta est: Da fontem boni visere, da puræ mẽtis oculos in te defigere. Da non modò fontem deserti degustare, verumetiam omnis boni fontem videre. Et qua ratione id fiet? Da puræ mentis oculos in te defigere. Soli enim
Matt.5. mundi corde Deum videbũt. In hunc verò finem, boni fontem visere cupimus. Christum agnoscere petimus, nõ iam vt scientes credentesq; de ipso multa loquamur, verumetiam vt sapientiæ hausto saporẽ vitæ valeat mẽs intelligere. Et quid sapientia vera, nisi Euangeliũ gloriæ Dei, per Christum manifestatum, in ipso & ex ipso saporem vitæ intelligimus. Christo dicente: Qui sermonem
Ioan. 14. meum seruauerit, mortem non gustabit in æternũ. Ideo Christi agnitionẽ petimus, vt ipsius sermonẽ audientes, hoc ipso ad vitam animæ pertingamus, deinde etiã Christianismi fidem operibus redimamus. His rebus Christi agnitio commodat. Quousque inquit Christus, dicitis mihi Domine Domine, & nõ facitis quę ego dico vobis,
Luc.6. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in
Matt.7. regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei. Et quibus operibus fides Christianismi redimenda est? Audi Petrum: Vos autem, inquit, curam omnem subin-
Phil4. ferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in

pie-

pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis Charitatem. Hæc enim si vobiscum assint, & superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent, in Domini nostri Iesu Christi cognitione. Idem Paulus facit, cum ait: Fratres, quæcunque sunt vera, quęcunque pudica, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, si qua virtus, si qua laus disciplinæ: hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis & vidistis in me: hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum. 2. Petr. 1. Hæc vera fidei redimicula sunt, sine quibus omnis fides in semetipsa mortua est. Tertiò denique Christi agnitio huic rei seruiet, vt beato fine ex huius incolatu seculi ad Deum patrem nostrũ transeamus. In hunc enim finẽ creati sumus, huc omnes tendimus, nõ vt hìc perpetuò maneamus, sed vt æternum cum Deo viuamus. Et hoc ipsum à Deo petendum est, vt mediante fide optatum finem consequamur, quandoquidem soli beati sunt, qui in Domino moriuntur. Tum demum hoc nobis præstat fides quando in se perfecta est. Qui enim credit in Christum, in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam. An nõ igitur Ecclesia Canticum hoc suum, quo cum admiratione virginem matrem sibi proponens, Deiq; in ipsa gratiam commemorat, tam pijs precationibus pulchrè concludit? Omnes enim precationes ille Deum, & quem ille misit Iesum Christum respiciunt: ita tamen vt hæc Dei cognitio per bona opera in nobis sit fructifera, vt tãdem aliquando ad clarissimum lumen pertingamus. Quam enim hic habemus Dei Christiq; agnitionem perexigua & ex parte est. Modò enim per speculum videmus in ænigmate, illic autẽ facie ad faciem videbimus. Deus Optimus Maximus faxit, vt his precationibus rectè ac piè vtamur, inq; his exaudiamur. Idq; vt faciat, gratiam suã omnibus nobis pręstet,

Amen.

IN

IN DEDICATIONE ECCCLESIAE EVANGELIVM.

Lucæ. 9.

ET ingressus (Iesus) perambulabat Iericho: Et ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat Publicanorum, & ipse diues. Et quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus. Et cùm veniſſet ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descēde, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit: & excepit illum gaudens. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorum diuertisset. Stans autem Zachæus dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorū meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquē defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus huic domui facta est, eò quòd & ipse sit filius Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

EODEM DIE EPISTOLA APOCA.

Ioan. 21.

ET ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentē de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem:

Ecce

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierũt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi. Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt & vera.

SERMO PRIMVS.

TOties hoc Euangelium quotannis, maximè in hac ciuitate quæ vt multa tẽpla habet, ita plurimas dedicationes frequentat, prædicatur, vt verisimile sit (vt nunc sumus ad pietatem omnem negligentes, ad nugas leuitatemq; prompti) non fieri modo, quin multi fronte corrugant, imò ridiculè hoc Euangeliũ excipiãt: cum tamen ea ipsius dignitas est, vt satis deprædicari possit minimè, & pro merito rectiùs quotidiè in Ecclesia sanaret, quo nemo in Christianis disceret atq; agnosceret, quæ spei copia nobis in Domino Iesu sit reposita. An enim non est plenum consolationis ac spei, Christum tam citò Zachęi affectum respicere tantùm peccatorum affari, amicitiam promptè offerre, ad peccatorem diuertere, & mox ex publicano filium formare Abraham? An non illud gratissimum est quod ait: Venisse filium hominis quærere & saluum facere quod perierat? Et quod in omnibus Euangelijs magis consolatorium inueniri possit? Quis hoc audito vel in peccatis desperat, vel non ad gratiæ sedem accelerat? Quis non & ex intimo affectu Deo gratias agere, hoc Euãgelio ob oculos proposito, velit? Tanta ergo consolatione cõfertum nemo sanus contempserit ideo, quod sæpius quotannis in Ecclesia sonet. Quod si adhuc quisquam est, quod ipsum Euangelium contemnendum ducat: seipsum prodit, quod nec Deũ, nec Dei vel amet vel magnificet gratiam. Et sanè eiusmodi quicunq; tandem ille est, vt probè secum examinet qualis sit Christianus necesse habet; Quem enim tantum gratiæ diuinæ factum nec trahit nec mouet, quo alio medio trahi moueriq; possit nõ video.

videō. Dauid enim eusmodi hominibus quàm ipsi perī-
Psal.106. culosè habitent, indicat dicens: Omnem escam abomi-
nata est anima eorum. Et quid sequitur? Et appropin-
quarunt vsque ad portas mortis. Et quidem necessariò
id sequitur. Non enim minus periculi est, si stomachus
omnem cibum nauseat atque reijciat, quàm si esuriens
quod edat non habeat. Vtrobique mors proxima est.
Hæc igitur præfari libuit exordij loco, ad cohortandos
nasutos quosdam qui præter nouum quodcunque, ni-
hil curant, hoc frustrati, cætera contemnunt omnia. Ve-
rum quod de Euangelio dictum est, idem & de hodier-
no festo intelligi volo. Nihil communius huius festiui-
tatis concionibus: sed nihil etiam contemptibilius est.
Neque tamen ideo tacendum est. Paulum discipulum
2.Thess.2 suum admonentem audi: Testificor, inquit, coram Deo,
& Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos,
& per aduentum ipsius & regnum: prædica verbum,
insta oportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in
omni patientia & doctrina. Erit enim tempus cum sa-
nam doctrinam nō sustinebunt, sed ad sua desideria coa-
cernabunt sibi magistros prurientes auribus, & à verita-
te quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuer-
tentur. Hanc prædicandi normam Paulus discipulo
suo præscripsit. Præuidebat enim Mundum ad Euan-
gelij prædicationem languidum fore. Neque tamen ita
aperte & clarè isthæc prædicere potuit, vt nos ante ocu-
los nostros, & veluti in foribus videmus omnia. Vt er-
go superioribus annis, semper proprio sermone huius
festi memini quidque nobis necessarium atque conue-
niens in medium proposui, ita etiamnum faciam. Ve-
runtamen & nouum quid inferam. Quemadmodum
enim duobus proximè elapsis annis quomodo non Sa-
lomon tantùm, verumetiam Christus ipse dedicationem
templorum celebrauerint, indicaui: ita hoc sermone quę
patrum Ecclesiæ in hac festiuitate fuerit pietas deuo-
tioq; libet proponere: si fortè ipsorum verba plus quam
mea effecerint. Tamen hoc sequuturum spero, vt non
tam miserè despiciantur Patres, quasi nihil de Christo
nouerint: quemadmodum nunc vulgò traducuntur. Si
enim eo modo ipsorum scripta legerentur, quo moder-

norum

norum, longè alia de ipsis nostra essent iudicia. Vnicum igitur hodie D. Bernardi de dedicatione sermonem in medium proferam. Illinc enim poterimus discere, num quid de Christo sciuerint patres, num ipsum prędicauerint. Vtinam eiuscemodi & nūc haberet Ecclesia prędicatores, profectò ipsa & quicquid eius est, rectius starent atque modò. Agitè igitur Bernardum audiamus. Sed sensum ipsius tantùm indicabo, longùm enim fieret, si omnia verba recitare voluero. At principio quidem nemo scandalizetur, veteres non magnis & superbis elatæ mentis se verbis titulisq; prodidisse, sed purè & apertis verbis Christianam veritatem docuisse. Propterea enim tutiùs illis possumus fidem habere. Nō enim veritas vllo prætextu indiget, vt quæ perclara & lucida est. Mendacio verùm vmbraculo opus est, quo sub veri specie diuendi possit. Et hic quidem egregijs titulis nominibusque autoritatis, opinionem venari oportet simpliciumque oculos Prophetæ, Euangelistæ Apostoli, prædicantisq; appellationibus perstringere. Deinde etiam nouorum spirituum, visionumq; priuatas consuetudines iactitare: blandiloquentia indoctos persuadere: comminationibus calumnijsq; prudentiores terrere: tandem etiam ne mendacium prorepat ac manifestum fiat diligentissimè cauere. Hęc Arrianorū, Mantanorum, Donatistarum, cæterorumq; omnium hæreticorum consuetudo fuit. Quanquam nihil tandem potuerūt, quemadmodum & hodie eiuscemodi artes nihil commodant. Potest quidem ad tempus abscondi sub leoninam pellem Cumanus asinus, potest & conterritare homines, perinde ac si verè Leo esset, tandem tamen longioribus auribus quas nequit obtegere proditur, & quod sit asinus declaratur. His præstigijs non indiget veritas: ipsa in lucem procedit, veretur neminem. Id quod in Antiquioribus Ecclesiæ videmus patribus. Atque huius rei hic nobis Bernardus exemplum exhibebit. Etiam hodie fratres, inquit solennitatem agimus & præclaram. Atque id quidem facilè diserim. Videmus enim id omnes, sed pergitis quærere, cuius sancti: illud fortè iam non ita. Iam verò indignū Ecclesiasticis est, ignorare cui honorem deferant: nec Bernard. serm. 5.

pru-

prudentes decet venerari incognitum. Quærẽdum ergo primum est, in cuius sancti, aut quorum honorẽ hũc diem solennem agimus? Et in aliorum quidem Martyrũ atq; Apostolorum festis, cuius memoriam frequentemus sancti dicere, difficilẽ non est. Verum hic nõ ita facilis est responsio. Et omnes quidem, externam hãc domum, vnde festiuitas nomen habet, videmus. Sed quod honoremus, aut etiam honorare cogitemus nostris festis ligna, lapides, & alia, Christiana professio nõ patitur. Licebit quidẽ & externã hanc domũ sanctã vocare, quod sanctis Episcoporũ manibus in honorẽ cultumq; diuinũ dedicata est, quod in ea sancta scripturarũ volumina legãtur, sancta Sacramẽta administrẽtur, sancta Christiani populi Ecclesia in ea cõgregatur, sanctę preces Deo offerũtur, sancti hic nos visitãt & nobis adstant, sanctorũ hic corpora requiescãt. Et deniq; sanctus sanctorũ præsentẽ se hic exhibet, cum preces ipse nostras exaudit, largitur suam gratiam, suumq; in nos effundit spiritum. His rationibus hæc domus non immeritò sancta dicitur. Sed quod ipsorum sanctitas, ipsorum causa honoretur, tam non est credendum, quàm certum est, ipsorum causã nõ esse sanctificatam. At multo magis domus hæc sancta est, propter corpora, corpora verò propter animas, animæ verò propter inhabitantem spiritum. Quam ergo externam videmus domum, in dedicatione est minimũ. Nos isthæc respicit festiuitas. Nos domus, & familia Dei, nos templum Dei, ciuitas Dei, nos sponsa Dei. Hi sancti illi, quorum hodie festiuitatem celebramus. Sancta enim domus Dei est, & templũ sanctum est, ciuitas sancta est, sancta est & sponsa Dei, quam filij sui sibi sanctificauit sanguine. Videntur quidem hæc quatuor esse, sed vnum re vera sunt. In externis quidem diuersa sunt: domus, templum: & longè aliud quid est ciuitas, quàm domus & templũ, at longè diuersissimum est sponsa, à ciuitate, domo, aut Dei templo. At hic omnia idem sunt. Quisquis enim domus Dei est, ipsius etiam templum est: & quisquis domus, templumq; Dei est, idẽ & ciuitas eius est: & denique quisquis domus, templum & ciuitas Dei est, etiam sponsa ipsius est. Sed omnia hæc sumus nos. Circunspicere igitur hîc opus est, vt verè intelligamus & cogi-

cogitemus, quę domus patris familiâs huius, quod templum Dei, quæ ciuitas regis, quæ denique sponsi sit, atque dicatur sponsi. Optime enim hoc modo quid per nos simus, & quid in Deo cognoscemus. Videbimus, inquam, ad quam dignitatem quósue honores à Christo conseruati simus. At ego super hoc non parum vereor loqui quid sentiam: ne quis forsitan ab hoc auditorio, aut elatus præ magnitudine gloriæ, aut incredulus præ pusillanimitate spiritus sui. Vtrobique enim periculum est, si aut elati, aut increduli his effecti fuerimus. Vbi enim gratiæ fit mentio, humilibus atque credentibus opus est. Vtrunque enim requiritur. Deus superbis resistit, inquit Petrus, humilibus autem dat gratiam. 1. Pet. 5. De alio verò Paulus loquitur: Sine fide impossibile est placere Deo. Heb. 11. Opto igitur, & omnibus modis cupio, vt & paruulos vos & magnos, imò vt plus miremini nihil aliud quàm grande aliquid ei vos exhiberi curetis. Neque enim sine magno animo bona illa tam magna capere, aut vim facere poteritis regno cœlorum: non plus quam idem regnum cœlorum intrare: Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut Paruuli. Mat. 18. Non sum homo profundi sensus: nam possum vobis quod non gustauerim eructare. Dicam tamen quod interdum in me sentiam actitari, vt si quis fortè vtile sibi iudicauerit, imitetur. Quia enim olim persuasum est mihi, vt miserear animæ meæ, placiturus exinde Deo meo frequenter de eo recogito, vtinam autem magis semper liceret. Erat quando id actitari minimè libebat, nempe quod minus, si tamen minus & non magis minimè diligerem eâ. Eccl. 20. Quomodo enim quis amat, cuius mortem amat? Quod si vt verum est, & indubitabile, mors animæ iniquitas est: absolutam proinde liquet esse sententiam: quod iniquitatem qui diligit, odit animam suam. Oderam ergo eam, & odissem adhuc: nisi hoc mihi quodeũque amoris initium eius, is qui prior eam dilexerat, contulisset. Ipsius proinde beneficio subinde de ea cogitans, videor mihi in ea (fateor) velut duo quædam contraria inuenire. Si ipsam prout in se est, ex se, iuxta rei veritatem intueor: nihil de ea verius sentire possum: quàm ad nihilum esse redactam. Quid modo necesse est singulas eius miserias Psal. 14.

numerare? quam sit onerata peccatis, effusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentijs, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne procliuis, postremò totius ignoIsaiæ.64. miniæ & confusionis impleta. Nimirum si ipse quoque iustitiæ nostræ omnes ad lumen veritatis inspectæ, velut pannus menstruatæ inueniuntur, iniustitię deinceps quales reputabuntur? Si lumen quod in nobis, tenebræ quantæ erunt? Facilè est cuique nostrum si sua vniuersa melius, & sine dissimulatione vestiget, & iudicet sine acceptione personæ attestari per omnia Apostolicæ veritati, liberè proclamare: Qui se putat aliquem Galat.6. esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Quid est homo, quia magnificas eum (an fidelis & deuota confessio) aut apIob.7. ponit erga eum cor tuum? Quid? sine dubio vanitati similis factus est homo, ad nihilum redactus est homo, nihil est homo. Quomodo tamen penitus nihil est homo, quem magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appositum est cor diuinum? Respiceremus, fratres, & si nihil sumus in cordibus nostris, forte in corde Dei potest aliud latere de nobis. O pater misericordiarum: O pater miserorum: quid apponis erga Matth. 6. eos cor tuum? Scio, scio: vbi est thesaurus tuus, ibi est Isa.40. & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus? Omnes gentes quasi non sint, sic sunt apud te, & tanquam nihilum & inane reputabuntur. Siquidem apud te, & sed non in affectu pietatis tuæ. Nimirum vocas ea quæ non sunt: tanquam ea quæ sunt. Sic nimirum sic consolaris in tua pietate, quem in veritate tua humiliasti, vt magnificè dilatetur in tuis, qui meritò angustiatur in visceribus suis. Siquidem vniuersæ viæ tuæ misericordia & veritas, requirentibus Testamentum tuum, & testimonia tua. Testamentum vtique pietatis, & testimonia veritatis, lege homo in corde tuo, lege intra temetipsum, de te ipso testimonia veritatis, etiam hac communi luce iudicabis te indignum. Lege in corde Dei Testamentum, quod firmatum est in sanguine mediatoris: & inuenies quàm longè aliud spe posidere, quam re tenere videris. Quid Iob.7. est, inquit, homo quia magnificas eum? Magnus vtique:

que: sed in illo: si quidem magnificatus est ab illo. Aut quomodo non magnus apud illum, cui tam magna cura est de illo? Ipsi enim cura est de nobis, ait Apostolus Petrus. Et propheta: Ego autem mendicus sum & pauper homo solicitus est mei. Planè artificiosa connexio vtriusque considerationis: qua velut vno momento descendens, pariter & ascendens, se & pauperem & mendicum, & Deum pro se solicitum vidit. Quod autem de se Dauid testatur, idem nobis contingit. An non solicitum se Deus nostri ostendit, quod immeritos in domum suam, in domesticos suos susceperit? In templum suum, quod inhabitet, nos sanctificauit? In ciuitatis suæ Ciues in quibus in perpetuum regnare vult, incorporauit? denique in sponsam suam, cum qua omnia communia habere velit, elegit? Vtique hæc tanta bona humanus animus concipere non potest. Vnde non absurdè cum Nicodemo dixerim: Quomodo possunt hæc fieri? Et cum Apostolis: si ea hominum conditio est, quis poterit saluus fieri? Et quis hæc de Deo sibi polliceri possit? Sed quid Christus ait: Apud homines quidem hoc impossibile est, sed non apud Deum. Hæc tota fiducia nostra, hæc vnica consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possibilitate iam certi, de voluntate quid agimus? Quis scit si est dignus amore an odio? Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Hic iam planè nobis fidem subuenire necesse est: hìc oportet succurrere veritatem, vt quod de nobis latet in corde patris, nobis per ipsius spiritum, & spiritus eius testificans, spiritui nostro persuadeat quod filij Dei sumus. Proinde Scripturas, hoc est, testimonia Spiritus sancti in his rebus, audi: Omnem curam vestram proijcientes in eum, inquit Petrus, quoniam ipsi cura est de vobis. Et Nolite soliciti esse, scit enim pater vester cœlestis quia his omnibus indigetis. Et ipse pater amat vos, quia vos me amastis. Et alibi: Noli timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro, dare vobis regnum. An non hęc certa testimonia sunt, quia domestici Dei sumus? An nescitis, Paulus ait, quod templum Dei estis vos, & spiritus sanctus habitat in vobis? Et iterum: Vos enim estis templum Dei vi-

1. Pet. 5. Psal. 39. Ioan. 3. Mat. 19. Eccle. 9. Rom. 11. 1. Pet. 5. Matt. 6. Ioan. 16. Lucæ. 12. 1. Cor. 3. 2. Cor. 6.

ui, sicut Deus dicit, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt
Apoc.21. mihi populus,& Ioannes:Ecce tabernaculum Dei cum hominibus,& habitabit cum eis.Et ipsi populus eius erunt,& ipse Deus cum eis erit eorum Deus. An non & hæc certa testimonia sunt, quia templum Dei sumus nos? Sed & de reliquo accipiamus. Accessistis ad Sion
Hebr.12. montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem, & multorum milium angelorum frequentiam.An non & hæc verba, quia nos ciuitas Dei sumus, satis de-
Oseę.2. monstrant? Et in Oseæ Dominus ait.Desponsaui te mihi in fide, despõsaui te,in iudicio, & iustitia,eius nõ tuâ intellige, desponsaui te misericordia & miserationibus. Et hæc quidem testantur etiam sponsam nos esse. Hoc modo hodierna celebritas duo nobis meditanda docet: quid in & ex nobis simus, & quid in Deo. Si in nos ipsos respicimus nihil sumus,si verò secundum fidem nos iudicauerimus,magni sumus:nimirũ domus,templũ,ciuitas & sponsa Dei. Hæc omnia sumus, sed non in nobis:sed in corde Dei, inquam sumus, sed gratia Dei, & non ex dignitate nostra. Non ergo abutamur illo quod Dei est, nec præsumamus nosmet magnificare. Alioqui enim & Deus quod suum est, faciet: efferos superbosque humiliabit, & sublimia deijciet. Quandoquidem ergo isthæc demonstrauimus, nunc porro ad ea quę restant, transcendamus: Nimirum vt dignè ambulemus in ea vocatione & dignitate, qua vocauit nos, & in quã prædestinauit nos Deus. Si ergo domus Dei sumus, & domestici eius, Deum patremfamiliâs agnoscamus, & ab ipso omnia petamus & expectemus. Cum oraueritis,
Matth.6. inquit,dicite: Pater noster qui es in cœlis: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et Dauid ait: Ve-
Psal.94. nite adoremus & procidamus ante Deum, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius.Et hęc donum Dei docent. Deinde, si templum nos Dei su-
Leuit.20. mus,sanctitati studeamus.Domum enim Dei decet sanctitudo. Estote sancti, ait omnipotens, sicut & ego sanc-
2.Cor.3. tus sum, Dominus Deus vester. Vnde Paulus ait: Si quis templum Dei violauerit,disperdet illũ Deus. Præterea si ciuitas nos Dei sumus, pacem vnitatemque sectemur.

ctemur. Deus enim non est Deus dissensionis, sed pacis. Hinc & Paulus monet dicens: Pacem sectamini cum omnibus, cum sanctimonia, sine qua nemo Deum videbit. Hæc enim est, quę facit habitare vnius moris in domo. Vbicunque enim sine vinculo pacis, sine legis obedientia, sine disciplina & regimine, sine capite populus congregatur & confluit, non iam populus, sed turba: non ciuitas, sed promiscua inquies est, Babyloni, non Ierusalem similis. Postremò, si nos sponsa Dei, quæ sponsæ sunt, hoc est, dilectionem fidemque illi præstemus. Eadem enim & ipse nobis primùm præstitit. Si ergo per abundantem refectionem magni patrisfamiliâs domus esse probamur: si templum Dei per sanctificationem, si ciuitas summi Regis per socialis vitæ communionem: sponsa immortalis sponsi per dilectionem: puto iam non esse quod dicere vereor, nostram esse solennitatem. Collætemur ergo Angelis Dei, & in Domino gaudeamus, inque gratiarum actione præsens solennitas transigatur. Ecce hoc modo Veteres de dedicatione prædicauerunt. Et quis non videt, etiam Christi D E I gratia ipsos prædicauisse? Sanè si hos assiduò reuoluerimus, præstaret quàm alios, nescio quos, legere atque audire. Quod si his prædicandi in Ecclesia locum daremus, vtique multorum, qui nunc omnium sibi asscribere scientiam non verentur, ora obturarent. Quod si hos in consilium aduocassemus, certè non in eam leuitatem deueniissemus. Et hæc de prædicatoribus vetustioribus dicere hac vice volui. Psal. 67.

SERMO SECVNDVS

quæ olim patrum in hac festiuitate fuerit deuotio, & quomodo nobis eadem celebranda sit.

SI quis ignorat quanto studio Satan iam inde ab initio rerum, vsque in hæc nostra tempora, quicquid vspiam salubre, quicquid bonum, quicquid pium, sanctum atque diuinum est, aut omnino tollere ac disperdere, aut saltem labefactari, nitatur: vel ex sola hac festiuitate, quæ cùm in veteri, tum in nouo Testamento, tam firmum fundamentum atque principium habet, facilè intelliget. Verum eiusmodi festa pene apud om-

nes aut in abusum, aut omnino in nihilum deuenerunt atq; redacta sunt. Veteris Testamenti historia tradit qua exultatione, quo gaudio populus ille Israëliticus festam
Num.9. diem celebrauerit, quando Moses tabernaculum fœderis Domini erexisset, nempe per hoc omnia bona sibi à Deo pollicebantur, ducebantque argumentum esse, quod DEVS in ipsis habitare elegerit. Longè verò
3.Reg.8. maius gaudium ostendebant, quando ædificatum recès templum Salomon sanctificabat. Idque meritò. Quandiu enim tabernaculo pro templo vtebantur, ac sæpe mouebant: vtique adhuc timere poterant nondum certò statuisse Deum, inter ipsos perpetuò habitare. At ædificato templo, tum demum perpetuam Dei præsentiam sibi polliceri poterant. Ea propter magis in templi, quàm in tabernaculi dedicatione exultauerunt. Cæterum occupato deinde templo, & profanato Antiocho,
1.Mach.4 postea verò à Machabæis recuperaretur purgaretur q;, denuo populus turmatim aduolat, templum rursus dedicaturus, perinde ac si recens fuisset ædificatum, itaque pristinum innouabant gaudium. Idem Patres nostros fecisse, testis est Iosephus, qui multis ostendit Christianos post persecutiones, desolata templa repetijsse, repur-
Euseb.li. gasse, atque dedicasse: Defuncto eo, inquit, qui erga
9.cap.10. Christianos nũc inaudita crudelitate, nunc simulata venia agebat, aperta indulgentia legitimorum principum, & absque vlla iam suspicione, Ecclesiarum status multo etiam clarior quàm priùs fuerat, reparari cœpit. Verbum verò Dei & doctrina Christi longè glorioliùs & liberiùs propagabatur. Tum verò inimicis pœnitudo vltima atrocitatis & crudelitatis suæ, ita vt pudefaceret eos aspectus ipse publicus, nec eleuare oculos in hominum facié auderent. Et mox: Interea festiuitates à nostris frequentissimè gerebantur cum omni lætitia & exultatione, per vrbes & loca singula Ecclesiarũ dedicationibus celebratis. Congregabãtur in vnum sacerdotes, nec pigebat longè positos conuenire, quia nullum longũ videbatur spaciũ charitati. Ecce hoc dedicationũ nostrarum initium, atq; eo quidem modo celebratæ sunt. Verùm mox deinde dormitantibus pastoribus, venit inimicus ille Diabolus, & malum semen conseminauit, id

quod

quod ita excreuit quidem, vt vix quicquam boni seminis supersit, ita plane, vt & nostræ etiamnum dedicationes, nihil ferè præter commessationes & nundinæ sint. His rebus nostro seculo occupantur homines, & quidē tanto studio, vt ne quidem semel, quid dedicationum sit solennitas, cogitare libeat. Atque huius peruersitatis nobis ipsis exemplum sumus. Et Moguntina dedicatio non modò longè lateq; cognita est, verumetiam ab omnibus honoratur: nec dubito quin multi pij hæc secum cogitent. Ecce & nos Moguntinam dedicationem celebramus: quanta igitur huius festiuitatis solennitas Moguntiæ erit? quam illic plena omnia gaudijs, plena deuotione? Ipse ergo cò me conferam, vt communi gaudio tantę solennitatis participem. Hāc ratione, inquam, non dubito plurimos motos, atque huc aduenisse, spirituale gaudium internamq; lætitiam visuri: & tam frigidè nos quidem, tam etiam negligenter agimus, vt si extranei illi in templo circunspiciant, vix vnum atque alterum in concione videant. Alij enim foris ventri & baccho inseruiunt, alij famulantur Mammonæ: itaque fit vt in templo præter exteros videatur nemo, hi dedicationis nostræ festiuitatem celebrant, nobis interea alijs rebus occupatis. An non hoc ingens nobis imò sempiternum dedecus? Quod si toto anno negligentiores fuissemus, vel hoc saltem die diligentiùs maioreque pietate tamen omnia agere, quo exteros nostro exemplo ad pietatē moneremus, oportuit. Sed contrarium agimus: quid ergo exterorum de nobis fama loquetur? Et quomodo nostro exemplo meliores efficientur? Fit ergo vt qui huc, pietatem deuotionemque suam aucturi aduenerāt, nihil præter pigritiam, in omni pietate frigidiores damnum reportent, ne dicā interea de scandalo, quod in vitæ nostræ impietate haurire possunt. Et omnes quidem vicinos nostros, nostro exemplo discere oportebat quò diligentiùs verbum Dei audirent, maiori pietate diuinis honoribus insisterent, promptiores orationi vacarent, constantiùs pias cæremonias seruarent, tum etiá suas priuatas festiuitates maiore deuotione celebrarent. Sed omnino contrariū in nobis cōsiderant. Et quid tandē summo iudici respondebimus, quod

quos ad pietatem nostro exemplo trahere decebat, à vera pietate atq; deuotione detrahimus? Non hæc via, nó hoc conseruandæ Religionis medium est. Quod si ita perrexerimus, nunquã sanè ad antiquum reuocabimus, qui ab Ecclesia dissipati sunt. Necessarium igitur iudicaui, rursus aliquid de festiuitatis huius vero vsu nonnihil dicere, si forte aliqui expergefacti, quod ad rem faciat, cogitare cœperint: Idq; vt fiat sua gratia Deus præstet. Principio igitur nemo miretur festiuitatẽ hanc nomen suũ ab externa hac domo sortiri. Inter ea enim quę hodie in Ecclesia cantantur, quædam etiam inducuntur ea autoritate, vt ipsa quoque in hanc festiuitatem pertinere, nemo possit dubitare. Id verò iã per exempla docebo: Certum est, Euangelium hoc in omnibus dedicationibus legi, neq; tamen vel Ecclesiæ, vel domus huius minimo vocabulo meminit: tãtumq; de interna Zachæi domo, cui salus facta est ex Christi præsentia, loquitur. Neq; tamen incongruè hic monemur, hac in festiuitate conscientias, quisq; suam perscrutari. Idq; nonnihil diligentiùs quàm alias consueuimus. Quid enim alioqui hoc Euangelio hac die opus fuisset? Deinde nec in Epistola templi externi fit mentio, sed tantùm de sancta ciuitate Ierusalem loquitur: Ierusalem, nunquam quæ ciuitas Regis magni, Deiq; viui, in qua ipse Deus cum suo populo habitat. Vnde liquet, in templorum dedicationibus, etiam Catholicæ, hoc est, vniuersalis Ecclesiæ locum habere meditationem. Præterea sunt & aliæ cantiones, quæ nos cœlestis Ierusalem commonefaciunt, vt quæ in vesperis in hymno cecinimus: Vrbs beata Ierusalem, dicta pacis visio, quæ construitur in cœlis viuis ex lapidibus, & angelis coornata, vt sponsata comite. Hęc inquam, nec de externo templo, nec de huius temporis Ecclesia, sed de cœlesti patria intelligũtur. Sic ergo præsens festiuitas ab externa domo incipit, simulq; ijs quę modo recẽsui, dictis, & conscientiã, & Ecclesiam militante, & futurã patriam cõprehendit. Et sanè nó absurdè mirari quis possit, cur tot vna vice meditanda proponantur. Sed nihil nouum fit ijs qui diuina diligenter indagare norunt. Hi sæpe ab vna meditatione in aliam transeunt, planeq; ad maxima transcendunt,

nempe

nempe ab infimis exordiuntur,& vsq; ad summum pertingunt. Id quod in prophetis videre est, maximè verò in Dauide, qui in omnibus ferè Psalmis hoc studet, vt à minimis occasione sumpta, summa attingens meditetur. Age igitur vnico id vnius dicti exemplo discamus: Conueniet autē & huic festiuitati nostrę. Ait ergo Psalmista: Lętatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus. Hoc in Psalmo Propheta exorditur à templo, non quidem ædificato, sed promisso. Quando impleti fuerint dies tui, & dormieris cū patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo. & firmabo regnū ei⁹. Ipse ędificabit domū nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. Hanc igtur diuinam promissionem tam gratanti animo Dauid suscipit, vt non posset quin & alijs eam manifestaret: Lætatus sum, inquit, in his quæ dicta sunt mihi. Ac si diceret: Quàm ingentis ego verba lætitię audiui fratres: Patres nostri quadringentis annis peragrarūt vagis sedibus, nunc in terra Chanaan, nunc in Aegypto, nunc in deserto nulla consolatione freti, nisi quod fide Dei promissa de futuro apprænderēt. Prorogatis verò promissis, tabernaculū in medio ipsorum erigi iussit, nempe, quod ipse inter eos habitaret significans. Verùm nunc in promissa terra positis nobis: maiora suæ beneficentiæ signa edidit, domū nomini suo ædificari vult, vel ideo, vt agnoscamus non iā vagam sedem: sed manentem locum in sempiternum inter nos habitare velit, Et hanc domum Salomon filius meus extruet, Huius rei gratia ad me promissio facta est. Lætatus ergo sum. Neq; enim optabilius quicquam mihi posset cōtingere. Quod si & vestras mentes vlla insedit pietas, simul & ipsi mecum gratantibus psallite vocibus. Ecce hoc Psalmi huius initiū Dauid fecit. His cogitationibus circa externum templū, quod tamen nondum videbat, occupatur: tantumque promissione ipsius fretus, exultat. Præterea quæ ad ædificationem templi huius necessaria videbantur, parat. Leuitarum, qui templi ministerio incumberent, ordine disponit, haud secus se in omnibus gerēs quam si iā ædificatū fuisset templū, instat omni diligentia vt omnia rectiùs succederent. Et quanquam ipse nunquā eiusmodi

2. Reg. 7.

Psal. 122.

templum esset visurus, particeps tamen eius esse voluit, & omnibus innotescere, quantæ sit beneficētiæ diuinę, firmam inter ipsos domum habere. Et hic primi versus sensus est, quo ait Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. In secundo versu externæ domus nō meminit, de sancta ciuitate Dei tantùm loquens Ierusalē, & hāc exquisitissimis verbis ita describit, vt quam ciuitatē significet, cuiuis sit facilè colligere: Ac si diceret: Quid de vna solùm domo per Salomonē ędificāda loquor? est quidē & illud gratia, qua pusillanimitatem nostram Deus consolatur, sed maiora ego præuideo. Nō vna aliqua domo dictū mihi est, sed de magna ac celebri ciuitate, quæ vocatur Ierusalē, nec de ea quę olim extructa est loquor: adhuc ædificanda est, imo iam nunc ædificatur, quā dico. Neq; tamē oculis expositæ erit corporeis: sed quēadmodum hæc est, ciuitas habitura est similitudinē, imò verò omnes absolutæ ciuitatis conditiones. Illic nemo quod suum est quærebitur, sed partes in cōmune conferentes totū facient vnū. Nec vlla illic videbitur iniuitas, sed ascendēt omnes ad cōfitendum nomini domini. Deniq; nulla etiā illic dominabitur iniquitas, sed omnes sedebūt sedibus iudicij & veritatis. Hæc dicta sunt mihi: propterea lætatus sum. Vt ergo certissimū est, filium meū Salomonem ędificaturum esse templum, ita etiam indubitatò filius pariter atq; Dominus meus Messias, hanc nobis ciuitatē extruet. Si ergo lætitia nobis est, certa sede inter nos habitare Deū, quod gaudium, quæue omnium exultatio erit, vbi ipse Deus eā ciuitatē extruxerit, priusque fundamētis superędificauerit? Qua propter quę ad huius ciuitatis conseruationē faciunt, quę ad pacē sunt Ierusalē precor & abundantia diligentibus eā. Fiat pax in virtute tua, & licet ipse hāc tuā gloriā videre nō potero, propter tamen fratres meos & proximos meos loquor pacem de te, imo propter inhabitatorem tuum Deū meū, quæro & precor omnia bona tibi. Eccē hunc vobis hic libuit proponere psalmū, vt nemo miretur, non vnū aliquid tantùm cōsiderandum hodiē nobis propon. Nam & Dauid vnico psalmo à domo Dei incipit, sed postea tā graphicè, tantaq; de ciuitate Dei loquitur, vt planè ejus quod de domo Dei seu tēplo proposuerat, oblitus videatur.

deatur. Quod si hunc ipsum cũ festiuitatis huius cantionibus cõparauero, nõ possum nisi vnũ eundemq; vtrobiq; adfuisse spiritũ iudicare. Qui enim Dauid vno illo psalmo non modò de domo verumetiã de Ciuitate Dei loqui permouit idẽ quoq; patres Ecclesię sua inspiratione docuit, vt nos in externi tẽpli cõsideratione, etiã animarum nostrarum, simulque cũ militantis tùm triũphantis Ecclesiæ recordari, admoneãt. Præterea etiã peculiaris quædam, & sæpe repetita fit métio scalæ quã priùs quondam Iacob in somnis in haram vidit, cuius summitas cœlos tangebat, in qua angeli Dei ascendebant & descendebant. Et meo quidẽ iudicio hos firmissimos scalæ gradus arbitror, quibus cœlum conscenditur. Principio nihil leuissimorum hominum curare dicta, sed cum Dauid dicere: Dilexi decorem domus tuæ Domine. Non sedicum concilio vanitatis. Et: Introibo in domum tuã: simulque quæ Dauid erga externam domum pietas fuerit, quos sumptus eius causa fecerit, quo ordine omnia instituerit, cogitare. Tũ vero quid alij in hanc rem contulerint, vt Ezechias, Iosias, Esdras, Zorobabel, Iudas Machabæus, postremò etiã quid ij qui ante nos fuerunt patres nostri fecerũt, quid etiamnũ multi pij in Templũ cultumque Dei conferant memoria colligere. Hęc quisquis cogitauerit, modò vel gutculam virtutis in se habuerit, nostram modò non irreligiositatem arguet, qui non vt ita dicam similia facimus, verumetiam sacrilegis manibus, quæ alij maximo sumpto instituerunt, demolimur & rapimus. Et hic iam primus gradus scalæ nostræ esset. Tũ vero si quis secum cogitauerit: quàm patres & externam templi domum politè custodiuerint, quàm exquisitis ornamentis instruxerint: impossibile est, quin hæc apud se musitet: Si ea externi templi, in quo verbum DEI prædicatur & sacramenta administrantur, est mundities, quę mentium erit puritas in quibus ipse Deus inhabitat? Si ea erga externa Templa est diligentia, quæ nõ ita necessaria Deo sunt, qua solicitudine animę, quas ipse Christus liberauit, curandæ sunt? O fœditatem domus meæ, ô impuritatem conscientiæ meæ, si ad ea quæ in externa domo hac video, comparauero. Ignosce domine, ignosce negligentiæ meæ, qui tanta ignauia cordis

Gene. 28.

Psal 25.

mei

mei domum tibi in habitaculum præparare negligo. Et hic secundus gradus est scalæ nostræ. Iā verò si quis hoc etiam cogitauerit, licet multi in vnam domum conuenerimus, omnes tamen vno tecto obtegi, omnes in vna domo orare, omnes vnum Deum eandemq; salutem quærere, vnam denique Euangelij doctrinam audire, ijsdem Sacramentis vti: aut, quemadmodum Paulus ait, omnes de vno pane participare, deque vno calice bibere, ideoque vnum panem idemque corpus fieri, perinde atq; in externis rebus multæ domus vnam Ciuitatem, multi ciues vnam Rempublicam constituunt, omnes tamen vnius domini imperio subesse, ijsdē legibus, priuilegijs, eodem iure ciuili vti: hæc, inquam, si quis cogitauerit, iam tertium gradum conscendit, eamque ciuitatem, cuius Ioannes in Epistola, & Dauid in hoc Psalmo meminit, conspicit. Hic, inquam, ex plurimis vnum fit. Licet enim multi simus, qui credimus, vnum tamen in Christo sumus: & quælibet licet ciuitas suam propriam Ecclesiam communionemque habeat omnem, tamē vita est Ecclesia. Et, vt in summa dicā: quemadmodum multi homines, domū: multæ domus vnam rempub. statuunt, ita & omnes multi in vnum dirigimur. Pater inquit Christus rogo vt omnes sint, sicut & tu pater in me et ego in te, vt et ipsi in nobis vnum sint, vt credat Mūdus, quia tu me misisti. Et Esdras Dominator domine ex omni sylua terræ & ex omnibus arboribus eius elegisti vineam vnicam: & ex omni terra orbis, elegisti tibi foueam vnam: & ex omnibus floribus orbis elegisti tibi lilium vnum: & ex omnibus abyssis maris, replesti tibi riuum vnum: & ex omnibus ædificatis ciuitatibus, sanctificasti tibi metipsi Sion, ex omnibus creatis volatilibus nominasti tibi columbā vnā, & ex omnibus plasmatis, pecoribus, prouidisti tibi oue vnam, & ex omnibus multiplicatis populis, acquisiuisti tibi populum vnum, & ab omnibus probatam legem donasti huic, quem desiderasti populo. Ex quibus sanè facilè videmus, quid sit Ecclesia & qualis. Duo sunt quæ Ciuitatem faciunt: muri & portæ. Tria verò quæ exornant eam atque conseruant: Concordia ciuium, pietas religionis, iustitia Legum. Et vbi hæc vnquam in Ecclesia pleniùs fuerunt? Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.

Zach. 11.

cuitu. Et in Ioanne: Ego sum, inquit, ostiũ. Videmus er- Ioan. 10.
go quia in Ecclesia rectus murus est, nimirum ipse Deus, hic iustæ portę sunt, nimirum Iesus Christus Dei filius, Deus & homo, per quem si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Hic verus amor, verus Dei cultus, iustaque iudicia. Huic Ciuitati nomen est Ierusalé, hic enim veræ pacis est visio, hic pax inueniri atque haberi potest. At perpetuò hæc ciuitas cõstruitur, tõsionibus & pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis, per manum artificis, disponuntur permansuri sacris ædificijs. Architectus perpetuò incumbit structuræ, nec feriatur, nec cessat per crucem afflictionesque expolire lapides, coaptat, quemque in suum locum disponit per legitimam vocationem & munus. Hæc cogita, & haud dubiè nisi planè impius, pro huius ciuitatis pace rogabis ipse, & alios ad precandum Dauidico exemplo hortaberis, imò & ingemisces & eiulabis, hanc ciuitatẽ tam miserè intestinis dissidijs laceratam, atque dirutam esse, tum etiam collapsam erigere, restituere, instaurare conaberis, quocunque poteris studio. Idque propter fratres & proximos tuos: imò propter donum Dei nostri, quæ in hoc fundata est. Et hic tertius scalæ nostræ gradus est. Quod si postremò & illud cogitatione sedula ruminaue rimus, quod omnia ea, quæ hic habemus ac facimus, siue in externo templo, siue in Ecclesia, nihil præter imaginẽ esse verorum bonorũ quæ in cœlis expectamus, iã summum gradum conscendimus, & Ierusalem quæ sursum nos est attigimus, vbi omnia pleniús perfectiusque videbimus, habebimus atque peragemus. Hic vmbram, illic verum lumen videre dabitur, hic quidem diuinas, sed ad tempus, illic sempiternum audituri, laudes audimus: hic Deum in verbo suo ac sacramentis præsentem habemus, illic ipsum vti est habituri, imò ipso fruituri: hic requiescunt corpora, illic vtrunque corpus requiescet & anima. Et vt breuissimè cõprehendã quod sentio: si imago tam suauis est, quæ dulcedo veritatis erit? Hæc considera, hęc meditare: & cum Dauid compelleris dicere: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, con- Psal. 83.
cupiscit & deficit anima mea in atria Dñi. Ecce hi quatuor illi gradus sunt, per quos cœlum ascenditur. Vt primùm

mùm in externa domo in laude diuina gratiarũq; actione inueniamur: deinde conscientię nostræ secretiora ingressi, illic emundauerimus domũ mentis. Tertiò calamitates cladesq; Ecclesiæ consideremus, proque virili nostra instaurandæ incumbamus. Ac quarto denique omnium quæ retro sunt oblitι, ad solã supernam cœli patriam cupide anhelamus. Sic sic angelos propinquos haberemus, imò ipse se nobis Deus & videndum & audiendum offerret: ijsdemque verbis quibus olim Iacob alloquebatur, affabitur: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Isaac. Terrã in qua requieseis dabo tibi. Sanè omnes vicini in hanc vocem erumpentes, dicerent: Terribilis est locus iste: hic aliud profectò nihil est, nisi domus DEI, & porta cœli. Hinc omnes pij emendarentur, omnes inimici nostri confunderentur, imò verò Deum in nobis habitare fateri compellerentur. Sed quis non videt, quantum ab his distemus? Vtinã vel infimũ gradũ daretur conscendere, tantumq; in externis aliquãto honestiùs exhiberemus nos. Verũ, quia nec hũc attingimus, nihil cæterorũ in nobis certum est. Et quales tandẽ sumus, qui Christianũ nomen nobis vindicamus? Quo tandẽ modo cæteros exuscitabimus, qua ratione hostium nostrorũ ora obturabimus? Agitè ergo in hoc incumbamus, vt iam non modò professione nuda, verumetiã ac multò magis facto Christiani simus, vt hoc in externa domo tẽpus ita impendamus, quo in supernã recipiamur Ecclesiã, in cœlestem Ierusalem, vbi perpetuum gaudiũ, sempiternaq; exultatio est. In hoc nostros pios conatus misericors adiuuet Dominus, Amen.

Gen. 28.

SERMO TERTIVS.

Augusti. serm. 5. de dedicatione.

VT hic quem instituι plus aliquando põderis habeat sermo, exordio illius quædam D. Augustini verba, quibus olim in hac festiuitate ad suos credẽtes vsus est, proponam. Celebritas, inquit, huius cẽgregregationis dedicatio est domus orationis. Domus ergo nostrarũ orationũ ista, dom⁹ autẽ Dei nosipsi. Si domus Dei nosipsi, nos in hoc seculo ædificamur, vt in fine seculi dedicemur. Aedificium, imò ædificatio habet laborem, dedicatio exultationem. Quod hic fiebat, quando ista surgebant, hoc fit modò cum congregantur credentes in Christum.

stum. Credendo enim quasi de syluis & montibus ligna & lapides præciduntur: cum verò cathechizantur, baptizantur, formantur, tanquam inter manus fabrorum & opificum doleantur, collimantur, complanantur. Veruntamen domum Domini non faciunt, nisi quando charitate compaginantur. Ligna ista & lapides si non sibi certo ordine cohærent, si non se pacificè innecterét, si non se inuicem cohærēdo sibi quodammodo amarent, nemo huc intraret. Denique quando vides in aliqua fabrica lapides & ligna bene sibi cohærere, securus intras, ruinam non times. Volens ergo Dñs, non dissentionis, sed vnitatis Deus & Dominus Iesus intrare, & in nobis habitare, tanquam ædificando dicebat: Mandatum nouū do vobis, vt diligatis vos inuicē. His D. Augustini verbis hūc exordiri libuit sermonē, duab' potissimū rationibus. Primò vt videamus nihil nos nouum facere, cum dedicationem annuam celebramus: nempe, cuius ipsius etiā Augustini tēporibus magna fuerit celebritas, deinde, vt quàm multa hoc nobis festo cogitanda proponantur cogitemus. Et quidē ab externa illa orationis domo Augustinus orditur, mox tamen ad eam, quę nos sumus, domum, transit: nimirum magnam differentiam inter domum orationis, & domum Dei statuens. Orationis enim domum, hominum ædificarunt manus: quod autem nos Dei domus sumus, diuina operatio fecit. In hoc Deus pater creauit nos, in hoc Deus filius redemit nos, in hoc Deus Spiritⁿ sanctus dedicauit atq; sanctificauit nos. Vnde cū Isaia quod nos omnes opus manuum Dei simus, simul confitendū est omnibus, & pro se quisq; dicere ne cesse habet. Manus, tuæ, Dñe, fecerūt me. Id quod ipse etiā Paulus vult cum ait: Nos Dei agricultura sumus. Hęc sanè differētia inter domū orationis & domum Dei diligenter consideranda nobis est, ne, quod Iudæi, externā hanc domū respicientes, nostrimet ipsorū obliuiscamur. Neque enim quia orationis domum habeamus, satis est, fratres, vt nos quoq; Dei & simus, & maneamus domus laborandū est. Hic rei cardo versatur, huc quoq; in hac festiuitate patres respexerūt. Id quod in omnibus ipsorū sermonibus videre est, ijs nimirum quos de hac celebritate & conscripserunt, & post se posteritati reliquerūt. Et horum

Ioan. 13.

1. Cor. 3.

horum ipse quoque exemplum sequar, atque hunc quē modo institui sermonem, cum D. Augustino ab orationis domo exordiar: tandem verò nobiscum, hoc est, cum domo Dei spirituali concludam. Vtrobiq; enim vitium est, vtrobique cùm animaduersione, tùm emendatione opus est. Quod si verè Christiani nos sumus, consilio haud dubiè atque labore, tū precibus atque votis, vtrobique vt pro volūtate res succedat fœliciter, instabimus. Agè igitur succinctè quod vitij genus, & vbi sit, deinde qua ratione mederi possit indicabo, quo omnibus innotescat pijs, quā nunc cùm in orationis, tùm etiam ipsius in Dei domo periculosè habitemus: tum admoneantur, quid cuique facto opus sit, spe futurum esse, vel aliquis tantum ex omnibus rectiùs efficiantur, vt tantùm ardentiùs precemur Deum, qui ruinosam domū suam instauret, vt qui vnus optimè quā id ratione confieri possit, nouit, ipsaque temporis oportunitas exigit. Ergo principio

Aggæ.2. eum Aggæa propheta propono, qui ait: Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Nūquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? His verbis Aggæus populum Israëlem in instauratione templi, à Chaldæorum Rege desolati atque exusti alloquitur: ideo tamen vt hinc consolandi eos sumeret materiam. Cum enim nonnulli superstites essent, qui primùm illud templum viderant, ac postea nunc præ inopia non posse se pristinum templo decorem induere facilè animaduertebant, pusillanimes facti eiulabant, ac miserè sese excruciabant, quemad

1.Esd.3. modum in Esdra videre est. Hinc iam Aggæus occurrit, Scio, inquit, primùm illud templum eiusque decorē in memoriam reuocantibus, nullam huius videri comparationem, eoque abiectis esse animis. Sed quæ Dei sit inten

Aggæ.2. tio intelligite: Hæc enim dicit Dominus exercituum: pergite ædificantes, nec vlla argenti auriue acquirendi cura afficiemini. Meum est argentum & meum est aurum. Nec vos huius templi terreat vtilitas. Magna enim erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ dicit Dominus exercituum. Hoc modo Aggæus populū conferentem huius secundi templi vtilitatem, cum prioris illius gloria atque magnificentiā: non vt pudefaceret

aut

aut culparet, sed vt consolaretur & erigeret. Quanquam ipsorum culpa non erat, qui eandē secundo templo quæ fuerat olim primi optabant, inopia laborabant, & quod volebāt efficere facultas non erat. Propterea Deo possibile esse, Propheta ait, quod hominibus erat impossible. Secus nostræ res habent, Si enim apertis oculis diligentiùs voluerimus attendere, facilè videbimus domum Dei, siue orationis ædem, siue spirituale Dei Templum respicias, pristinę magnificentię multùm esse dissimilē. At nostra id culpa. Possemus enim nos id, si modò voluntas adesset, emundare. Proinde nō nunc ego ista prophetica voce, quemadmodum Aggæus, pro consolandis vobis vsurpare possum, sed per ea nostram arguere negligētiam cogor, qui longè aliter quàm illi viuimus. Illi quidem libenter templi decorem magnificassent, si potuissent: nos possumus sed nolumus. Ideoq; ipsi quidem cōsolari merebantur, nos reprehēsione digni sumus. Ad omnes igitur pios loquor: Quis in vobis est derelictus, qui vidit Domum istam in gloria sua prima? Quis tam simplex, qui dum hanc domum aspicit, quomodo extructa, decorata, dotata, quàm pulchrè statutis ordinationibusq; instructa sit, non fateatur, patribus nostris maiorē in Deum Charitatem, in honestate deuotionem, in oratione ardorem, in verbo desideriū, tum etiam omnes in bonum ardentiores alacrioresq; fuisse, quàm nos in hac nostri temporis domo? Ad hæc ipsi fatemur, serò nos eam, si nō iam & extructa & decorata, dotataq; esset, vel ædificaturos vel dotaturos esse. Et quid hoc, nisi apertissimum indicium est, eā vel dilectionem, vel deuotionē, vel alacritatem, Deiq; timorem iam nō in nobis quæ olim in patrib⁹ esse? Imò quid, nisi quod ipsi palàm, quā in nosipsos affecti, nec Deū nec diuina curamus loquimur? Et quid domū quā illi ędificarūt nobis supereſſe, cū nulla pietatis adsit similitudo, prodest: Quid externè hāc domum exornare iuuat, & vera ornamenta nihil curare? Tum verò optimè ornatum in Templum, quando turmatim in illud cōcurrimus diuino cultui sincerè insistimus, ardenter oramus, cupidè verbum auscultamus, diligenter Sacramentis participamus. Tum, inquā, verè decorata est, quando vigilantibus ministris, grauibus sacer

dotibus, seueris prædicatoribus, deuotaq; plebe conferta est Ecclesia. Tum ornate omnia disposita sunt, quã do omnes ingredientes templum, vna domus Dei facti sunt: præ deum nihil quęrunt, amant, cogitant, parati seque suaque omnia Deo offerre. Tales fuere Patres, idq; etiamnum ipsorum ostendunt vestigia, quibus nulla pecuniæ sumptuúq; vel parcitas vel pœnitudo aderat, quã do, si quid Deo impendendũ erat, nemo postremus esse volebat, quisque ne quidem Christianum se putasset, si vel ea in re negligens fuisset, vel quicquam charius in omni sua facultate habuisset. An non hæ vehementer desiderantur ornamenta hac nostra tempestate? Consideremus, quomodo vel in Ecclesia, vel extra eam nos geramus, & quid tandem futurũ sit cogitemus. In Ecclesia, exigua omniũ deuotio, & si quid tamẽ facimus, ingenti id fit negligentia: vt taceã quę in ea, mala fiant, quę nonnullis & sanè non paucis, nil nisi nugarum, negotiationum, impietatis domus & spelunca latronum est, & quidem extra eam nil præter apertam manifestamque impietatem videre, vbi planè obliuioni traditũ est, omne quicquid in Ecclesia sanæ doctrinę propositum est, quicquid pium exemplis ostẽsum est, nempe volucres cœli comedunt illud, illic quàm vulgus hominum sit fide, dilectione, fructu, onnique pudore vacua colligitur verbis atque factis. Illic, inquàm, quàm grauia, inpiaq; vitia, quàm immania peccata, facinora perpetrentur, abundent, regnẽt, & vt summa dicã, totus hic Mundus omnino solutus in omne malum est. Vitia atque dedecus nihil æstimantur, quòd omnes ijs submersi sint: contrà, beneficentia, fides, simplicitas, sobrietas, pudicitia, cõcordia nũquàm penitus atq; modò rara inter Christianos fuêre. In Ecclesia locus est Euangelio: scilicet foris nec locus illi, nec vacat tẽpus, nec minus absurdum est extra Ecclesiã Euangelij meminisse, quã si in enopolipode ieiunio verba facias: aut in taberna de contẽptu mundi: in lupanari de pudicitia prędices: ita omniũ propè mortaliũ mores, gestus, vita, cõsuetudinesq; in teporaneam natualemq; cõcupiscentiam propensę sunt, nimirũ Ethnico more. Meritò ergo cũ Aggęa dico consideremus fratres quomodo in hac se domo patres nostri gesserũt, qua ratione in ea cõ

mora ti

morati sunt, tum quàm nos illis dissimiles simus videamus. Quàm nō hæc dissimilitudo nos deceat, quis propterea finis expectandus sit, cogitemus, Omni qua possumus diligētia hoc agamus, vt pristinā hæc domus gloriam suam recuperet. Ne nosmet confundamus, omnia in ea vt sint decora ordinataque, nos contrà deformes & nudi. Propellite famā iniquam, quod præ cæteris plures ad pietatem occasiones habeatis, omnibus tamen pigriores & situs & maneatis. Imò verò in huius domus consideratione, quam oia in spirituali domo Dei sint deformata cogitemus. Si quis in vobis, qui vidit domum istam in gloria sua prima, hic proculdubio facilè quàm diuersi nostri mores sint cum patrum vita intelliget. Sed quis mihi prioris Ecclesiæ decorē enarrabit, inquis. Lege igitur Acta Apostolorum, lege patrū scripta. Deū immortalem, quàm hæc domus deformata, quàm est ruinosa Ecclesia. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, et nemo afficitur, non est qui consoletur eam, quisque suam domum ædificat, omnes momentaneum hoc tempus, in clamoribus, in furijs, adhuc in mortali corpore, mox vermibus esca futuro, positus, voluptuosè transigat: nemo quomodo piè consummet, tantumq; quæ commoda sunt, nō quæ honesta inquirimus, cum tamen apertè videmus ipsaq; experientia docemur nihil nos proficere: Seminamus multùm, inferimus parū, per terras conquisitas mercedes in sacculū pertusum mittimus, inferimus in domos multa, & dūs exufflat in ea. An non hęc multis iā annis edocti sumus? Et quid causę est? Quia domus Dei deserta est, eius curam omnes in ventum abijciunt, cum alius quid mea refert? inquit, tantumque soluendo vt sit, curat: alius hæc mihi minima omnium cura est, modò panem in domo mea habeam, ait: tertius deinde eho sacrificium, atque Monachorum res atque contentio est, qui dum alterutrum inuicem satis fuerint conuitiati, spōte cessabunt, clamat. Tum Principes rerū nihil agunt. Omnes quidem vitiatam domū cognoscunt, nemo manum applicat, ac tantū Christiani fidei cura tangimur: hæc, quæ nostra est pietas Ecclesiæ impēdimus. Olim cū Moses tabernaculū erigeret, omnis populus cōtribuebat, cui aurum nō erat, pilos caprarum

Thren. 4.

Aggæ. 2.

2.Reg. 7. 1.Par. 29. conferebat: isq; omnis erga Dei honos ac cultum ardor erat, vt abundantibus quæ ad tabernaculi structuram requirebantur, omnibus, Moses per præconē ne quis præterea quicquā offerret, prohibere cogeretur. Dauid quoque præparāte ea, quæ ædificādo tēplo per Salomonē ne cessaria erant, tam promptus erat populus, vt sublatis in altum manibus Dauid ad Dominum precaretur, vt isthęc in populo voluntas conseruaretur æterna. Sic Aggæa populum pro sua negligentia corripiente, scriptura Zorobabel omnemque populum confortatum fuisse commemorat. Sic & Ezechias Leuitas conuocatos alloquitur, dicens: Audite me Leuitæ, & sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, & auferte omnem immunditiam de sanctuario. Deinde etiam cohortans eos, addit: Tradite manus Domino, & venite ad sanctuarium eius, quod sanctificauit in æternum. Sic denique recuperato per Machabæos templo, quod Antiochus dissiparat, omnis multitudo gratanter instaurationi incumbit: Nos soli Ecclesiasticarum nostrarū domos collapsas negligimus, nemo illarum causam suscipit. Et quidem possemus, si voluntas adesset, omnes auxiliari, quando singuli vel vnum tantùm emendare possemus, omnesq; ad Deū cū Machabæis clamare, vt desolati templi sui causam suscipiat, nec posthac ita illud erui permittat, nósue eo modo in alienæ gentis potestatem deuenire concedat, sed potiùs si quando labi contigerit, clementer corripiat, ac rursus in gratiam recipiat. Putásne eiusce modi oratio, è corde procedens ac vehemens, aliquid efficeret? Hæc inquam, ipsi etiam pauperes conferre possent, nempe nec aurum nec argentum impendere, sed voluntatem bonam, orationem sedulam, vitam innocentē, piumque coram liberis suis exemplū exhibere. Sed quanta potentes huic rei commodare possent, Seculares pariter atque Ecclesiastici? Sed hic laboratur, quòd nemo manum rei applicat. Adhuc tum ipsorum officij est, domus Dei cura tangi, nec vnquàm hæres tam in abiectis, perditis, atq; desperatis esse possunt, quin, cōiunctis duorū horū Magistratuum auxilijs, restitui possint. Magnum quid Moses moliebatur, at cōiuncto fratre bene successit. Sed quis nos huc suo sermone inducet? Aggæus clamat: Ascēdite,

Aggæ. 1. & 2.

2.Par. 29.

2.Par. 30.

dite,& ligna afferte, Ezechias ait: Sanctificamini Leuitæ. Paulus Timotheo suo, & per hunc omnibus in Eccle 2.Tim. 4.
siastica eminētia constitutis, scribit prædica verbum, insta oportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Sed frustra hæc oia. Ecce hoc vult Aggæus, cū ascendere atq; ligna cædere iubet. At peculiari Iosue atque Zorobabel admonitione hortatus, hoc est, Ecclesiasticum atq; Seculare Magistratus affatur, horum id requirit officium, præ cæteris vt super domum Dei intendant atque vigilent, horū etiam coniunctis auxilijs opus est, si modò tandem aliquando effectum voluerimus. Sic Moses & Aaron, Dauid & Nathan, Ezechias & Leuitæ, Ioas & Ioiada, Iesus siue Iosue & Zorobabel auxilia consiliaque cōmunicabant. Ecclesiastici nostri prælati iustū zelum, diligentē curam, verum ardentemq; amorē, constantes & sedulas prædicationes, vitam piam, suaueolentia exempla, scientiam atque sapientiā in medium adferant. Seculares Magistratus timorē, humilitatē, auxiliumque in regnum Dei conferant, quò super omnia exaltetur. Deum immortalem quàm facilis esset collapsæ Ecclesiæ instauratio, sic omnibus opem ferentibus. Hæc igitur cogitemus, horum enim præsens nos admonet festiuitas, nempe qui se patres nostri in Ecclesia gesserunt, & quæ aliquando totius Ecclesiæ fuerit gloria. Considerandum est quam longè vtrinque deflexerimus, vt restituantur omnia opitulandum est. Ne nos his postremis temporibus derelinquat Deus rogandus est, vere enim aduesperascit. Ipsum orare decet: Mane nobiscū. Id ergo vt faciamus, diuina nos adiuuet gratia. Amē.

SERMO QVARTVS.

Hac festa die in secundam dominicam post Trinitatem incidente.

VTrunque Euangelium cum dominicale, cū dedicationis festiuale conuiuij mentionē habet. Et in dominicali quidem Christus opiparā Cœnam, ad quā multi sint vocati, proponit. Hic verò in festi huius Euangelio Christus Zachęi conuiuia commemoratur. Atque vtinam eo quo Zachæus modo conuiuia institueremus. Ille enim inuitat pauperes. Ecce, inquit, dimidiū bonorum meorū do pauperibus. Quibus debebat, inuitabat.

Et si, potuit dicere, aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Inuitauit Christum, & cum gaudio suscipit. Hoc nemo cogitat: Sed hoc solùm cõsideramus, quod conuiua fuerit Christus. Sic etiã in alio Euangelio exemplum conuiuiorum venãtur. Id quod fortè concedendũ esset, si famuli nostri iussi ad exitus viarum & sepes pauperes vocarent, atque discumbere facerent. Sed rarò id fit. Eoque minus ad defendendas crapulam & commessationes nostras, hæc Euangelia faciunt. Aliud quiddam CHRISTVS requirebat, dum Cœnæ parabolam proponebat, non externa conuiuia, quemadmodum hodie dixi: tum etiam non commessandi gratia, sed vt quæreret quod perierat, Zachæi domum ingressus est. Non suis commodis illic inhiabat, aut corporis voluptatem requirebat, sed spiritualia commoda, æternamque salutem intulit.

Luc.19. Hodie salus huic domui facta est, inquit. Hoc CHRISTVS quæsiuit, ob hoc Zachæus exultauit. Nihil aliorum murmurationes horrescebant. Neque enim propterea vel Christus quod inceperat, implere desistit, vel Zachæus à concepto piæ voluntatis proposito relabitur. Huius rei Dedicatio nostra nos admonet, hoc considerandũ est, eoq; modo hæc frequẽtãda est celebritas. Proterea enim hoc Euangeliũ legimus, vt & ipsi domorum nostrarũ salutem quæramus. Quæris quarum: primùm animæ atque conscientiæ. Et quæ salus illarum? Esse filios Abrahæ. Et quomodo id potest fieri? per fidem. Quæ verò fides illa Abrahæ? Quod in suo semine omnes populi benedicendi essent. Et quid est benedici? Nempe abęterna maledictione absolui. Hæc conscientiarum animarumque nostrarum salus est, Sed vbi hanc quærere necessum est? Illic, vbi Zachæus & quæsiuit & inuenit. Quęsiuit videre Iesum. Neque id per nosmet possumus, ne-

Psal.116. que vlla creatura eam salutem conferre potest. Nisi enim Dominus ædificauerit domum, in vanum laborãt, qui ædificant eam. Hũc prima fundamenta locare oportet, qui nisi incipit, omnia nostra recidunt. Quod si salutem nostram apud eum, qui potis est dare, quæsierimus, etiã illa domui nostræ continget: quod quærimus, inueniemus. Vis autẽ adhuc aliam videre domum, cuius salus quærẽda est. Sanctam Catholicam, Christianã, atq; Apo-

stoli-

ſtolicâ Eccleſiâ cogita, hæc vera Dei viui domꝰ eſt. Quę autē huius ſalus eſt? Nempe, quando verè de ea dici poteſt: Ecce tabernaculū Dei cū hominibus. Hæc ipſa Eccleſiæ ſalus eſt, tū ſecurè atq; optimè homines in Eccleſia habitant, quādo Deus in ea commorans, agnoſcitur, creditur, laudatur, timetur, amaturq; vti Deus, quādo ipſum ſolùm Deum noſtrum eſſe, nos ipſius populus manere ſtudemus, quādo ipſius conſolationem interne, auxilium defenſionemq; eius externè experimur. Hæc, inquam, ſalus Eccleſiæ eſt. Et vbi quærenda hæc eſt? Apud Chriſtum. Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam. At quomodo illa quæritur. Id Dauid verbis atque exemplo docet, cum ait: Rogate quę ad pacem ſunt Ieruſalem, & abundantia diligentibus te. Pſal. 121.
Nihil enim ita atq; pax Eccleſiæ neceſſarium, maximè verò in turribus eius. Si enim illic diſcordia diſſidiumque fuerit, nempe in doctrina fidei, conſiſtere ciuitas illa non poteſt. Rogate ergo quæ ad pacem ſunt, maximè ad pacē turrium. Atque hæc illa Dauid doctrinæ vox eſt: fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis: propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te: propter domū Dei noſtri, quæſiui bona tibi. Ecce hoc eſſet ſalutem quærere totius Eccleſiæ domus noſtræ. Sed hæc externa domus ſilentio prætereunda non eſt, quia & ipſa licet alio modo, ſalute indiget. Eſt autem illius domus ſalus hæc, quando verè ac grauiter in ea verbum Dei prædicatur, Sacramēta rectè adminiſtrantur, Deus toto mentis affectu in ea benedicitur, illius gratia atque mirabilia cogitantur, ignitæ ardentesque in ea preces afferuntur. Hæc enim & nubes penetrant, quando in ea meditamur. & incipimus, quæ in cœlis in æternum facturi ſumus: breuiter, quando domus illa orationis eſt, nemo eam ſpeluncam latronum faciat: quando Dei domus eſt, nemo negotiationis tabernam faciat: ſi imago cœleſtis eſt Ieruſalem, hoc eſt, ſi in ea meditanda, auſpicāda quæ tandem in æterna patria conſequi ſperamus, pia ſanctaque conuerſatione ornanda eſt. Hæc huius domus ſalus? Verùm vbi hæc quærenda eſt? Id modo atque forma Salomon docet, qui perfecto templo quod Ieroſolymis extruxerat pretioſiſſimo, coram altari, in populi totius frequen

nia expansis in cœlum manibus, Dixit: Domine Deus Israël non est similis tui Deus in cœlo desuper & super terram deorsum, qui custodis pactum, & misericordiam seruis tuis, qui ambulāt corā te in toto corde suo, qui custodiui seruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei: Ore locutus es, & manibus perfecisti, vt hæc dies probat. Nunc igitur Domine Deus Israël conserua famulo tuo Dauid patri meo quæ locutus es ei, dicens: Nō auferetur de te corā me, qui sedeat super thronū Israël. Ita tamen, si custodierint filij tui viam suā, vt ambulent coram me, sicut tu ambulasti in cōspectu meo. Et nunc dñe Deus Israël, firmentur verba tua quæ locutus es seruo tuo Dauid patri meo. Ergóne putandum est, quòd verè Deus habitet super terrā? Si enim cœlum, & cœli cœlorū capere te non possunt, quomodo domus hæc quam ædificaui tibi? Sed respice ad adorationē serui tui, & ad preces eius Domine Deus meus. Audi hymnum & orationem quam seruus tuus orat coram te hodie, vt sint oculi tui aperti, & aures tuę intētę super domū istam nocte ac die: super domū de qua dixisti: erit nomen meum ibi: vt exaudias orationē, quā orat in loco isto seruus tuus: vt exaudias deprecationē serui tui & populi tui Israël, quodcunque orauerit in loco isto, & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, & cū exaudieris, propitius eris. I. Si peccauerit homo in proximum suum, & habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur adstrictus, & venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam: tu exaudies in cœlo, & facies, & iudicabis seruos tuos, condemnans impium, & reddens viam suam super caput eius, iustificansque iustum, & retribuens ei secundum iustitiam suā. II. Si fugerit populus tuus Israël inimicos suos (quia peccaturus est tibi) & agentes pœnitentiam & confitentes nomini tuo venerint & adorauerint, & deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in cœlo, & dimitte peccati populi tui Israël, & reduces eos in terram quam dedisti III. patribus eorum. Si clausum fuerit cœlum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & peccatis suis conuersi fuerint, propter afflictionem suam: exaudi eos in cœlo, & dimitte peccata seruorum tuorum, & populi tui Israël

& o-

& ostende eis viam bonam, per quam ambulent, & da pluuiam super terram quam dedisti populo tuo in possessionem. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aër, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus eius portas obsidens, omnis plaga, vniuersa infirmitas, cuncta deuotio & imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israël, si quis cognouerit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo, in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies vt des vnicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor eius: quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum, vt timeant te cunctis diebus quibus viuunt super faciem terræ quam dedisti patribus nostris. Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo Israël, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum extensum vbique, Cum venerit ergo, & orauerit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus inuocauerit te alienigena: vt discant vniuersi populi terrarum nomen tuum timere: si aut populus tuus Israël, & probent quia nomen tuum inuocatum est, super domum hanc, quam ædificaui. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocunq; miseris eos, orabunt te contra viam ciuitatis, quam elegisti, & contra domum, quam ædificaui nomini tuo, & exaudies in cœlo orationes eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum. Quod si peccauerint tibi (non est enim homo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis suis, & captiui ducti fuerint in terram inimicorum, longè & propè, & egerint pœnitentiam in corde suo in loco captiuitatis, & conuersi deprecati te fuerint in captiuitate sua, dicentes: peccauimus, iniquè egimus, impiè gessimus, & reuersi fuerint ad te, in vniuerso corde suo, & tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captiui ducti fuerint & orauerint te, contra viam terræ suæ quam dedisti patribus eorum, ciuitatis quam elegisti, & templi quod ædificaui nomini tuo: exaudies in cœlo in firmamento solij tui orationes

IIII. V. VI. 1. Par. 6. Ec. li. 8. 1. Ioan. 1. Dan. 10.

eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum, & propitiaberis populo tuo qui peccauit tibi: & omnibus iniquitatibus eorum, quibus prǫuaricati sunt in te, & dabis misericordiam coram eis qui eos captiuos habuerint, vt misereantur eis. Populus enim tuus est, & hæreditas tua, quos eduxisti de terra Aegypti, de medio fornacis ferreæ, vt sint oculi tui aperti ad deprecationem serui tui, & populi tui Israël, & exaudies eos in vniuersis pro quibus inuocauerint te. Tu enim separasti eos tibi in hæreditatem de vniuersis populis terræ, sicut locutus es per Mosen seruum tuum, quando eduxisti patres nostros de Aegypto, Domine Deus, factum est autem cùm complesset Salomon orans Dominum omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini. Vtrunque enim genu in terram fixerat, & manus expenderat in cœlum. Stetit ergo & benedixit omni Ecclesiæ Israël voce magna, dicens: Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israël, iuxta omnia quæ locutus est. Non cecidit ne vnus quidem sermo, ex omnibus bonis, quæ locutus est per Mosen seruum suum. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris nō derelinquens nos, neque proijciens, sed inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in vniuersis vijs eius custodiamus mandata eius, & cæremonias & iudicia quęcunque mandauit patribus nostris: & sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes coram Domino Deo nostro die ac nocte: vt faciat iudiciū seruo suo & populo suo Israël per singulos dies, & sciant oēs populi terrę, quia Dominus ipse est Deus & nō est vltra absque eo, sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, vt ambulemus in decretis eius, & custodiamus mandata eius sicut & hodie. Igitur Rex & omnis Israël cum eo immolabant victimas coram Domino. Mactauitq; Salomon hostias pacificas, quas immolauit Domino, boum viginti duo milia, & auium cētum viginti milia. Et dedicauerunt templum Domini Rex & filij Israël. In die illa sanctificauit Rex medium atrij, quod erat ante domū Dñi. Fecit quippe holocaustum ibi, & sacrificium, & adipem pacificorum; quo-

niam

niam altare æreũ quod erat corã DOMINO, minus erat, & capere non poterat holocaustum & sacrificium, adipem pacificorũ. Fecit ergo Salomon in illo tempore festiuitatem celebrem, & omnis Israël cum eo, multitudo magna ab introitu Hemath vsque ad riuum Aegypti, coram domino Deo nostro septem diebus, & septem diebus, id est, quatuordecim diebus, & in die octauo dimisit populos. Qui benedicentes Regi profecti sunt in tabernacula sua, lætantes & alacri corde, super omnibus bonis, quæ fecerat dominus Dauid seruo suo, & Israël populo suo. Ecce hoc est planè & vbique domui nostræ salutem quęsiuisse. Et hic quidem facilè est cuiuis, quæ pijs cogitanda hodie proposita sint. Atque vtinam eiuscemodi cogitationibus occuparemur. Quid enim vtilius, quid magis necessariũ, maximè his temporibus, quando admodũ inualidè domus nostra perstat, intus exterjusq;, temporaneè spiritualiter: priuatim atque in genere? Et quid multis? Securis ad radicem arboris posita est: Propterea quæcunque arbor non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Salutem, fratres, domus nostræ quæramus, dum CHRISTVS adhuc in via est, inuocemus eum dum propè est. Sanè eiusmodi materia dicendi digna est præsens celebritas, tum multa satis mihi illa Salomonis historia occasio dicendi offertur, quando omnino eum locum attigimus, vbi diligentia templum ædificarit commemoratur: non inconueniens nostræ dedicationi materia. Sed periculosæ hę motiones bellorumque rumores in causa sunt, vt nihil præter lamentari ac queri possim. Propterea & hunc ipsum sermonem cum Dauidis querela concludam. Et fortè eiusmodi querela faciet, vt propriæ impriæ agnitionem, commissa scelera cognoscamus, hinc pro vitæ emendatione ardenter orare discamus. Id enim maximè necessarium erit: Ionæ enim prædicatio considerari vult. Illi quidem populo quadraginta dies pœnitentiæ contulit, an idem tempus nobis detur, incerti sumus. Et quæ illa Dauid querela? Domine DEVS quousque irasceris super orationem serui tui? Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura. Posuisti nos in contradictionem vicinis

Mat. 3. Phil. 4.

Psal. 79.

no-

nostris,& inimici nostri subsannauerunt nos: Deus virtutum conuerte nos,& ostende faciem tuam & salui erimus. Hæc illa Dauid querela est, in qua necessitatem, qua ipse atque populus suus illo tempore premebatur, enumerat. Tres versus sunt, quibus quicquid in hac terra pios premere potest comprehenditur. Sed nos eadem iam dudum experimur. Propterea non indigna nobis illa erit querela. Vbique enim & in omnibus iratum nobis Dominum offendimus. Si enim Germaniæ iam per mille annos certa atque præsens incubuit exterminium,iam certè incumbit. Proinde cuique vestrum hanc Dauid querelam breuitatis studio considerandam relinquo, quo quisque secum quàm periculosè habitet cogitans,cum Dauid precari moueatur. Domine Deus virtutum conuerte nos,& ostende nobis faciem tuam & salui erimus. Gratia Dei nobiscum,Amen.

IN DIE S. MARGARETAE EVANGELIVM.

Matthæi. 13.

SImile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuersa quæ habet & emit agrũ illũ. Iterum simile est regnũ cœlorum homini negociatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt & vendidit vniuersa quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorũ sagenæ missæ in mare,& ex omni genere piscium congregãti, quã cum impleta esset educentes,& secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum

minum ignis. Ibi erit fletus & stridor dētium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei. Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamiliâs, qui profert de thesauro suo noua & vetera.

EODEM FESTO EPIstola. 2. Cor. 10. & 11.

FRatres, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat.

CAP. XI.

Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ: sed & supportate me. Æmulor enim vos Dei æmulatione, despondi vos vni viro, virginē castam exhibere Christo.

PRIMVS SERMO, & vnicus.

Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniam requirens est Dominus veritatem, & abundanter retribuet facientibus superbiam. Psal. 30.

EXternarū experientia atq; vsu videmus, munita vrbes etiam paucis tempore excubias habere suas, ne insperato damnū accipiant, bello verò exorto consuetas excubias roborare, omnia diligentiùs explorare: sed & quisq; pro se quod potest in commune confert & consulit, alius alium hortatur & incitat: nec ciuis habetur bonus, qui illic domi desidet. Quod si & nobis cordi esset, nomini atque vocationi nostrę respondere, proculdubio eandem in spiritus negotio exhiberemus solertiam, paremq; ostenderemus diligentiam. Sanè, quod Christi ducis nostri est: prudenter, vt vigilemus & paratí stemus, qui qua hora filius hominis venturus sit nesciamus, admonet. Tum verò & antesignanus ille noster Petrus Apostolus adhortatur, dicens: Sobrij estote Luc. 12. 1. Petr. 5.

&

& vigilate: quia aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Cui fortes
Ephe.6. in fide resistite. Idem & Paulus facit, dicens: State ergo succincti, lumbos vestros in veritate, & induti loricâ iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis. In omnibus sumentes scutũ fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeã salutis assumite, & gaudiũ spiritus, quod est verbum Dei. Induite armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, quoniã non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguiné: sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harũ, contra spiritalia nequitiæ, in cœlestibus. Si igitur secundũ doctrinã Christi, parati: secundum admonitionẽ Petri, sobrij: secundum Pauli acclamationem, armati erimus semper: quid nunc faciundum est, quando vndique Satan tanta violentia Ecclesiã impugnat? Sanè ipsa experientia docet, adesse nunc tempora, quæ olim Ioannes prædixit:
Apoc. 21. Væ, inquit, habitatoribus terræ & maris: quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Quisquis ergo ingenuus Christianus esse cupit, amplius hoc nequam seculo vigilet, ne vel vrbs nostra euertatur, vel ciues affligantur, vel bona per Christum parta diripiantur, vel denique nos ad Diaboli tyrannidem, qua Christi sanguine redempti sumus, compellamur. Si igitur vnquam cum aliqua pietate Martyrum celebrauimus, si vnquam ipsorum exempla considerauimus, nunc id studiosius maioriq; cum zelo faciamus æquum est. Neque enim quisquam ad multa nobis Martyrum exempla prodesse posse negauerit, maximè verò in ijs rebus, in quibus nostra ætate Ecclesia vehementer laborat. Quorum exempli causa nonnulla in medium proferam. Principiò inuenias, & quidem non paucos, qui in apertissimis criminibus iaceant, atque perseuerent, contẽti quod baptizati sint, & credant. Alij quidem non ita publicis criminibus impij: nimium tamen, quàm æquum est, temporaneis dediti, præter modum hunc Mundum diligũt. Alij neutro horum reprehensibiles sunt quidem, tamen pigri ac negligentes in omni bono, in nouum nostri seculi

culi Euangelium sperant, quod omnia bona opera, non necessaria, nec vtilia ad salutem esse, tãtumq; fidem saluare docet. Alij quidem bono intendunt, sed pusillanimes sunt & modicæ fidei, vnde etiam sæpe deficiũt. Alij vero ita in suis operibus inanibus superbiunt, vt non modo quicquam sibi præterea necessarium iudicent, verumetiam coram Deo stare audeant, & dicere: Gratias ago tibi, quod non sumus sicut cæteri hominum. Vt ergo hæc mala, hisq; alia similia tollantur: diligenti sanctorum, qui Deo ante nos placuerunt, consideratione opus est: cõsideratis enim diuorum exemplis, facilè, qui publica impietate criminosi sunt, intelligent, nõ esse vitã suã Christianis dignã, qđ oẽs pij ac sancti summo semper studio pctã deuitarint, iustitiamq; apprehẽderint. Et licet nõnulli eorũ grauissimè hallucinati sint, & Dauid, Petrus, & alij, iterũ tamẽ, resipuerunt, & cõmissa, magna & seuera pœnitentia diluerũt. Quod si rursum diuorum exempla cõspexerimus, mox etiam seculi huius filij pudefierent, quod tanto sudore ea quærant, quæ pij semper veluti stercora æstimąuerũt. Quod si adhuc in diuorum exempla oculos intenderimus, inuenient pigri ac negligentes Christiani quomodo non ad otium, sed ad laborem & pietatis opera vocati sint, sicut & vineæ & operariorum docet parabola: Inuenient & pusillanimes modicæq; fidei homines, quomodo magnæ fidei magnæq; spei magnum robur consequi valeant. Sed & pharisæus superbiens fastu, illic mox intelliget quã nihil sint omnia sua opera, collatione eorum quæ sancti nostri fecerunt & passi sunt, desinetq; facilè deinceps efferri animo. Vides ergo quid crebra diuorũ veluti perfectorum exemplorum consideratio possit: nimirum vt nulla publica crimina maneant, nullus temporaneorum amor subsideat: non pigritia aut negligentia, non pusillanimitas, non superbia aut iactantia foueatur, sed contrà innocentiæ studium, cœlestium amor, terrenorum contemptus, bonorum operũ studium, fidei perfectio, humiliatis deniq; profunditas. Et qua via, si hæc in Ecclesia salua starẽt, aduersum nos insurgere posset Diabolus? Sed quorsum, inquis, isthęc tã lõgè repetito exordio ingeminas? Nẽpe vt festum hoc maiori attẽtione ac

Apoca. 3.

Luc. 18.

Philip. 3.

Matth. 20

studio

studio considerem⁹, atq; ingens nobis exemplum D. virginis huius martyrium statuamus. Paucis igitur historiam eius libet perstringere, deinde quid hinc eruditionis capere possim⁹ enucleare. Et sanè apparebit quod non sine causa Thema ex Psalmista proposuerim. Diligite, inquit ille, Dominum, omnes sancti eius, quoniam Dominus requirit veritatem, & retribuet abūdanter facientibus superbiam. Iam verò, sic habet historia, Fuit Margareta cui, hanc festam diem celebramus, Theodosij Antiocheni Idoli sacerdotis præcipui filia, tempore Marcelli Romanę Ecclesiæ pontificis, ac duorum sæuissimorum tyrannorum, Diocletiani quidem in oriente, & Maximiniani in occidente, qui sæuissimam sanè persecutionem exercebant in Christianos, à quo tempore plus mille ducenti anni fluxerunt. Cùm vero puella hæc adoleuisset, spiritu sancto illustratur, cœpitq; præter parentum voluntatem, Christiana esse. Mortua matre, à nutrice suscipitur, & huic ipsi Christiana fides non magnopere displicuit, concesit aliquando rus cum coæuis suis, & inter agnos ludens, ab Olibrio Asiæ prę̄side Antiochiam proficiscente fortè conspecta, per nunciū colloquendi gratia adducitur. Tum illa trepida licet, Dei tamen inuocato nomine, accedit. Laudare eam ille, & genus nomenq; inquirere incipit. Verùm cuncta ex ordine recensens, ita sermonem instituit, vt nomine licet vocaretur patrio, Christianam tamen esse se innueret, ac baptizatam soli Deo Domino suo Iesu Christo seruire ostenderet. Olibrius turbatus virginis constantia, vinctam abduci atq; inedia torqueri iubet, si fortè mutata sententia, ab inuisa Christianorum Religione deficeret. Verùm ita in proposito constans perseuerat, vt in publicum producta, si fortè rubore confusa à Iesu seruatoris confessione recidere velit, egregiè ac grauissimè nomen, fidemq; Iesu profitetur. Olibrius ad hæc pœnas, tormentaq; ac mortis infamiam minatur. Cui illa confidenter & liberè respondit. Agè viriliter, vre, assa, tantùm in Christo maneam. Ergo mox suspensa crinibus, fustibusq; miserè cæsa, omnium oculis miserādum prodibat spectaculum. Vt vt autem sæuissimos cruciatus sufferret, testimonium tamen constantis animi prodidit

Psal. 30.

didit historia, quæ pœnas eam pro nihili duxisse commemorat. Hac constantia tot immania sæuissimi tyranni tormenta suscipiens, tandem à Malcho gladio truncata in Christo obdormijt. Reliqua eius historiæ, vt quę draconis mentione faciunt, & alia, in doctissimi pręstantisque viri Domini Georgij Vicelij Choro sanctorum licet inquirere. Ea historiæ series est, vt quisquis vel per se eam legerit, vel ab alijs cognouerit mox cum sponso in Canticis sit dicturus: Quàm pulchri sunt gressus tui, filia principis in calciamentis tuis? Incessit enim hæc virgo nostra ornatè calceata. Rectè piorum sequuta vestigia, & tempestiuè sequuta nunquam ab ijs deflexit. Verè enim Paulum dixisse, hic intelligimus: Infirma mundi elegit Deus, inquit ille, vt cõfundat fortia. Sed & hoc videmus, quomodo Deus adsit suis, & quomodo confirmet, atq; in requiem suam introducat. Qua propter Dauid non incongruè monet, dicens: Diligite Dominum omnes sancti eius. Neq; verò ad vita hac defunctos sanctos, vt qui in gratia cõfirmati sunt, nullisq; admonitionibus egent, hæc Psalmistæ verba torquenda sunt: sed nobis dicta sunt, qui sanctificati per baptisma, à sancto sanctorum Christo nomen sortiti sumus, & ad sancta opera vocati, Petro monitore cum ait annunciandam esse per nos virtutẽ eius, qui nos vocarit. Et hos sanctos, nimirũ nos, Psalmista hic vult intelligi. Iã verò nihil molestũ aut graue manet nos: tãtùm vt diligam⁹ Dñm, hortatur. Quantũ & quid hoc sit Margaretę exẽplo licet cognoscere. Adhæsit illa tota anima totoq; corde Deo: maiorẽ illũ præstantioréq; oĩbus rebus æstimauit: Deũq; apertè cõfiteri nõ puduit: oĩa illius causa contẽpsit: vŏlũtati illius obediuit: tormẽtis propter illũ non cessit. Hoc est Deũ verè diligere. Nõ illud Deum diligere est, ore sine mẽte Deo velle appropinquare, autvnà cũ ipso facultates diuitiasq; appetere, diligere. Nõ em̃ Deo potestis seruire & Mãmonæ. Neq; verò ille Deũ diligit, qui ipsum cõfiteri timet, aut illius iussa tẽnit, aut crucem refugit. Qui em̃ vult venire post me, inquit Christus, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suam, & sequatur me. Rectè igitur nos Dauid hortatur, vt sancti diligamus Dñm. Ipse em̃ vnus & rectè diligẽdus est. Principio enim ipse veritatem

Cant. 1.

1. Cor. 1.

1. Pet. 2.

Isai. 29. Matt. 6.

tem requirit, hoc est, eos qui immaculatæ, puræ iustæq; viæ sunt, aspicit, hos & ipse diligit. Hinc Psamista ait:
Psal.3. Quàm magna Deus multitudo dulcedinis tuæ, quã abscõdisti timentibus te. Et sequitur: Abscõdes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hoim. Amplius adhuc Deus requirit veritatem, hoc est, in promissionibus non fallit. Id quod in hac virgine cõsideramus, Christus
Lucæ.22. credentibus dixit: Dabo vobis os, & sapientiam, cui nõ poterunt resistere oẽs aduersarij vestri. Dabitur vobis
Ioan.12. in illa hora quid loquamini. Et: Nõ relinquã vos orphanos. Aliũ paracletũ dabo vobis. Et: Quicquid petieritis patrem in noie meo, dabit vobis. Et: Qui mihi ministra-
Ioan.12. uerit vbi ego sum, illic & ipse erit, & honorificabit eum pater meus. Oia hæc in hac virgine nostra impleta sunt. Veritatẽ igitur Deus requirit. Tertiò & hoc modo veritatem requirit Deus, vt suo tẽpore rursus manifestetur. Licet em̃ nonnunquã primasiniustitia teneat, tandẽ tamen aliquãdo veritas Iustitiaq; victrix erit, atq; triũphabit. Idem quoq; in hac virgine videmus. Agite ergo: diligite Dñm, quoniã ipse requirit veritatẽ. Sed & retribuet abundãter faciẽtibus superbiã. Id quod exẽpla innumera testãtur. In Pharaone, Saul, Sennacherib, Nabuchodonosor, Antiocho, Iudęis, & alijs: Tum hic in Diocletiano, Olibrio. Nos igitur hæc duo ad amandũ Deũ virginis exẽplo, meritò mouẽt. Nõ. n. sine ratione Dauid concludens ait: Viriliter agite & cõfortetur cor ve-
Galat.6. strum, oẽs, qui speratis in Dño. Idẽ ferè Paulus monet:
1. Cor.6. Bonum, inquit, faciẽtes, nõ deficiamus, tẽpore enim suo metemus nõ deficiẽtes. Et rursum: Nõ deficimus. Licet,
2. Cor.5. enim is, qui foris est homo noster corrumpitur, is tñ qui interior est, renouatur de die in diẽ. Et: Scimus, quoniã si terrestris hæc domus nostra dissoluatur huius habitationis, quod ædificationẽ ex Deo habeamus, domũ non manufactam, sed æternã in cœlis. Ecce, hęc ex isthac addisci possent historia. Quod si nos his rebus meditãdis occupauerimus, sanè non sine fructu hunc diẽ transigemus, nec indignam D E O per Margaretam Martyrem suam laudem impendemus, & ipse quidem non absimilem gratiam exhiberet nobis. Id vt fiat, gratia nos Iesu Christi adiuuet, Amen.

IN

IN DIE MARIAE MAGDALENAE EVANGELIVM.

Lucæ. 17.

ROgabat Iesum quidam de Pharisæis, vt manducaret cũ illo. Et ingressus domũ Pharisęi, discubuit. Et ecce mulier, quę erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod Iesus accubuit in domo pharisæi, attulit alabastrum vnguẽti, & stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se, dicẽs: Si hic esset propheta, sciret vtique quæ & qualis esset mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simõ habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic, Duo debitores erãt cuidã fœneratori. Vnus debebat denarios quingẽtos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simõ, dixit: Æstimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei. Rectè iudicasti. Et cõuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierẽ? Intraui in domũ tuam, aquã pedibus meis non dedisti. Hæc aũt lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculũ mihi non dedisti, hæc aũt ex quo intraui, nõ cessauit osculari pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittũtur ei peccata multa, quoniã dilexit multum. Cui aũt minus dimittitur, minus diligit. Dixit aũt ad illã: Remittũtur tibi pcta. Et ceperũt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic,

qui etiã peccata dimittit? Dixit aũt ad mulierem: fides tua te saluam fecit. Vade in pace.

EODEM FESTO EPIstola. 1. Timoth. 1.

FIdelis sermo & omni acceptione dignus: quia Christus Iesus venit in hunc mundũ peccatores saluos facere, quorum primus ego sum: Sed ideo misericordiã consecutus sum, vt in me primò ostẽderet Christus Iesus omnẽ patientiã, ad informationẽ eorum qui crediturí sunt illi in vitam æternam. Regi aũt seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorũ, Amen.

PRIMVS SERMO,

& autoris nouissimus.

HIstoria Euãgelij huius tã grauis tamq; cõsolatoria est, vt nõ immeritò eam oẽs, quando oẽs peccatores sumus, quisq; in suæ mentis secretiora infigat, quotidiè ob oculos habeat, & Deo eleuatis sursum manibus, gratias agat, qui, vt præsens hæc lectio testis est, tã oĩbus numeris absolutã doctrinã, tam certã consolationem nobis tradidit. Ecce enim doctrinã pariter atq; exemplum hîc pro cuiusq; peccatoris volũtate, pœnitentiumq; consolatione proponũtur. Nam quod fœlix illa peccatrix egit, exẽplo nobis factũ atq; relictũ est. Quod Christus loquutus est, nostra cõsolatio est. De peccatrice quid loquuta sit nõ legimus, quæ aũt fecerit magna, hæc legimus, auersionẽ à peccatis, perfectã ad Deũ conuersionẽ, humilitatẽ profundã, cordis contritionẽ verã, strenuam castigationẽ, pœnitentiã prẽteritorũ cõmissorum, & deniq; in bono perseuerantiã. Et quidem super hæc oĩa fidẽ, ingentẽ, dilectionẽ admirabilem. Hæc sunt exempla, quę in peccatrice illa cõsideranda Euangelium proponit. Et quis tã ligneus, qui his auditis, quid sibi facto opus sit nõ intelligat? Hęc ipsissima cõsequendę misericordię Dei sunt media. Quõ em̃ Deus, cuius natura bonitas est, hoĩm tam afflictæ mẽtis, tã grauiter pctã sua casti-

castigantem, non potest respicere, aut qua ratione potest nō susc̄ipere? Atq; hac ipsa causa tam facilem piumq; se Christus hic exhibuit, nihil Pharisæi moratus calūnias: Tibi, inquit mulieri, remittuntur p̄cta. Et mox: Fides tua te saluā fecit. Et: Vade in pace. Et quid illi magis cō solatorium respōdere potuisset? Quis vnquā hac lętior muliere domū repetijt? Quis aliquādo præstantiora in sua importauit. Anxia mœrorisq; plena cōscientia ad Christum venit. Id quod & lachrymæ & gemitus ostendunt, exultāti animo discessit ab eo. Et quis est, qui hoc exēplo cōsequendę misericordię spē nō cōcipit? Quis eadem sibi obtingi nō & quidē vehemētissimè velit? Quis piè Christianus gratāter nō canit, quemadmodū ab Ecclesia præscriptū videt? Laus tibi Christe, qui es creator & redēptor, idē & saluator, cœli, terræ, maris, Angelorum, & hoīm, quē solū Deū confitemur & hoiem. Qui peccatores venisti vt saluos faceres. Sine p̄ctō peccati assumens formulā. Quorū de grege vt Chananeā Mariā visitasti Magdalenā. Eadem mēsa verbi diuini, illā micis, hanc refouēs poculis. In domo Simonis leprosi cōuiuijs accubans typicis: Murmurat Pharisæus vbi plorat fœmina criminis cōscia. Peccator contēnit cōpeccantem, peccati nescius, pœnitentē exaudis, emūdas, fœdā adamans vt pulchrā statuas. Pedes amplectitur Dn̄icos, lachrymis lauat, tergit crinibus, lauando tergendo vnguento vnxit, osculis circuit. Hæc sunt cōuiuia quæ tibi placent, ô patris sapiētia. Natus de virgine qui nō dedignaris tāgi à Peccatrice, à Pharisæo es inuitatus. Mariæ ferculis saturatus. Multū dimittis, multū amāti, nec crimen postea repetēti. Dęmonijs eā septē mundans septiformis spūs. Ex mortuis resurgentē das cunctis videre priorē, hanc Christe proselytā signans Ecclesiā, quā ad filiorum mēsam vocas alienigenā, quā inter cōuiuia legis & gratię spernit Pharisęus fastus, lepra vexat hęretica. Qualis sit tu scis, tangit te, quia peccatrix, quia veniæ optatrix. Quid nam haberet ægra si nō accepisset, si nō medicus adesset. Rex regū diues in oēs, nos salua peccatorum tergēs cūcta crimina, sanctorū spes & gloria. Hāc nobis cātandi formam Ecclesia præscripsit, simulq; occasionem dedit diuinam misericordiam non modò laudandi,

dandi, verumetiã impetrandi eã spẽ auget. Fidelis.n. sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundũ peccatores saluos facere. Peccatores inquã, nõ in pctis veterascẽtib. sed huius exẽplo fœminæ pctã corrigentes, deflẽtes, & inde desistẽtes. Hæc ergo docemur. Sanè si hoc Euangelium in eum finem susceperimus multorum bonorum causa erit. Id ergo vt faciamus Christi Iesu gratia faciat, Amen.

SERMO SECVNDVS.

Comparatio huius festi & octauæ dominicæ post Trin. Euangelium.

QVia hodierna festiuitas in hanc Dñicam hoc anno incidit, nihil me vel vtiliùs vel decẽtiùs facturũ esse existimaui, quàm si vtrunq; Euangelũ cõparauero. Idq; eò vt maiorẽ piæ mẽtes ad consequendam pietatis virtutẽ habeant occasionẽ, & collatione duorũ quomodo appositè coincidãt festũ & dñica dies, meliùs possit intelligi. Vtrobiq; sanè nostra culpatur negligentia, vt qui aut nunquã aut seriùs vitæ emendationẽ proponimus, cum tñ vtrunq; Euangelũ grauẽ eius rei exhortationẽ, alterũ vero etiã præstantissimũ exemplũ habet, ita vt seueriùs quã hoc modo ad pœnitentiã hortari nõ possumus. Ois arbor quæ nõ facit fructũ bonũ, ex-
Matth. 7. cidetur, inquit Christus in dñicali Euangelio, & in ignẽ mittetur. Et mox: Nõ ois qui dicit mihi Dñe dñe, intrabit in regnum cœlorũ, sed qui facit voluntatẽ patris mei qui in cœlis est. Eodẽ planè modo etiã in festæ diei Euãgelio clamat ad Pharisæũ otiosum atq; inertẽ. Vides, inquit, hanc mulierẽ? Enumerat quoq; opera ipsius ex ordine, quorũ nullũ Pharisæus fecerat. Veni in domũ tuã, aquam pedibus meis nõ dedisti, hæc aũt lachrymis suis lauit pedes meos, & capillis capitis sui tersit. Sanè si quis hæc verba dextrè examinauerit, facilè videbit quorsum spectent quæ in dñicali Euãgelio Christus loquitur. Ex operibus eorũ cognoscetis eos. Magna cõtrouersia hodie, qui sint boni isti fructus, ex quibus arbor hoies credentes cognosci possint, disceptatur. Et quidẽ eiusce modi negotiũ in controuersiã vocari necesse nõ est, tãtùm beatæ huius fœminæ exemplum statuamus ob oculos. Nulla præsumptionis iactãtia, hic paucula magnarũ rerũ verba

verba audiuntur, imò in ipsa quidē nullum verbū cōsideratur, verè tñ præstantia cōspiciuntur opera. Quærēs, quæ? Perfecta cōuersio à pctis ad Deum, ingens humilitas, vehemēs cruciatus mētis, seuera Pœnitētia & commissorū pœna, cōstans perseuerātia, & super hæc omnia insignis fides, vehemēs dilectio. Hi veri fructus sunt, ex quibus arbor potest cognosci, & ipsi quidem oēs in hac vna muliere leguntur. Licet ergo à Pharisæo reijciatur, & tāta gratia indigna iudicetur, Christus tñ eam, qui rectè inter fructus nouit discernere, inter bonas arbores annumerat, cū ait: Primò: Remittūtur tibi pctā. Secūdò, fides tua te saluā fecit. Tertiò: Vade in pace. Et quis lætior domū redijt vnquam hac muliere, quæ tam pretiosum thesaurū domū refert? Cui nō vel summa voluptas esset, eo modò iustis annumerari? Cui verò hoc exemplum spē consequēdæ miseri cordię nō porrigit? Et quis nō auidissimè Pauli hodie nos acclamantis verba cōcipit? Fidelis, inquit, sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hūc mundū peccatores saluos facere. His, inquā, Paulus nobis hodie loquitur, non ideo vt solùm in seipso, aut Magdalena quā vterq; habet misericordiam prædicemus, verūetiam ac multo magis, vt eandē ipsi cōsequi studeamus, qua bonę arbores efficiamur, & nō vt steriles in ignē conijciamur. Cui rei & illud seruit, quod idē Apostolus in Dominicali Epistola monet. Debitores sumus, inquit, non carni vt secūdum carnem viuamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si verò spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Qui enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Ecce quomodo hæc Epistolæ verba vtriq; Euāgelio seruiant. Vult Christus doctrinæ suæ verbū bonū in nobis germinare fructum. Quo sensu Paulus debitores nos esse dicit, qui spiritū Dei accipimus, & in filiorum Dei sortem adopti hæredes sumus. Verū aliud Euangelium ostendit mulierem ingenti dolore peccata sua deflentem, iustitiamq; quærentem. At Paulus quid nos vt idem faciamus mouere debeat, exponit. Si, inquit, secundum carnem vixeritis, moriemini. Hoc superest, vt tam insignem, grauemq; exhortationem auidis animis complexi, operi insistamus, alioqui nihil profuerit multa

1. Tim. 1.

Roma. 7.

audire, in nullo verò nobisipsis meliores fieri. Terra enim sępe venientẽ super se bibens imbrẽ, proferés spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima. Oremus igitur, vt gratiam Christi susc ipiamus, Amen.

IN DIE S. IACOBI APOSTO. EVANGELIVM.

Matthæi. 20.

TVnc accessit ad eum mater filiorũ Zebedæi, cum filijs suis, adorãs & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi. Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram tuã, & alius ad sinistrã, in regno tuo. Respondens aũt Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicẽ quẽ ego bibiturus sum? Dicũt ei possumus. Ait illis: Calicẽ quidẽ meum bibetis, sedere aũt ad dextrã meam, vel ad sinistram, nõ est meũ dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo. Et audiẽtes decẽ indignati sunt de duobus fratribus. Iesus aũt vocauit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentiũ dominantur eorũ, & qui maiores sunt potestatem exercẽt inter eos, Nõ ita inter vos erit. Sed quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animã suam in redemptionem pro multis.

EODEM FESTO EPIstola. Ephes. 1.

BEnedictus Deus & pater Dñi nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo, sicut

cut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essmus sancti & immaculati in cõspectu eius, in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionẽ filiorum per Iesum Christũ, in ipsum secũdum propositum voluntatis suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redẽptionem per sanguinem eius remissionẽ peccatorum, secundũ diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis.

SERMO VNVS.

Quando hoc festum in quintam Trin. dominicam incidit.

EVangelia cùm Dominicæ diei, tum festi huius perappositè conueniunt. Est enim his ipse ille Iacobus, quem nos maiorem & Zebedæi filium dicimus, qui in piscium illa miraculosa intererat captura, suoque Petrum trahentem labore iuuabat. Longius ergo quis hic Iacobus fuerit quærere necessarium non est. Etenim si nihil ipsius historiæ superesset, hoc ipsum tamen Euangelium descriptioni illius sufficeret. Vtique illius artis gnarus fuit, quam hic cum alijs collegis suis exercuisse describitur. Piscatores erant officij genere, & à Christo vt homines non ad perditionẽ sed ad salutẽ capiant, vocantur. Eadem autem ipsorum diligentia in piscandis hominibus postea fuit, quæ antea fuerat in capiendis piscibus. Petro quidem pisces cepisse & rete conclusos tenere, satis non erat, qua ratione extrahere posset mox secum cogitat: sed quia solus non potest, ex tempore consilium capit, vocat socios, hi sua præbent auxilia, nihil morantes rete rumpi, pergunt, & extrahendis piscibus incumbunt, etiam cum suo ipsorum periculo. Hæc vera notissima Apostolorum historia est. Prædicauerunt illi & docuerunt, sed non hoc solum, quinetiam qua ratione homines ex aqua, hoc est, veteri præcedentis vitæ consuetudine eriperent, inque lucem traherent, diligentissimè incubuerunt: nihil curantes in quod se vitæ discrimen conijcerent, propterea, quæ hæreticorum impugnationes persecutionesque seque-

rentur. Et quid etiamnum profuerit multos cepisse pisces, ipsos tamen notis relinquere in aquis, etiami rritos: quis, inquã, fructus erit multis prædicare, non tamẽ ex vetusta viuendi consuetudine extrahere? Ille ille verꝰ Apostolus & hominum piscator est, qui vt ex pernicioſa consuetudine eximat, nec labores refugit, nec timet pericula. Ac tales certè nostri fuêre Apostoli. Sed quæ nunc tẽpora sunt, inueniamus quidem non paucos, qui magno animo Apostolorũ sibi nomen vendicẽt, rete expandant latissimè, & multos capiant, nempe ineſcare norũt, vltro currẽtes venantur callidè, sed ad littus trahũt nullum, in peccati consuetudine linquunt, puluinaria consuũt, mendacia prædicant, pacẽ loquũtur: hoc solũ contenti, quod stultã irritam multitudinem teneãt, nimirũ fugã aliorũ timent, suoq; periculo præuident. Propterea molliter & callidè blandiũtur, quò teneant quod habent. Apertè dico, quid iuuat Euangelum audire & vitæ impietatẽ non relinquere? Quid iuuat clamare concionatorem, & nihil ad lucẽ pertrahere? Et quis hoc Apostolicũ esse dixerit: Longè secus Apostoli fecêre. Exemplũ ex hodierna Petri epistola cape: Omnes, inquit ille, vnanimes estote, cõpatiẽtes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti. Et hic Apostolicæ prædicationis modus est. Idq; nõ modò capere, verumetiã ad terrã pisces attrahere est. Ecce quid ad rei summã pertineat, quid requiratur vt homines ad salutem attrahantur. Principiò, fidei requiritur vnitas, vbi enim fidei error est, nunquã ad littus peruenitur. Huc pertinet quod dicitur: Vnanimes estote Hoc vnũ in primis requiritur, sed sufficiẽs nõ est. Et quid amplius quæritur? vt dilectionẽ mutuam foueamus. Sint licet in fide vnanimes, si tamẽ in charitate fuerint discordes, impedimento graui à littore arcẽtur. Vnde Ioánes. Hoc, inquit, mandatũ habemus à Deo, vt qui diligit Deũ, diligat & fratrẽ suum. Et huc respicit, quod Petrus ait: Cõpatientes, fraternitatis amatores. Hoc secundum est, sed nec ipsum sufficit. Quid ergo? Alia optãda vita est. Iubemur enim exire è domo patris nostri. Huc illud Psalmistæ pertinet: Qui vult vitam, diligit dies videre bonos, coerceat linguã suam à malo, labia sua ne loquãtur dolũ. Post hæc & patientia requiritur: ne quid nimiũ trepidemus. Inue-

Ezech. 13

1. Pet. 3.

1. Ioan. 4.

nias

nias enim qui nec fide, nec charitate, nec vitę pietate deficiant, verū nimiū & sine causa timēt. His dicitur. Quis est qui vobis noceat. Et: Timorē eorū non timueritis, vt non cōturbemini: dūm autē Christū sanctificate in cordibus vestris. Hoc nonnihil ad rē posset facere: hoc, inquā, ad litt° posset attrahere salutis, si quatuor hæc, quodque tamēn pro sua dignitate fuerint proposita: Primò fides, deinde Charitas, tertiò vita, quartò patiētia. Ita enim Apostoli verbi negotiū aggressi sunt, ideoq; tā fœliciter totū hunc mundū ad beatitudinis portū traxerūt. Hoc modo, ergo Epistola hodierna conuenit D. Iacobi festiuitati. Talis omnino ille fuit, propterea eo magis ipsius nobis exemplū amplectendum est. Nam hac ratione ipse, quemadmodū & alij nobis imitandi proponuntur. Hoc eorum in mundo certamen erat. Ideo etiā victoria apud Deum potiūtur. Hos ergo vt sequamur sua Deus gratia præstet. Amen.

IN DIE ASSVMPTIONIS MARIAE MATRIS IESV EVANgelium Lucæ. 10.

INtrauit Iesus in castellū quoddam, & mulier quædā Martha nomine excepit illū in domū suam, Et huic erat soror nomine Maria. Quæ etiam sedens secus pedes domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Quæ stetit & ait: Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet. Et respondēs dixit illi Dominus: Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

EPI-

EPISTOLAE LOCO

Lectio Ecclesiast. 24.

IN omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me requieuit in tabernaculo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Israël hæreditare, & in electis meis mitte radices. Ab initio & ante secula creata sum, & vsque ad futurũ seculum non desinã, et in habitatione sancta coram ipso ministraui. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ieru salẽ potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detẽtio mea. Quasi cedrus exaltata sum in libano, & quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plãtatio rosæ in Iericho. Quasi oliua speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum, iuxta aquã in plateis. Sicut cinnamomũ & balsamũ aromatizans odorẽ dedi, et quasi mirrha electa dedi suauitatem odoris.

SERMO PRIMVS.

Quando hoc festum, in secundam feriam post nonam dominicam à Trin. incidit.

HOdierna festiuitas pulchrè per omnia hesterno succedit Euangelio. Nã quod illic postremum erat, hic primo loco ponitur, et quod hesterni sermonis erat epilogus, hìc exordij loco sumitur. Heri, inquã, æternorũ tabernaculorum, vt piarum animarum huius vitæ peracta fabula receptaculorum postremò meminimus. Qui hac festiuitate requiritur finis, est, vt sublatis mentibus cum mentis exultatione cœlestia sursum meditemur tabernacula, quæ & Maria Iesu mater assumpta hodie est, nosq;

nosque assumendos aliquando iuxta promissiones Christi, indubitatò credimus. Pater, inquit Christus, volo vt vbi ego sum, illic & hi sint, quos dedisti mihi. Hæc primò omnium præsens à nobis exigit festiuitas, nec immeritò, neq; sine causa. Neque enim nos qui hîc manentem locum non habemus, sed futuram ciuitatem inquirimus rectiùs, quam aut maiori cum fructu facturi sumus: qui nihil, inquam, fructuosiùs nos qui conscripti ciues & domestici illius ciuitatis sumus, quam Maria hodie ingressa est, faciemus aliquâdo, nisi vt semper, etiam super flumina Babylonis sedentes, cœlum, in salicibus in medio eius beatam Ierusalem cogitemus. Idque eò magis hodie, quò maior illius offertur occasio. Hodie enim terra nostra pretiosum donum ad cœlos præmisit, cum tamen è cœlo omne nobis perfectum donum defluat. Vide ergo an non sit ingens causa cur lætemur, nempe quod per Christum longè diuersissima, Deus & homo, cœlũ & terra, sublime, infimum, tam arcto necessitudinis vinculo coniuncta sunt, vt mutuò dent accipiantque. E cœlo gratiæ abundantiam recipimus, rursus ijdem cœli nos recipiunt, quemadmodum hodie virginem matrem assumpserunt: Et alibi Lazarum in sinu Abrahæ ab Angelis deportatum legimus. An nõ hæc nobis magnæ sint causa lætitiæ? An non sequi hos æquum est, postque ipsos clamare: Trahe nos post te? Quis hoc in nobis improbaret? Laudatur Daniel, quod adhuc in Babylone positus, ter quotidie versus Ierusalem conuersa facie orauerit. Tum Dauid noster diris se deuouet, si Ierusalem obliuiscatur fuerit, si non & principio lætitiæ illius recordatus fuerit. Sed & Tobias iustus, beatos planè prænunciat instauratores Ierusalẽ. Eia igitur & nobis laudi ducetur, si sæpius cœlestis Ierusalẽ recordati fuerimus, inq; eius lętitia atque pace gloriati. Tũ neq; quod hodie etiam virgini matri congratulamur vitio nobis vertetur. Si em Iudæorum gens olim truncato Holoferne, cũ Iudith, & suspenso Aman cum Hesther triumphabant, tum eiã cũ Delbora ac Iohel deuicto Sisare lætabãtur, nec id illis vitio datũ est: quid obstat, quo minus & nos cum virgine matre hodie lætamur, maximè verò cum eam Deus illis mulieribus lõgè anteposuerit? Licet enim illæ Iudaici populi

Ioan. 17.
Heb. 13.
Ephe. 2.
Psal. 136.
Luc. 16.
Cant. 1.
Dan. 6.
Psal. 136.
Tob. 13.
Iudith.

puli laus & corona fuerint, Maria tamen longè præstantior est, quæ non vnius gentis, sed totius Ecclesiæ Christianiq; populi decus & gloria est. Per illos quidem Deus magna in vnius populi salutē operatus est, at per hanc lōgè maiora effecit. Hoc tantū agamus, vt rectā viá aggrediamur. Id q̄ minimè frustra moneo: magna em̄ ex parte minus quā oporteat facimus, tū etiam sæpe iā in hanc, iam in illam partē deflectimus. Estq; hoc nō difficilè videre. Vt enim permultū olim honoris sanctis perhibitū fuit, ita nunc plus illis detrahitur. Olim minus videbatur, quicquid eorū cultui impendebatur: nunc minus est quocunq; modo detrahas. Olim hæc beata virgo & mater præferebatur filio, nunc propè cōmunibus mulierculis vix anteferenda ducitur, omnia quæ humanorū defectuum sunt illi imputantes, incredulitatem, ignorantiam, diffidentiam, ad peccata propensionem, & id genus alia. Quæ quia peccata sunt, quid aliud faciunt, nisi quod ipsam peccatricē statuūt? Itaq; vtrinq; delinquitur. Idolòlatria & abusus minimè laudari possunt, neque verò debent: sed neq; tū illud aspernandum est, quod, scripturæ sacræ non repugnat, multo minus quod cū ea conuenit,

Iere. 6. imò ipsa tueri atque defendi potest. Vnde rectè Ieremias propheta, vt veram rectamq̄ viam inquiramus, monet. Erit autem media via, quæ neque idolatriam superstitionemq̄, neque contemptum habet. Media, inquam, via est, & Deo dare quod Dei est, & sanctis tribuere quod sanctorum est. Deinde nihil ab his, quod dent, sed vt simul nobiscum rogent, postulare. Quam etiam Ecclesia in supplicatione solenni differentiam obseruat. Tertiò, discrimen quod Paulus posuit considerare. Omnia ve-

1. Cor. 3. stra sunt, inquit, vos autem Christi, CHRISTVS vero Dei, Deus autem omnia in omnibus. Quartò, sanctos quidem vti Dei amicos venerari & prædicare, ita tamen, vt omnis laus in vnum Deum coincidat, ipseq̄ solus in omnibus honorificetur & magnificetur, vbicunque ipsius gratiam consideramus ac intelligimus. Hæc regia tutissimaq̄ via est, de qua alibi copiosiùs cum sit dictum, hic supersedeo pluribus loqui: meq̄ ad ipsum festum recipio. Principiò igitur neminē moueat, scripturā sacrā de virginis matris assumptione nihil expressè loqui.

loqui. Sufficere. n. debet nobis, quod sanctorum mors sacris literis attestantibus sancta dicitur, ipsorumque sanctitas deuicta morte nobis commendatur. Atque hinc occasione sumpta, Ecclesia hodie canit: Maria assumpta est in cœlum, gaudent Angeli laudantes benedicunt dominum. Hæc vnica antiphona dextrè examinata, quid pia mente voluendum hodie, præstandumque sit satis indicat. Complectitur enim in se & personam, & opus, & fructum. Persona quidem cui hæc dies festa est, ipsa virgo mater & est, quam cum nomino, summam atque caput omnium virtutum in ipsa comprehendo. Ipsa verò Eua mater omnium viuentium est, quæ nō mortis inuectrix, sed vitæ in mundum est genitrix. Illa illa verè prophetissa est, quæ suo cantico non semel, vt olim Mosi soror, nec vnam gentem, sed semper & omnes populos ad diuinas laudes incitat. Ipsa est vrna, in qua non Moses, sed Deus ipse, non vetus manna, sed verum de cœlo panem conseruauit. Ipse est virga Aarō, quæ repugnante natura florēs germinauit. Ipsa est Iesse radicis sanctæ virgula, ex qua salutis nostræ flos Christus pullulauit. Ipsa vera mater saluatoris. Ipsa vas electum, vas honoris, vas gratiæ, vas ab æterno præparatum & ornatum, ab ipsius manu Sapientiæ. Ipsa est flos de spina, sine spina, imò totius spineti gloria. Ipsa est clausa porta Ezechielis. Ipsa est thymiama odorifera. Ipsa est turris Salomonis, in qua diuini amoris aurum fulget, & ebur virgineæ castitatis irradiat. Sed quid illius conditioni enarrandæ immoror? Omnium horum nos virginis monefacit appellatio. Et quis hoc ipsi nomine audito ad laudes Dei non accenditur? Quis non exultat, tanta Deus naturæ nostræ dona contulerit? Quis non felicissimam iudicat, in qua illa tam grandia impleta videt? Quis pro eius gratię vel minima parte impetranda Deo non supplicat? Ecce, quæ commodè ex virginis matris huius persona cogitare possis. Et quid sequitur? Assumpta est in cœlum. Hæc propriè hanc festiuitatem respiciunt, & quæ sit differentia inter iustorum impiorumq; mortes ostendunt. Oēs morimur, iusti cœlos ascendūt, impij ad tartara descēdunt. Ait enim Propheta: Noli ęmulari in malignātibus, neq; zelaueris faciētes iniquitatem

Mors sanctor. sancta, impior. pessima.

persona. opus et fructus

Gene. 3.

Maria altera Eua.

Exod. 15.

Vrna

Exo. 16.

Num. 17. Virga AA

Isai. 11. Virgo fuit quod Christus flos pullulauit

Eze. 44.

3. Re. 10.

Clausa porta Salomon

Psal. 36.

rem. Quia tanquam fœnum velociter arescēt, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Et mox, Inimici Domini, mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Et rursum: Vidi impium superexaltatum & eleuatū sicut Cedros libani, & transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non
Ezec. 8. est inuentus locus eius. Et in Ezechiele, finis venit, venit finis, super quatuor plagas terræ. Nunc finis super te, & immittam furore meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas, & ponam contra te, abominationes tuæ in medio tui erunt, & scietis quia ego Dominus. Ecce quàm graphicè Scriptura impiorum mortes perditionemque describit. Principiò non semel, sed quater repetit. Venit finis, Idq; eò vt pœnitus mentibus impijs futuri iudicij horrorem inculcet. Secundo addit: Nunc finis super te, ne scilicet longiorem vitam sperēt. Tertiò: & immittam furorem meum in te. Et quid his comminationibus grauius? Ergo Dauid orans ait: Domine ne in furore tuo ar
Psal. 6. guas me. Quartò: Iudicabo te super vias tuas: Minatur hic non solùm insperatam mortem, sed & iudiciū. Quinto: Ponā contra te abominationes tuas. Id verò ne quis Deum latere posse peccata hominum existimet. Sextò, id quod omnium grauissimum est, nō parcet tibi oculus meus, inquit, nec miserabor. Postremò: Et scietis quia ego dominus qui percussi vos. Et hæc quidem de impijs dicta sunt. Vnde rectè à Propheta dicitur: Mors peccato
Psal. 33. rum pessima, & qui oderunt iustum delinquent. Sed longè secus hodie canimus: Maria assumpta est in cœlum.
Psal. 115. Hæc propriè iustorum, & Dei amicorum mortibus con
Ioan. 2. ueniunt. De quibus etiam Dauid loquens ait: pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Et Recipiam
Rom. 14. vos in in æterna tabernacula, ad me. Et Paulus: siue viuimus siue morimur, domini sumus. Et rursum: Scimus
2. Cor. 5. quoniam si terrestris domus nostra dissoluatur huius habitationis, quod ædificationem ex Deo habeamus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis. Et quid amplius optare possumus, quàm quod mariæ obtigit? Præterea in hac virginis Matris assumptione, Deus quoque verax probatur in suis promissionibus esse, qui etiá abundanter suos remunerat. Maria assumpta est in cœlū, qui-

bus

bus sanè verbis ineffabilē sanctorū gloriā includit. Quid tutius cœlo? Quid remotius ab omni incursu hostium? Quid iucundius, quàm inter angelos viuere? Quid locupletius, quid amplius, quid gloriosius quàm cœlum habitare regnumque Dei incolere? Quid beatius quam Deum videre? Hæc omnia vno illo verbo complectitur: Assumpta est. Et ipsum quidem est, quod olim Abraham Deus promiserat, dicens: Noli timere, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Et Ieremias: Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis quia est merces operi. Et Christus: Merces, inquit, vestra, copiosa est in cœlis. Et iterū: Nolite timere pusillus grex, quia placuit patri vestro dare vobis regnum. Et alibi: Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater regnum. Et Paulus: Existimo quod non sint condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Et: Quos iustificauit, hos & glorificauit. Et quid, fratres dicemus ad hęc. Vtique videmus quam nobis huius festiuitatis consolationem adferat. Omnia enim completa atque peracta esse compertum habemus. Cur igitur Deo, qui tāta liberalitate suos remunerat, seruire gra uamur? Tum etiam qua fiducia hæc virgo mater nobis accinat: Deposuit potentes, & exaltauit humiles. Ad hūc modum, cùm personam tum opus seu factū in quibus festiuitatis huius cardo versatur, considerare licebit. Nunc porro & fructus considerandus est. Gaudent angeli, (canit Ecclesia) & laudantes benedicunt dominum. Id verò ita esse multa probatione non eget. Lucas enim Angelos ~~super vno peccatore pœnitentiam agēte~~ lætari docet: Tum etiam Angelorum proprium officiū est, laudare Deum. Id quod in sexto Isaiæ capite legimus, vt & apud Dauid 102. Psalmo. Plurimū nostra intererit, vt Angelos imitemur, ~~Deū~~ in virgine matre laudemus. Sitq; hoc finis principiumq; festi huius. Id vt & possumus, audi quid optima quondā Iudith ad suos illę sa rediēs, dixerit monueritq;. Laudat, vt inquit, dominū Deum ~~nostrum, qui nō~~ deseruit sperantes in se, & in me ancillam suā adimpleuit ~~misericordiam suam, quę pro~~ misit domui Israël. Hæc enim verba, cur in hac virgine laudandus sit Deus innuunt. Primò, quod ipsam eo in

Luc. 1.

Gene. 15. Ier. 31. Matt. 5. Luc. 12. Luc. 22. Rom. 8.

Isa. 6. Psal. 102. Angeli inuitandi, quia Deus in virgine mater laudatur. Iudith. 8.

hunc mundum nasceretur à peccato conseruauit originis: Deinde etiam in Mundo posità, ab ijs custodiuit peccatis, quæ sunt ad mortẽ: Tertiò: morientẽ & ab hac vita emigrantem à mortis horrore, communi omnium maledictione, & tabe corporis conseruauit. Quartò, quod eam ad se vocauit. Quintò, quod misericordiâ suâ quam hic in terris incepit, hodie consummauerit in cœlis. His ergo pijs animis hodie occupari debemus: & sic quidem fides, deuotio, dilectio oratio, Deique desiderium in nobis exuscitari possint. Sophismata, argutiæque nihil proderunt vnquam. Id quod cuique secum cogitandum permitto. Gratia Dei nobiscum. Amen.

SERMO SECVNDVS.

CVm diligẽtius mecũ recogito quâ Ecclesia Catholica lætitiâ deuotionẽq, huic festiuitati impendit antiquitus, eamq; nostra hac tẽpestate hei nimiũ imsolici, ita deperijsse, vt in quibusdam nullũ omnino, in alijs verò vix aliquod eius vestigium inueniam: iusta de causa hunc sermonem à querelis exordirer, partim id in audaces quorundam conatus, quaque minus suo palatu sapiunt reijcere & aspernari propria temulentia nituntur, partim etiam in multimodum abusum, in quem festi nostri dies miserè deuenerunt, maximè verò in Ecclesiasticorum ac prælatorum, qui iam multos omnia fere quæ ab illa patrum primæua Ecclesia ad nos fluxerunt, interitum patienter nimium aspiciunt, negligentiam. Et huic rei conuenientem materiam Scripturarum mihi suppeditarent eloquia. Sed quia accepto damno querelarum locus non est, & reprehensio quæ non auditur, frustratur omnis, Deo ipsi hæc committo atque Magistratui, & hunc meũ sermonẽ lætis cũ Augustino vocibus, si quo modo vel aliquorũ mentes Deus exuscitauerit, exordiar. Hos igitur quondam Augustinus de hac solẽnitate prædicauit: Adest nobis dilectissimi fratres dies valdè venerabilis, dies omnium Sanctorum solennitates præcellens. Adest, inquam, dies inclyta, dies præclara, dies in quâ è mundo migrasse creditur virgo Maria. Et ideo laudes intonat vniuersa terra cum summa exultatione tantæ Virginis illustrata excessu, quiâ indignum valde est, vt illius recordationis solennitas sit apud nos sine maxi-

me

mo honore, per quam meruimus autorem vitæ suscipere. Satisq; præposterum iudicandum est, vt cum sanctorum celebramus victorias Martyrum, illius solennitate illis præferamus, quę huic mundo ædidit Principę martyrum. In hac siquidem die competenter sponso illi cœli proclamat beata Virgo: Tenuisti manu dexteram meã, Psal. 72.
& in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me. Hodie, inquam & ipsa à sponso filio & Domino cógruè audiuit: Iam heyms transijt, imber abijt & recessit: Surge proxima mea, sponsa mea, colũba mea & ve Cant. 2.
ni. Hæc ideo dicimus fratres quia sicut iam in consuetudinem suscepit Ecclesia, hodierna die ad cœlos assumpta fuisse creditur virgo Maria, Sed quo ordine hinc ad superna transierit regna, nulla catholica narrat historia. Non solum autem respuere apocrypha, verumetiã ignorare dicitur hęc eadem Ecclesia. Siquidem sunt nõnulla sine auctoris nomine de eius Assumptione conscripta, quæ vt dixi, ita cauẽtur, vt ad cõfirmandã rei veritatem legi minimè permittantur. Hinc sanè pulsantur nonnulli, quia nec corpus eius in terra inuenitur nec assumptio eius in carne, vt in apocrypha legitur, in catholica reperitur historia. Quibus dicẽdum est, quia si Mosi corpus non inuenitur ab homine in terris, cum, quo locutus est Deus facie ad faciem: illius quærere dementiæ est, per quã idẽ manifestatis Deus incarnatus effusit in terris. Sunt quidẽ qui per passionẽ assumptã arbitrentur. Sednec in uenitur apud Latinos aliquis tractatorũ de eius morte quippiam dixisse apertè. Et quid de alijs loquor, cũ nec ipse qui hãc accepitante crucem Domini in suam, id est, Ioannes Euangelista, de hoc posteris aliquid retinendum scriptis mandauerit? Nullus enim hoc fidelius narrare potuit, si illud Deus manifestare voluisset, quàm ille vtique qui hanc nutriendam suscepit, nec contra morẽ filius matrem reliquit. Restat ergo vt homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de Assumptione sententia hæc esse probatur, vt secundùm Apostolum, siue in corpore, siue extra corpus ignorantes, assumptam super angelos eam 2. Cor. 12.
esse credamus. Hæc ille. Atque hoc modo de hac festiuitate prædicans, quid nobis hodie cogitandum, dicẽ

dum, faciendumque sit abundè docuit. Proinde ipsa hęc verba pœnitius aliquanto indagare operepretium arbitror: imò ijs immorari libet. Neque enim oberit quicquam videre qua ratione Veteres hac celebritate vsi sint. Atque vtinam veterum vestigijs insistere possemus. Nó enim sine causa subinde cum Ieremia moneo, antiquam vt quæramus semitam. Nunquam enim conueniemus, ni si sepositis Mundi huius desiderijs, veteres nobis, quid discendum, credendum, quaque ratione viuendum sit, loqui permittamus. Agite ergo, vt æquum iudico, Augustinum loquentem audiamus. Primò enim ipsius verbis, non nouum huius festiuitatis figmentum esse intelligimus, vt quæ ipsius etiam temporibus frequentata est, ipseque apertè testatur, non in vna aliqua ditione aut ciuitate, sed per totam Ecclesiam vsu receptam fuisse. Iam verò & illud non ignoramus, Augustinum vbicunque Ecclesiæ mentionem facit, non de priuatis aut clandestinis concilijs, sed de Catholica, per totum orbem diffusa loqui Ecclesia. Præterea plures huic rei dies requiruntur, vt in consuetudinem abeat, sit enim vno aliquo in loco sine mora, vsu recipiatur, tamen hunc vsum in omnes Mundi partes peruulgari, atque ab omnibus recipi, plus moræ postulatur. Si ergo ipsis Augustini temporibus hæc festiuitas in vsu fuit, si in vniuersa Ecclesia celebrata tum fuit, vtique & ante Augustini tempora fuit. Sed ab Augustino vsque ad Christum supra quadringentos annos reciproco gradu non numeramus: vnde hanc festiuitatem aut ipsis Apostolorum temporibus, aut non multo tempore postea, natam fuisse manifestè colligitur. Atque hic quisque secum cogitet, quomodo excusetur, quosdam priuatos propria peruicatia ac vi hanc tot seculis receptam, atque huc ad nos deductam festiuitatem ride, clareummari, abrogare, atque nihil pendere: quam nos deceat, istis, quam Catholicæ Ecclesiæ, in qua nati sumus atque educit, magis obedire. Et hoc primum. Deinde & illud videmus, quanta antiquitus in Ecclesia de mortibus atque emigratione Credentium credita, dicta atque conscripta sint. Augustinus, vti audiuistis, Mariam in cœlis esse, nihil dubitat. Non autem hic solus. Nam si veteres cum historias tum Ecclesiæ doctores

ctores perlegere libet, hanc fidem ab ipso statim Ecclesiæ exordio viguisse inueniemus: nempe, credentes non mori sed transire à morte in vitam. Id quod exemplis ostendam. Cyprianus Martyr ad Cornelium qui & ipse Martyr fuit, inter alia, in hæc verba scribit. Memores, inquit, nostri inuicem simus, concordes atque vnanimes, vtrobique pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutua charitate reuelemus. Et si quis nostrum prior diuinæ dignationis celebritate præcesserit, perseueret apud Deū nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam patris non cesset oratio. Ecce Martyris constantiam, consolatur sese, atque vt viuus sic mortuus diligere vult credentes, proque ipsos orare, idemque dilectionis fraternæ officium à Cornelio suo postulat. Sed & Eusebius aliud huius rei exemplum adferens, Potamienam, cum ad supplicium innocens raperetur, Basilidi carnifici pro sua sibi exhibita humanitate, apud dominum suum remunerationem promittentem describit. Sunt id genus innumera, quæ quam honorificæ diuorum mortes siue emigrationes fuerint veteribus, aperte satis ostendunt. Qui indubitatò & crediderunt & docuerunt esse eos atque viuere apud Deum, proque nobis orare. Id quod inde etiam liquet, quod in diuorum exitu nulla mœroris, at multa lætitiæ signa præbuere, eorumque mortes nisi Natales aut Natalitia non appellarunt, nimirum quod tum demum per mortem ad veram vitam nati essent. Huic ergo conferamus, quomodo plurimi nostro hoc seculo, tam ridiculè, tam contumelioſe, nonnunquam cum quadam etiam blasphemia de Sanctis ganniant, tum verò & nomē Sanctorum ipsis inuideant. Scilicet dormire & mortuos esse, nihil rescire, nihil posse, coguntur: cùm tamen videant, nec ignorēt Scripturam Sacram vbique de eorum obitu quàm honorificentissimè loqui. Dauid enim testatur: Quia pretiosa in conspectu Domini sit mors sanctorum eius. Et Sapiens Iustorum animæ in manu Dei sunt, inquit. Christus ipse Abrahā. Isaac, Iacob in mortuorum librum non asscribit. Et Paulus habere nos in cœlis domum ædificationē commemorat. Tum etiam vbicunque Scriptura diuorū mentionem facit mortis vocabulum euitare solet, pro

Cyprian. Epist. li. 1.

Eusebius.

quo aliud quiddam ponit: Vt appositus est ad patres suos, obdormiuit in Domino, & id genus alia. Sic vbique honorificè de diuis Scriptura loquitur. Et cui in hac cõtrouersia adhibenda est fides? Communine vniuersalis Ecclesiæ consensui, an verò aliquorum erroneorum opinioni? Superioribus diebus docui quid causæ D. Augustinum mouerit, vt Catholicæ Ecclesiæ, quàm Donatistis magis sentiret. Si quis verè Christianus est, haud dubiè in hoc D. Augustinum, imò ipsam Catholicam Ecclesiam sequetur. Sitque hoc secundum: Iam tertio & illud in Augustini verbis consideramus, qui se patres nostri in Diuorum celebritatibus gesserint. Et in hoc quidem loco ad laudes Deo dicendas hortatur: alibi etiam eũ in Spiritus feruorem rapitur, vt ipsis colloquatur, necessitatéq; suam aperiat, haud secus atq; corã astantes videret alibi vt cũ psalmos explicat, diuorũ memorias veneratur: alibi etiã ad pietatem inflammat. Hoc quondam piorum in diuorum solennijs exercitium erat, atque etiamnum genuinus eiusmodi vsus esset. Hinc emendatio sperari, hinc collapsæ Ecclesiæ instauratio atque conseruatio sperari posset. Sed quis omniũ hęc cogitat, quis imitando sequitur? De nobis qui hic præsentes sumus loquor, quid enim mihi de ijs qui foris sunt, nec audiũt? At qui perbellè festa nostra celebrare nobis videmur. Et quid nostrum celebrare, nisi externa quædam superstitio est: nõ dico in foro, ęnopolio, sed illic vbi rectius decuit. In Ecclesia, inquã, vbi hi festi dies peraguntur, pauci illic qui ex diuorum memorijs fidem suam confirment, pauciores verò qui vitam suam diuorum ad exempla instituant, tantùm necessitate compulsi, eorũ aliquando recordamur, cũq; ipsis esse desideram⁹. Nępe, quemadmodum Balaã olim, summè quidem Israëlem deprædicabat, ipse tamen in impietate sua perseuerabat, mori sanctorum more desiderabat, sed viuere eorũ exemplo nolebat. Longè secus patres nostri fecere, vt hìc in Augusti no videre est. Etenim diuorum exemplis memoriaque ad laudes Dei, ad confirmationem fidei, ad orationem, & vt ad maiorem vitæ pietatem impellerentur, vsi sunt. Ea consuetudo vbi non obseruatur, sanè Christianè nõ agitur. Atq; hoc tertium est. Quartò deniq; hìc mihi Augu

Num. 23.

stini

stini in dicendo vide prudentiam. Quæ Deus occulta esse voluit rimari non vult. Verũ omnes, ne id tentet quis, prænonet. Idem D. Ieronymus in huius celebritatis sermone facit. Et quid sanctos hos viros mouit, tanto timore tantoque iudicio diuina tractarent? Quia scriptum legerant: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: quoniam qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Sed, quam diuersè agimus nos? Nihil tam absconsum, quod non conamur indagare, nihil tam summum, quod non scrutemur: quoque sublimior res est, eò magis iudicamus friuolè. Et quam ex hoc labore mercedem reportamus? Nempe vt sæpe media in luce Andabatarum more palpitemus manibus, nec cõsideramus: considerant alij, rectiusque intelligent & iudicabunt posteri. Cum timore & reuerenter in diuinis agere, Christianorum est. Et quidem Augustinus is fuit, cuius similem Ecclesia non habuit: neque tamen sibi fidit, quin & antequam ex hac vita excederet, quæcunq; scripserat rursus perlustrat, ac sicubi plus minúsue posuisset, corrigit. Atque hi veri Ecclesiæ fuere doctores. Et hoc quartum. Quintò & illud maximè considerandum est, quod Augustinus certam assumptionis virginis matris nullam conscriptam historiam esse ait: attamen constantem omnibusque probatam sententiam esse refert, quod super omnes angelos assumpta sit, eiusque ratione tradit alibi, vbi etiam illos tangit qui palàm condemnant quic quid in Scripturis clarè non legimus. Duo ergo Augustinus hodie nobis cogitanda tradit, vtrunq; ex scripturis. Alterũ quidè virginis, alterũ verò Christi persona. Tenuisti manũ dexteram meã, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me. his verbis virgini loqui licuit. Tum verò si vlli vnquam hominum diuina pietas loquuta est: Surge proxima mea &c. certè huic loquuta est. Verùm hic quisque secum reputet, quæ sit gratiæ magnitudo, vbi Deus ipse manum tenet, suscipit, atque deducit. Quæ sit lætitia cogitate, vbi DEVS in morte hominis animæ loquitur: Veni amica mea, veni dilecta mea. Hæc meditare hodie, & erit quo tota hac die & occupari & recreari possis. Quod si quis Ecclesiæ cautiones inspicere velit, inueniet potissimum in hæc duo,

Psal. 72.

contemplationes suas direxisse Patres. Ecce autem num paucis his verbis Augustinus quæ dignè hic meditari possint, non ostenderit. Atque olim quoque fratres, prædicatores fuerunt, quod si minus sua, vt nunc fit, iactitarunt, eò sanè fideliores æstimandi sunt. Atq; hæc de Augustino, deque hoc festo sint dicta. Cum Euangelio concludendum est. Illud enim quibus modis vtendum sit omnibus illis. Læta quidé atque magnifica sunt, quæ cum Augustinus, tum Ecclesia de Mariæ assumptione personant: Sed quid hæc sonare solùm prodest. Assumpta est Maria in cœlum: cùm tamen ipsi mentibus defixi in terris maneamus? Quid est, Angelos illius causa gaudere, cũ nostrorum peccatorum causa adhuc tristétur? Quid est, omnes pios laudare Dominum, nisi ipsi quoque idé præstiterimus, atque ita, vt per nos nomen Dei blasphematur, viuimus? Perappositè ergo in hac festiuitatè hęc Euãgelica lectio ordinata est, in qua principium, medium atque finis salutis proponitur. Suscipere Dominũ, ipsi ministrare, tandemque in ipso quiescere: hęc via, hi nostrę salutis gradus sunt. Sic Maria ascendit. Suscepit Christũ, ministrauit Christo, ideoq; nunc requiescit in Christo. Si postremum cupis, à primò incipe. Id vt possimus gratia Dei præstet, Amen.

SERMO TERTIVS.

Tempore belli. Anno 1546.

SOlennis isthęc festiuitas, vt nunc sunt tempora, prouerbij quo non modò Philosophi, sed ipsa etiam scriptura vtitur, me admonet: Musica in luctu, importuna narratio. Neque enim solennis festiuitas, ac mœsta tempora bene conueniunt. Non consistunt in templis Gaudeamus, & foris in plateis classicum canere simul. Difficillimè sanè simul eodemque tempore canimus atque ploramus. Tum etiam longè diuersissimos affectus generat, beatorum gaudij, et perditorum damnationis consideratio. At nobis hac ipsa die contraria hęc simul obueniunt. In templis enim hodie merum vbique gaudium, foris autem calamitosa & periculosa sunt omnia. Si quis enim quid sibi præsens festiuitas velit, non obiter, sed diligẽter inspexerit, haud dubiè Gaudeamus in mente secũ cantabit, hoc est, mentis ac conscientię suę gau-

gaudium atque cõsolationem persentiet. Atque hæc instituti huius causa est. Hic enim non modo Christum, tanquam præpotentem Deum, & qui de cœlo descendit ante, ad cœlos ascendisse videmus, verumetiam nobis, qui in Christũ credimus ipsos cœlos apertos esse, & impletum esse, atque etiamnum impleri intelligimus, quod dixit atque promisit: Noli timere pusillus grex, placuit enim patri vestro dare vobis regnum. Et Ego disponam vobis regnum sicut disposuit mihi pater. Et: Accipiam vos ad meipsum. Et pater: Volo vt vbi ego sum, & ipsi sint quos dedisti mihi. Paulus: Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habeamus, domum non manufactam, sed æternam in Cœlis. Et, Nostra autem conuersatio est in Cœlis, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum. Et: Iam estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei. An non hæc pio magna lætitiæ causa sunt, maximè si quàm post Adæ lapsum, longo tempore Cœlum clausum, contrà infernus latissimè hominibus patuerit, secum cogitauerit? Si quod modò Deus Cherubin flammeumq; gladium ante paradysum ordinauerit, verumetiam quod ipse diabolus qua potuit vi manibus pedibusque obstiterit, ne quis Cœlum, ex quo ipse ceciderat, ascenderet, quemadmodum Amalech olim ob se pandis vijs incumbebat, ne in promissam intraret Israël terram, secum perpenderit? Hæc, inquam, quisquis secum cogitauerit, multa lætitia, Gaudeamus hodie canet. Deo gratia, inquit Apostolus, qui dedit nobis victoriam, per Dominum Iesum Christum. Quam victoriam? Quod liberè liceat dicere: Vbi est mors stimulus tuus. Et Moses quidẽ fugauit Amalech, ne Israëlẽ ab introitu Palestinæ impediret. Christus verò sua passione effecit, vt nobis Cœlum apertum sit. Serò quidem, nisi Moses orasse, Iosue Amalech fugasset. Ait enim Scriptura: cum Moses eleuaret manus ad orationem, vincebat Israël. Quo ostendit Mosen oratione sua plus effecisse, quam Iosue cũ omnis populi multitudine. Quod si nõ Christus è Cœlo descẽdisset, proq; nobis passus fuisset, nemo nostrùm vel hodiè Cœlos ascendere posset. Christi ascensio cau-

Ioan. 3. Luc. 12. Luc. 22. Ioan. 12. Ioan. 17. 2. Cor. 5. Phil. 3. Ephe. 2. Isai. 5. 1. Cor. 15.

sa est assumptionis Mariæ. Illud nisi præcessisset, hæc festiuitas nunquam sequuta fuisset. Nunc autem, quemadmodum indubitata fide confitemur Christum in humana forma ascendisse, ita quoque certo dicere possumus: Scimus quoniam si terrestris hæc domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex DEO habeamus, domum non manufactam, sed æternam in Cœlis. Ecce tibi hodiernum nostrum Gaudeamus. Hac ratione solennem Diuæ virginis matris assumptionis diem peragimus. Ideo considerandum nobis proponitur, quod summa cum exultatione beata virgo Christi mater hunc Mundum linquens in Cœlos assumpta sit, vt & ipsi eò perueniendi spem concipiamus, atque in illius vnguenti odore viam mandatorum Dei curramus. Hæc causa hodiernæ festiuitatis est, atque lætitiæ. Atque hic latissimus isthæc ornandi campus patet, vt fiat omnium commune gaudium ex communi consolatione, vtque hac tota die nihil nisi merum gaudium, in omnibus audiatur atque consideretur. Sed (dolor) hoc anno id non licet, tantumque intra templi parietes restat Gaudeamus: foris, vbique antè atque à tergo, imò & intra, nos, nil nisi classicum audimus: ita vt non iniquè liceat dicere, quod olim Israël in Babylone: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Et cum Ieremia: Venit finis gaudij nostri, Væ nobis quia peccauimus. Et quid ergo prædicandum mihi hodie est? Si de festo loquar: Musica in luctu: At taceam. Sed nec hoc licet. Debuit quidem Euangelium nostra esse prædicatio: sed & ipsum in lamentationem versum est, & Væ. Quemadmodum etiam Ezechieli quondam liber, in quo nihil præter lamentationem & Væ scriptum erat, non modò videndus legendusque offertur, verumetiam comedendus traditur, vt ea de re postea maiore cum seueritate posset prædicare. Quod ad me, sanè dicere libet: Tædet animam meam vitæ, ac sine spiritu vitæ esse me velim. Eiusmodi enim in me deuolutum est, tempus quo non licet Euangelizare. Væ omnibus, quorum causa festorũ nostrorum lætitia, in luctum atque mœrorem versa est. Væ, qui vtrinq; ad tanti belli immanitatem concitarunt.

3. Cor. 5.

Psal. 136. Tren.

Iob. 10. 2.

Væ

Væ qui suæ auaritiæ causa pacis concordiæque media impediuerunt. Misereor super turbam. Neque enim hoc verbum sensus meos quos totos occupauit, vult relinquere. Miseret me ab vtraque parte populi. In eos enim summa calamitatis recidit. Neque vero dubium est, quin vtrinque multi pij sint, quorum nemo miseretur. Sanè olim in Romanis erant, qui sese deuouere, inque mortem tradere, pro populi patriæq; salute non dubitarint. Sic ambo Decij, sic Curtius. Sic aliquando Moses, nosterq; Paulus. Imo sic Christus fecit, vt nos ab æterna morte eriperet, sese suaq; spõte in mortem tradidit. Sed quis nunc isthæc exempla cogitat? Vbi Euangelium pacis? Vbi Charitas nostra, quam tantopere CHRISTVS suadet? Sed quis locus querelæ accepto damno? Vtinam prudentiores fuissemus, & consequentia præuidissemus. Atque hæc ideo dico: Quod nec ipse satis sciam, in quem scopum hic mihi instituendus sit sermo. Decet quidem festiuitatem hanc suus peculiaris sermo, isque iucundus, sed temporum horum isthoc non permittit calamitas. Quod igitur eligam nescio. At vtrunque simul coniungam, vtrunque enim nostris commodis seruiet, cum alterum huius vitæ pariet nauseam, alterum futuræ incendet desiderium. Tum sanè perappositè Euangelium, qua ab hac in alteram transeundum est vitam, ostendit viam. Agè igitur de hac re pauca audiamus. Principiò igitur, quando demeritam peccatorum nostrorum pœnam iusto Dei iudicio nobis imminere, videmus, nec fieri potest, vt non expectemus, ex bellis calamitatibusq; quas ob oculos positas vndique cernimus, famam atque inædiam: necessarium omnino est, vt qua via hanc cladem in spirituale animæ lucrum conuertamus, solicitè consideremus, ne simul & corpus, & res, atq; anima perdantur. Si corporis facultatisq; direptioni obsistere non possumus, animam tamen vt conseruemus danda est opera, & hanc sanè qui seruat, cæteris amissis, exiguum damnum sustinuit. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Etenim præsens tribulatio spirituali animæ vtilitati commodabit: nimirum quum hac ratione huius vitæ nauseam concipimus, vt tædeat vitæ, aut certè

Marc. 8.

Matth. 10

certè nullo illius tangamur desiderio. Hoc initium est, in quo si acquieuerimus, facilè ad altiora inducemur. Sed hîc maximè remoramur, hoc in cœno hęremus, vnde difficillimè nos explicamus, scilicet mũdi ac vitæ huius, & quicquid eius est, desideriũ atq; amor limus sunt mordicus seruans. Quandiu autem terrenarum & præsentium amore intricati sumus, nullo cœlestium desiderio tangimur, nec quicquam ijs quæ vel audimus vel ipsi legimus, afficimur. Contrà verò, quid sub sole, huius nos vitæ maiorem nauseã parit, atq; tribulatio? Quæ nisi ita præsto sit, vt cùm videri, tum sentiri possit, nemo mortem appetit, neminem huius vitæ tædet: cum tamen & alijs quibusdam veluti medijs, vt tædium atque nauseam hanc nobis ingerat, Deus vtitur. Offert nobis Euangelium vitæ æternæ, vbi plena securitas, omnium bonorum abundantia, non dolor, non lachrymæ, non vlla tristitia est. Hanc nobis paratam esse, Regumque cœlorum nostram esse possessionem affirmat. Quę omninò eiusmodi sunt, vt meritò nobis huius vitæ tædium pariant. Verùm, cui isthæc cordi sunt? Nemini. At bello pestilentia, fame, pressura ingraue scentibus, cũ vndequaque impetimur, alijs deuorantibus, quæ nos in sudore vultus nostri collegimus, semel vnoque impetu eliminantibus quæ nos multis annis cõgessimus, deniq; nos, vxorem atq; liberos nostros calũmantibus, corpus trucidãtibus: tum demũ his vocibus prorũpimus: Vtinã mors absorberet: O felices mortuos, qui his exẽpti sunt malis. Hæccine spes nostra huius vitæ est? Mirũ sanè in modum miserabilis lamentatio, vbi eiuscemodi voces audiuntur, adhuc miserabilius quid est, cùm has voces audire in alijs, tum causam eiulatus huius experiri in seipso. Verum hæc ipsa tamen magnum æternę mométum adferunt vitæ, æquum si adhibueris iudicium. Namque hac vna causa sæpe DEVS immittit plagas sine quibus alioqui vt dictum est, perpetuò adhæresceremus his momentaneis. Et huius quidem non pauca exempla Scriptura tradit. Clamauerunt ad Dominum
Psal. 106. cum tribularentur, inquit Dauid, & de necessitatibus
Nehe. 9. eorum eripuit eos. Et: In tempore tribulationis suæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo audisti. Ecce hoc modo

do periculosa hæc tempora nobis, ad aspernandam hanc vitam adminiculantur. Sed non hoc plenè sufficit. Nam & eum, qui desperans sibijpsi cruentas manus infert, huius vitæ tædet, & quæ hic geruntur, non sine nausea videt. Sed non hæc illi ad fœlicitatem quicquam prodest nausea. Propterea mox vbi huius vitæ tædium nos inuadit, ad futuræ & immortalis vitæ considerationem mens erigenda est. Sic Paulus faciebat, cùm diceret: Cupio dissolui & esse cum Christo. Nimirum nullo se huius vitæ desiderio teneri ostendit: attamen mox addit: Et esse cum Christo, quo alterius vitæ desiderium suum manifestat. Sic Elias animæ suæ petiuit vt moreretur. Sed addit: Domine, tolle animam meam. Philip. 1. 3. Reg. 19. Atque hic iustus ordo est, quando beatitudinis futuræ in nobis desiderium eò plus augetur ac crescit, quò magis huius vitæ amor decrescit. Huc, ergo hæc festiuitas vehementer commodat. Et ipsa quidem natura docet eos, qui paupertate premuntur, aliorum copijs visis, eandem sperare & appetere fortunam. An non autem pauperiem patimur nos? Rursus: An non in Maria, quę cœlos habitantium beatitudo sit, consideramus? Nunquid non ergo eius in nobis desiderium crescceret, scientes quia vnius tantum alicuius hominis causa cœlum factum est? Venite ad me omnes, Christus ait, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et qua ratione conuentiore, in nostram vtilitatem conuertere possemus festiuitatem hanc, nisi vt Marię exemplo in boni vnguenti odore curramus: & vana falsáque esse omnia, in quibus in mundo speramus, agnoscentes, alacriùs & attentiùs æternum permansuram patriá consideremus? Huc ergo Iosue vocem qua Iordanem transiturum populum alloquitur, adducere possem. Quadraginta annis per deserti inuia huc, illuc, incertis sedibus circumacti fuerant: semper tamen consolabantur promissione terrę, quam daturus esset DEVS: terrę, inquam, omnium bonorum copijs abundantem, lacte & melle fluentem: vnde summo eos terræ huius promissæ desiderio tentos fuisse, nemo rectè dubitat, at vbique impedimenta remorabantur eos, imò ipsi sibi impedimenta struebant. Tandem etiam iam proximi facti, Matth. 11.

&ti, Iordane obstante: ab eius introitu prohibebãtur, nullum remigij genus, non pontes aderant, nec quisquam sese flumini audebat cõmittere, tum nec circumire per
Iosue. 3. ambitum poterãt. Et quid hic Iosue? Dei mandato sacerdotibus arcã tollere, & per Iordanẽ prẽcedere populum iubet. Tum per prẽcones edicit: Quando videritis arcã fœderis Dñi Dei vestri, & sacerdotes stirpis Læuiticæ portantes eã, vos quoq; cõsurgite, & sequimini præcedentes. Hac via populus per Iordanem terrã illã introijt, videntes nimirum aquam ante arcam diuidi, & sacerdotes siccis pedibus transire, confidentioribus animis sequebantur, nec frustrabãtur: Stetit vnda, quousq; omnes trãsijssent. Idẽ nobis obtingit, qui cœlestis patriæ viã incedimus. Diu multumq; pauperiẽ huius viæ perpessis, summè cœlestẽ patriam desiderantibus, Iordanis, id est, mors, profundus ac torrẽs fluuius, qui multos suffocat, viam obstipat. Hunc propria virtute nemo permanere potest. Verùm arcam Dñi, quæ Dei filiũ portauit, atque genuit, hodie sine mora præcedentem, videntes confidentiùs sequi audebimus, eoq;, quò illa præcesit nos, pertingere, sperare possumus, atq; cũ Dauid dicere: Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Igitur si
Psal. 2. ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Ecce hic salutis nostræ secũdus gradus est, & huius nos ipsa festiuitas admonet. Quod si quem, nec temporũ horũ periculis cõsideratis, huius vitæ tæduerit, nec festiuitatis huius meditatione immortalitatis futuræ desideriũ affecerit: hic qua via duci possit, non video. Sed inquis: Nunquid satis est huius vitæ tædere, & futuram desiderare? Minimè: Via quę nos cò ducat, quærenda est, & quo indice hanc certiùs cognoscemus, quam duarum in hoc Euangelio sororum, quarum altera Christo externè seruijt, altera verbo Dei occupatur. Ha, si hæc via, inquis salua res est. Neque enim, quod ad externa officia attinet, quicquàm Marthæ concedimus, nec minus atq; illa impensè cantando, legendo, orando, ieiunando, pulsando, & si quid præterea ad eum cultum pertinet, obsequia præstamus. Tum nec minus quàm Maria verbo Dei afficimur: non enim satis nobis est audire, legere, canere & prædicare illud, sed

& in

& in parietes depingimus, in manicas tela textas circũferimus, & gladio ipsum propugnare parati sumus. Rectè quidem, mi frater, cum Martha Christo inseruis, cum Maria verbo Christi delectaris: sed caue hypocrisis sit isthæc tua pietas, fieri enim potest, vt qui Marthæ imitationem fingis, superstitione, hypocrisi non vaces. Sic verisimilè est, multam pietatem cum Maria circa Euangelium externè ostendere, intus tamen ab omni pietate longissimum esse. Et quid CHRISTVS externum apparatum curaret, qui non ex intimo affectu procedit? Quid me, inquit ille, vocatis Domine Domine & non facitis quæ dico? Et in Ioannis Apocalypsi: Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus. Vtinam frigidus esses, aut calidus. Sed quia tepidus es & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo: Sic & per Isaiam quondam dixit. Populus iste ore suo appropinquat, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Si steterit Moses & Samuel coram me, non erit anima mea cum populo, ad populum istum. Et qui sit? Scire vias meas volunt quasi gens quæ iustitiam fecerit, filij mei dici gaudent, & in omnibus tamen mihi contrarij viuunt: cùm iurant, viuit Dominus, falso iurant. Propterea non est mihi voluntas ad populum istum. Vbi nulla voluntas DEO est, ibi nec habitat: Vbi non habitat: quid boni sperari potest, imò verò quod mali genus expectari non potest? Et quid, fratres, cogitare vel possumus vel debemus, tot mala præsentia videntes, plura etiam atque magis horrida expectantes, nisi quod nulla Deo voluntas in nobis sit, imò nauseat ipsum super nos: nec id immeritò. Vide enim qua ratione cultum Dei peragamus, de quo tamen nostra parte vehementer gloriamur, & sane præter externum fucum nihil videbis. Externos quidem ritus DEO peragimus, intus Diabolo mente, ore, atque manu seruimus. Verbum & Euangelium ore pleno sonamus, contrarium factis exprimimus. Et quid Christo in ea domo negotij est, vbi nec Maria, nec Martha suum satisfaciunt officium: quæ ipsi voluntas erit in populo, in quo nec verum cultum,

Apoca. 3.

Isa. 29.

Latt. 5.

Iere. 16.

nec genuinum sui amorem inuenit. Sed hic cardo rei versatur: Si pacem atque requiem volumus, Christum domus nostræ inhabitatorem habeamus necesse est, sine illo enim, nec pax nec optata expectatur requies. Si Chri
Luc.10. stum nobiscum manebit, quod Euangelium loquitur, fieri necessum est. Martha solicita es turbaris erga plurima. hoc est, sic tractandus est Euangelij verbi Dei sermo, vt non in forma, sed verè & ex animo cuncta procedant. Id si fieri debet, quicquid verbo ac cultui Dei aduersatur, deponendum est. Id verò vna præstat Pœnitentia, hoc est Lazarus, qui & ipse in hãc domum accersendus est. Ipse, inquam, in trium sororum sortem pertinet. Atque hæc demum pulchra domus dispositio est, vbi Lazarus, hoc est, pœnitentia mundat: Martha, hoc est, cultus Dei, ornat domum: Maria verò sese in Christo eiusque verbo recreat. Quia verò (vt nunc nostri mores sunt) hac parte vehementer deficimus, vt Martha nostra atque Maria, hoc est cultus verbique Dei iactantia, plus externæ apparentię quàm internę veritatis habuerit, in Lazarò rursus incipiendũ est. Conuertatur impius ab via sua, & miserebitur nostri Deus. Diuertat à malo & faciat bo-
Ezuh.3. num & veniat & arguat ipsum. Bonas & rectas facite semitas vestras, & inhabitabo in vobis. Hæc Deus illius loquitur, qui quidem discipuli esse eius volunt, quæ tamen discipulorum sunt, facere nolunt. Agitè ergo diligẽtiùs, in posterũ nobis caueamus. Adhuc em̃ nobis isthæc dicuntur. Adhuc vt emendati sequamur tempus est. Id vt faciamus Dei in nobis gratia præstet, Amen.

SERMO QVARTVS.

quando hæc solennitas in secundam, post dominicam Trin. decimam feriam incidit.

CONuenientius huius sermonis exordiũ video nullum, præter hesterni sermonis repetitionem. Neque enim dubito, quin hanc festiuitatem non modò minus contẽptui habituri aut aspernaturi, verumetiã rectiùs in nostram vtilitatem cõuersuri. Tum etiam melius cum Maria in eius assumptione lætãtes gratulaturi, sed & maiore desiderio post ipsam mente atque preces ascẽsuri simus. Certè tum demũ quęuis rectiùs cognoscitur

scitur atq; æstimatur, laudatur aut vituperatur, suscipitur aut refutatur, quando oppositum ipsius è regione iuxta ponitur. Quid autem dissimilius huius temporis via atque illa, quam electi apud Deum consequuti sunt, vita? Perscrutare ac labora nosse, quæ huius viæ sit conditio, & proculdubio futura illa vita magis arridebit, huius sæpius recordaberis, ipsam vehementiùs appetes, fœlices omnes quicunque eam consequuti sint, prædicatis. Iam verò hesterno sermone non vnum aliquem, sed plures locos audiuimus, qui omnes maxime huius viæ miserias indicant. In ipso enim Euangelio Iudæis Christus futuram ipsorum cladem denunciat, simulque cum ipsis illachrymatur, ipsoque deflet. In Epistola verò Paulus, quæ nostra fuerit cæcitas, in æternum ingenti nostro malo duratura cæcitas, nisi Deus pater, nostri esset miser tus. Sed & in Psalmo quem manè pro concione explico Psal. 66. Dauid ardentissimis votis precatur, vt Deus nostri misereatur atque benedicat nobis. Denique in Regum nostra historia, pius ille Iosaphat hostium vi ita vrgetur, vt omnis Israël, iuuenes & senes vtriusque sexus, ieiunijs atque obsecrationibus Dei auxilia postulare cogantur. Atque de his quidem omnibus heri dictum est. Quis autem tam simplex, qui ex his Scriptis, historijs, atq; orationibus miseriam vitæ huius non videat. Et quid in nobis aliud experimur, nisi hæc ipsa, quorum illa Scripta meminerunt? Nunc in tenebris repetamus, nunc in peccata labimur, nunc hic aggrauamur, illic angustamur, hic damno afficimur, illis planè perimus. Et quid multis? Nihil in hac vita, præter laborem, exilium, angustias, miserias, pauperiem & inopiam, infirmitates atque pericula, peccatum, onus grauissimum, tandemque etiam in fine mortem videmus atque experimur. Hæc vitæ huius nostra conditio. Hæc meditare, & haud dubiè lætitia afficieris, vbi Mariam hinc in cœlum assumptam esse intellexeris hodie: Lætitia plenus dices cũ Ecclesia: Beata quę credidisti: exclamabis deinde, Trahe me post te. O Maria illuc nos attrahe, vbi tu cũ filio tuo habitas. Sed & tẽpestiuiùs viã cœli inies semperq; te alacriorem in ea conspicuũ offeres. Et hæc sunt quæ prę-sens à nobis exigit solẽnitas. Hìc in terris atq; exilio, pa-

triæ nostræ præconia audire ingentis nobis causa lætitiæ esse debuit. Peculiaris cuiusdam consolationis energiam habere in mētibus nostris decet, quod non modò
Ioan.17. Christus cœlos ascēdit, verumetiā quod Maria assumpta est: Et quod nō solùm caput nostrū cœlos habitat, sed & mēbra ipsius quotidiè sequātur illuc, freti promissione dicentis, vbi ego sum illic & minister meus erit. Hęc, inquam, peculiaris quædā consolatio atq; spes nostra esse debuit. Sed & admonere nos debuit, vt eò ardētiùs preces nostras sursum dirigamus, deniq; etiā calcaria nobis addere, cautiùs & alacriùs viā cœlestis regionis currere. Ecce horū oim datur occasio, hesternis Euāgelio atq; Epistola, Psalmo nostro, Regūq; historia, cū hac festiuitate collatis: quę sanè prudētibus sufficerēt, de hac festa die dixisse, sed imprudentiū causa porrò nōnihil de vero eius vsu dicere placet. Hoc enim omniū maximè refert. De gloria enim atque beatitudine virginis multa dicere nequimus, vt quæ sensus nostri angustias transcendunt. Neque enim auris audiuit. Hìc in inferioribus contenti manebimus, & in paruis per scripturas apertis, quid nobis commodet indagabimus. Ac principio quidem nemo miretur, peculiari quadā præ cæteris solennitate hāc festam diem celebrari, Et quidem magis esse plorandum videri potest, quod eiuscemodi personā amiserimus ex hoc incolatu. Verè enim cunctis credentibus magna fiducia illa fuit, dum in his terris vixit. Nam etiamnum quoque Ecclesia de ipsius exultaret atque consolaretur præsentia, si modò nobiscum hìc viueret: fletu igitur quā festi celebritate magis dignum, hanc non habere coramue audire atque videre, iudicari possit. Sed longè diuersa Ecclesiæ consuetudo est, à mūdi huius opinione. Mundus illo tempore festos dies agit, quo homines primùm in hunc mundū nati, hanc vitā viuere incipiunt: Ecclesia cōtrà missis in cœlū liberis suis, lætatur. Illic em̄ omni-
Apoc.12. bus malis exuti, in perfecta securitate viuunt: Illic Deus omnem lachrymam ab oculis ipsorū abstergit, & mors non erit vltrà neq; luctus neq; clamor, sed nec vllus dolor, quoniā priora transierunt, & noua facta sunt omnia. Hęc propter Ecclesia lætatur, quādo filij eius hāc vitę fabulā in domino cōcludunt, quādo quod pro ipsis timeat

nihil

nihil restat, sciens corpora ipsorum requiescere, animas vero in manu DEI esse, & non tangere illos tormentum malitiæ, & vt vno verbo concludam, tum demum cũ filijs suis Ecclesia gaudet & lætatur, quãdo eos hinc ex hac calamitate ad cœlestem præmittit patriam. Atq; hoc fundamentum huius festiuitatis est. Iam verò Mariam ex hoc seculo morte solutam esse credimus, secundum naturæ statutum, quo quicquid natum est, mori oportet, ita tamen vt tam nõ senserit mortis horrorem, quam in filij sui conceptione virginitatis nõ amisit florem, nec id cuiquã mirandũ videatur, qui enim illud potuit, huius quoq; potestatẽ habuit, & qui ita eam in vita honorificauit, vt mater fieret, ac virgo maneret, in morte nulla contumelia affecit, vt vel amaritudinẽ, vel horrorem mortis experiretur, quemadmodum nec in partu communionem mulierc ularum dolorẽ sustinuit. Et hoc secundum. Tertiò: Vt certò Christus Apostolis eorumque successoribus promisit, fore vt vno in loco cũ ipso sint, vt etiam latroni in Cruce paradisum pollicetur, & Paulus omnes in genere consolatur, quod si terrena hæc domus nostra huius habitationis dissoluatur, ędificationem ex Deo habeamus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis esse dubitare non possumus. Quod enim latroni tam subitò promisit, atque præstitit, sanè matri non denegauit. Et hoc tertium. Iam quartò, cum constat eam ante omnes singularis priuilegio gratię dotatam esse: nemo, etiam in cœlo apud Christum peculiaribus donis, præ Angelis atque hominibus ornatam esse dubitat: imò verò, nemo summis honoribus ab cœli ciuibus susceptam esse, quæ tanto affectu cœli terræq; Dominũ susceperit, primumq; hospitio dignata sui est corporis, ambigit. Nemo lucere hanc maris stellam, super omnia cœli sidera, quæ nobis omnium siderum hominum atque angelorum lumen genuit, hæsitat. Et hoc quartum. Quintò: Quando hanc solam Deus à generali omnium fœminarũ maledictione, hoc verbo DEI, lata: Multiplicabo erumnas tuas, & conceptus tuos, &c. liberam siue illæsam præseruauit: credimus nec sine causa, eandem custoditam esse à communi omnium maledicto, quod hac sententia decreuit Deus: In sudore vultus

Ioan. 12.
Lucæ. 23.
2. Cor. 5.
Gene. 3.

tui vescēris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es & in puluerē reuerteris. Certè totum filij honoribus seruit, quicquid honorificētiæ matri detulit, tum diuinæ etiam maiestati conuenientissimum erat, hoc ipsum corpus à corruptione seruaretur liberum, quod filius in peculiare templum sibi elegerat, atque sanctificauerat. Ecce hæc omnia Christianis in hac celebritate meditanda veniunt, præter eam, quam in filiorum suorū ex hoc mundo recessu habet Ecclesia. Id quia ita est, certè hodiernum omnium nostrum gaudiū dignum iudicamus, maximè quod & nostra cum vtilitate fiat. Sanè omnis Israël redeunti è castris Iudith illæsæ gratulabatur, nempe quod communem omniū hostem truncasset, sed hic plus quàm Iudith. Illic Iudæi clamitant: Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram, & quāto rectiùs nos dicimus: Benedicta es tu filia, quia per te fructū Dei Iesum Christum, Deum hominemq; suscepimus. Illic dicunt. Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, quanto meliùs nos, ipsum de Maria prædicamus? Illic etiam hosti obijciunt Iudith filia Merari dissoluit hostem nostrum: & quanto rectiùs id ipsum diceremus nos? Vbi enim minus effecit, quàm in hac virgine, quis vnquam maiora illi damna intulit. Vtiq; ipsa mulier & semen, quod caput serpentium conteriturum erat, atque contriuit, historia Esther refert, Iudæos peculiari atq; annua festiuitate diē qua à perditione, quam impius Aman parauerat, per Esther liberati fuerant, celebrauisse. Et ecce plus quā Esther. Illa quidem fontis, qui postea flumen factus est, similitudinem habuit, vude etiam generationi iustorum gaudium atq; exultatio ebulijt. Esther enim primū paupercula postea regina facta, suo studio totum populum à clade exemit: & quāto iustius hæc nostra virgo eiusmodi fonti comparatur? Nunquid enim paruula illa cum diceret: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Nunquid ingens flumen cum ait. Fecit mihi magna, qui potens est, ecce, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Si ergo illi, quando ex omnibus liberati essent, festos dies egerunt, suis: cur non & nostris nos publica festorum

Iudith.13.

Iudith.15.

Iudith.16

Zacha.1.

lætitia

lætitia gratularemur, ab omni anxietate exemptis, maximè cum sciamus, ipsorum liberationem, futuræ nostræ suo tempore libertatis est argumentum? Hic vtrinque conferẽdum est, & quid iusti hic perferant mali, & quid lætitiæ futura libertate expectent. Quæ duo quis Dauid rectiùs ostendere potest? Quid ergo de seipso hic dicat, audi: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus? Sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuum quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. Ecce quæ piorum huius seculi exiguitas. Et quis hæc ipsa rectiùs Maria dicere potuit? An nõ statim rerũ exordio ipsi oraculo Simeonis vaticinatum erat, animã ipsius gladium penetraturũ esse? An non hoc ipsum postea experta fuit sub Cruce, cum pateretur filius? Quis dubitat, sæpè ipsi obiectum fuisse. Vbi Deus tuus? Et qui illi panes diurni nocti nocturniq; esse potuerunt, nisi lachrymæ? Tum etiam qua ratione consolata est rectiùs, nisi quod dicere potuit, maximè verò assumpta: Introibo in locũ tabernaculi domus admirabilis, & quare tristis es anima mea. Breuiter quis dubitat ipsam toto illo post ascensionem Christi tempore, sic per omnia affectam fuisse, vt verè dicere potuerit: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat aia mea ad te Deus. Ecce hęc conditio piorũ in hoc Mundo omniũ assidua tribulatio, multæ lachrymæ, incessabilis gemitus in Deũ atq; beatitudinem. Hæc si quis hominum expertus creditur, Maria certè experta est. Neq; enim nõ penetrans Simeonis fuit gladius. Quanquã & Dauid expertus est satis, alijq; pij cum illo plures. Vis iam & hoc scire, quod filiorum Dei piorumq; ex his miserijs liberatorum superfit gaudium? Quid idem Dauid alibi dicat, audi. In persona Christi ipsiusq; membrorũ sic loquitur: Expectans expectaui Dominũ, & intendit mihi. Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis, & statuit supra petrã pedes meos, & direxit gressus meos. Iucundiora hæc verba sunt multo quàm alterius illius Psalmi. Idq; non immeritò. Illa enim querela siue lamentatio est hois adhuc in huius vitæ miserijs agẽtis: hæc verò gratiarũ actio sunt hominis liberati, canticum atq; hymnis. Sed illa præcedere oportuit, hæc vt sequi

Psal. 14.

Psal. 39.

2. Tim. 2. possint: prius cum sanctis flendum, sufferendū, gemendumq; est, quàm triūphale illud carmen canamus. Si cōpatimur, inquit Paulus & cōregnabimus. Si socij passionum, erimus & consolationis. Et quæ consolatio ex hac vita emigrātium? Audere oibus ijs verbis loqui quibus per totum hunc Psalmū Dauid vsus est. Primò: Expectans expectaui Dominū. Et hoc piorum omniū commune est. Expectandum omnino est, qui credit, nō festinet. Adhuc in fide atq; spe ambulamus, nondum cōprehendimus, quod speramus, sed in patientia expectamus.

Iacob. 5. Agricola expectat pretiosum fructum terræ: patiēter ferens donec accipiat pluuiam tempestiuam & serotinam, Iacob monet: Igitur & vos patientes estote, & cōfirmate corda vestra: quoniā aduentus Dñi appropinquat. Et hoc ipsum est quod Paulus ait: quomodo Deus tentauerit Patres expectatione.

Hebr. 11. Primus Abraham, secundus Isaac, tertius Iacob, quartus Moses, quibus oibus Deus terram Chanaan promisit. Et quid Paulus: Hi, inquit, omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis meliùs aliquid prouidente, vt non sine nobis cōsummarētur. O desiderium sacratæ huius virginis matris, non modò cū Christo cœlos ascēdendi, verumetiam cum ipso in cruce moriēdi. Sed: Expectans expectaui Dominum, scriptum est. Veruntamen subditur: & intendit mihi, & exaudiuit preces meas. Et hoc ipsum nos quoq; sperare possumus, modo in tribulatione expectauerimus. Quando ergo tempus exauditionis venit, quando Deus vult dare, quod dudum rogatus est, atq; exaudijt (citò & statim enim preces piorum exaudit, sed non ita citò præstat. Ipse enim nouit tēpus oportunum, quod vbi venit, inquam, ipseq; dare vult) tum omnia succedunt, teste Dauid: Eduxit de lacu miserię. Et quod huic vitę cōuenientius nomē dari potest? Verè enim lacus miseriæ est, propter externa: lutum fecis, propter peccata. In hoc lacu atque luto, oēs immersi sumus: dum hic reptamus, nemo tam cautus, nemo tam vigilans, qui non aut lacum miseriæ, aut in lutum fecis, id est, peccati labatur. Sed hinc demum discedens pius verè dicere habet: Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis: & quid prętereà? Statuit supra petram pedes meos, & di-

& direxit gressus meos. Vt olim immersus in profundo iacebã, sic modò erectꝰ sto altiùs: vt nuper inualidus, ita nunc consisto firmiùs: illic sine fundamento vacillantes tentabam ponere gressus, nunc immobilis pedum meorum fundamentum, petra est. Et quid nisi dicere restat? Immisit in os meum canticum nouum, carmẽ Deo nostro: Quid Israël liberatus potuit, nisi cantare? Quid aliud pius faciet, à mortuis huius corpore, regnoq; Satanæ liberatus. Sed longè tamen aliud canticum, quod hìc pij ex vna aliqua tribulatione liberati modulatur, quàm quod illic sancti ab omnibus securi canunt. Illud enim vetus canticũ est, cõmune in terris, quod & impij sæpe pleno ore personant: hoc verò nouum est, quod nemo, nisi pij norunt, & quomodo piorũ hinc emigrantiũ gaudium aptiùs atq; propriùs describi posset, nisi his tribus vocibus: Exaudiuit me, eduxit me, immisit in os meum. Horũ nos virginis nostræ admonet assumptio. Et quid hinc colligendũ est? Quoties Christus in Euãgelio regnum cœlorum promisit? Quẽ verò mox facta promissione, in illud locauit? Neminem certè. Expectãdum est necessariò. Et Petrus quidem citò desiderio illius tãgebatur. Dñe, inquit, bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula. Sed ipse de monte descendere cogitur. Multi videbunt, & timebunt, & sperabunt. Hoc discamus: Timere atq; sperare. Atq; his Dauid pulcherrimam sanè vocem subdit, quæ nostrũm etiã hunc meritò sermonem cõcludit: Beatus vir cuius est nomen Dñi spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Ecce & hoc ipsum eodem in Psalmo, mox cõsequenter Dauid docet. Et quid mortalium studia, nisi vanitates & insaniæ falsæ. Si ergo cõmodè hãc festiuitatẽ tuis vsibus impendere vis, si eò venire quò hæc virgo præcessit delectat: vide in Deo vt spem tuam ponas, ne in vanitates respicias. Qui enim vnitates sequitur, peribit: qui autem in Domino confidit, confirmabitur. In hoc nos gratia Dei adiuuet. Amen. Matth. 7.

IN DIE DIVI BARTHOLOMAEI APOSTOLI EVANgelium. Lucæ. 10.

FActa est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior? Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic. Sed qui maior est in vobis, sit ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nónne qui recumbit? Egò autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat? Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater in regnum, vt edatis & bibatis super mẽsam meã in regno meo, & sedeatis super thronos iudicãtes duodecim tribus Israël.

EODEM FESTO EPIstola. Ephes. 2.

ERgo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei: superædificati super fundamentũ Apostolorum, & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio cõstructa crescit in templum sanctum in Dño. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu sancto.

SERMO PRIMVS.

APostolo hæc dies sacra est, & omnino eiuscemodi, qui vt nostris annumeratus est duodecim. Sanè varijs modis hęc nobis festiuitas commodare potest, idq; vt fiat, meritò damus operam, quãdo tãta vbiq; de Aposto-

ſtolis Scriptura commemorat, multaq; ſecus eorũ quàm quorumcunq; aliorum ſanctorum meminit. Quãquam & aliorum nõ huius conditionis diuorum honorificam ſatis mentionem facit. Sed peculiare quid Apoſtolis ſcriptura tribuit. Non nunc dico, quod viros eos vocitet Eccleſia: Iſti ſunt ſancti qui pro teſtamento Dei ſua corpora tradiderunt, & in ſanguine agni lauerunt ſtolas ſuas. Huius inquã nunc mentionẽ facere malo. Dauid enim adhuc magnificẽtiùs eos prædicat. Principio enim cœlos appellat. Cœli inquit, enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Et quid honorificentius poſſet ijs tribuere? Neq; tamen hoc facit immeritò. Vtiq; enim Deus in ipſis habitat, in ipſorum verbis auditur, in ipſis per ſigna lucet, irrorat eos gratia. Deinde etiam Principes eos dicit. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes, ſuper omnem terram. Vtique & hæc appellatio plane iucunda. An non autem rectè Principes dicuntur? Sanè quod ad nobilitatẽ attinet, à Deo generati ſunt: quod ad diuitias, amplius virtutibus fuere dotati: tum quod ad potentiam, clauium regni cœlorum cuſtodes ſunt. Et hæc quidẽ omnia amplos merentur honores. Tertiò quoque Deos appellat. Dij terræ vehementer eleuati ſunt. Præterea & ipſe Chriſtus lumina Mundi dicit, atque ſal terræ, Apoſtolos, atq; amicos. Paulus quoque Dei miniſtros, & diſpenſatores miniſteriorum Dei nominat. Ex his quidem facilè eſt videre quàm reuerenter de ipſis ſcriptura ſentiat ac loquatur, quæ eiuſmodi ſunt, vt ad Apoſtolorum memoriam non ſolùm lætari, ſed & præ lætitia exultare debeamus. Ipſi enim duodecim patriarchæ ſunt, ex quibus populus Dei natus eſt. Ipſi duodecim fontes, ex quibus potauimus omnes. Ipſi duodecim nomina ſculpta in lapidibus in ſuperhumerali ſummi Pontificis. Ipſi duodecim panes propoſitionum ſunt. Ipſi duodecim exploratores, duodecim in corona ſponſæ ſtellæ. Ipſi denique duodecim portę & munitiones nouæ Ieruſalem. Tantis igitur priuilegijs honoratos à Deo ſilentio tranſire, nullâue feſti diei ſolennitate celebrare, non ſine culpa poſſumus, maximè cum feſti eorum dies vehementer noſtrę vtilitati commodant. Mox enim Apoſtoli

Apoſtoli &c

Pſal. 18.

2

Pſal. 44.

Pſal. 46.

Mat. 5. 10.

Ioan. 15.

1. Cor. 4.

Exod. 28.

Num. 33.

apoc. 12. & 11.

audito nomine, ad eum erigimur, à quo missi sunt. Cum patres nostros eos intelligimus, ad corripiendā prauam naturam nostram conuertimur. Cum doctores nostros eos consideramus, ruditatis nostræ admonemur. Cū denique pastores eos nobis datos à Deo agnoscimus, perditionis nostræ recordamur, quòd tam fides pastores sequuti nō sumus. Hoc modo si nos in Apostolorum solennijs gesserimus, proculdubio non minimum fructū hauriremus. Si enim per eos Dei recordamur, vtique ad laudandū eum incēdimur. Si ipsorum erga nos cōuertimur exēplo, nosmet humiliabimus. Si ruditatē nostram commemoramus, diligentiores in posterum efficiemur. Si deniq; & perditionē nostrā intuiti fuerimus, maiore nobis deinceps cura cauebimus. Hæc ergo Apostolorū celebritates à nobis exigunt. Et licet eiusmodi aliæque id genus plures virtutes in Apostolis omnibus consideramus, peculiaribus tamen quisque claret dotibus, quemadmodum & in Bartholomæo singularem quandam in obedientia mandatorum Dei voluntatem intelligimus. Nec hoc solùm, sed & singulari studio malas Satanæ artes confundendi, & in inauditis tormentis perferendis eximia tolerantia fuit præditus, quorum primùm doctrinæ, alterum exhortationis, tertium verò exempli locum supplet. Atque vtinam hæc tria ex festiuitate hac pijs animis infixa manerent. At multi nulla huius cura afficiuntur, nihilominus egregiè sibi de Christiano nomine blādientis. Propterea ne aliquando propheticus ille sermo nobis conueniat, timendum est: Anima mea odit festiuitates vestras, Et festi dies vestri in mœrorem conuertentur & luctum. Agitè ergo, diligentiùs incumbamus omnes vt bonum faciamus dum tempus habemus. Idq; vt faciamus sua Deus præstet gratia. Amen.

Isa.1.

Amos.8.

SERMO SVCVDVS.

Rom.15. Apostoli nostri sententia quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. Iam vero Scripturæ non solùm Diuorum virtutes prædicāt, verùmetiam Impiorum vitia, piorumq; imperfectionem describunt. Omnia ad doctrinam seruiunt, vt quàm nihil ex nobisipsis possimus, quàm inconstantes, nisi eius

qui

qui nos creauit potenti manu confirmamur, considere-
mus. Constat enim sibi hic sermo. Non sumus suf- 2.Cor. 3.
ficientes aliquid à nobis tanquam ex nobis: sed suffici-
entia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit. Sen- Gē. 6. &8
sus enim nostri omnesque cogitationes in malum pro- Ier. 17.
cliues sunt, & cor hominis iniquum & imperscrutabi-
le. Et quis nisi malus fructus ea ex radice nasci potest?
Vtique mala arbor fructus bonos ferre non potest. Sed Mat. 7.
hoc quoque iam considerandum est, bonum quo cla-
ruerunt Sancti, non à seipsis sed à Deo habuisse. Ipse
enim operatur in nobis & velle atque perficere. Hinc est Phil. 2.
quod Paulus omnes, Græcos pariter atque Iudeos, pec-
catores esse conuincit: nimirum omnes egere Christo
ostendere voluit. Præterea etiam Apostolorum imperfe-
ctionem Euangelium ostendit, nempe quod orta con- Luc. 9.
tentione disceptarint inuicē, quis eorum videretur esse Luc. 22.
maior: & cum ignem è cœlo deuocare volebant: & cum Mat. 16.
in passione Christi fuga salutem quærebant. Et hanc im-
perfectionem ipsi perscribunt, non quasi gloriantes in
malo, sed ac si decerent: Fugite, fratres, superbiam, in hu
militate perseuerantes. Neq; enim homo ex seipso quic
quam potest, nisi gratia potentis Dei adiutus. Exemplo,
nostram, qui tanto tempore cum Christo fuimus, verba
eius ex ipsius ore seligimus, signaq; vidimus, respicite
imperfectionem. Hoc modo Apostolorum imperfectio
nobis commodabit. Deinde & huc facit, quod eandem
Christus imperfectionē ipsorum abstulit, vt ipsos simul
atq; nos in maiorē perfectionem induceret. Id quod in
hoc Euangelio videre est, vbi Christus mox exorta con
tentione, docet, quid Euangelicum pastorem, imò quē-
uis Christianum deceat. Ad hæc & Spiritus sancti virtus
ex Apostolorum imperfectione probatur, qua imbuti, ni
hil postea eiusmodi cogitarunt. Antequam enim Spiri-
tus Sancti præsentiā contendebant, postea verò omniū
vnum cor vnaq; mens erat. Ante mortem horrebant, po
stea, dicebāt: Obedire Deo magis oportet, quā homini-
bꝰ. Ante primos ambiebāt accubitus, postea omnibus se- Acto. 45.
offerebāt ministros, cū Paulo dicentes: Ego libētissimè 2.Cor. 12.
impendā & superimpendar ipse pro animabus nostris.
Et horū in numero Bartholomęus nō extremus fuit. Vn

de

de & sua inter credentes non fraudatur memoria. Apertè enim ipsius vitæ historia, qualè se accepto spiritu sancto gesserit, describitur: nimirū in fide constantè, in spe firmum, in amore ardentem, in patientia vsque ad morté immobilé. Et hęc omnia eiusmodi sunt, quę rectè quemlibet pium, maximè Apostolum decent. His, si vitam nostram probè cōtulerimus, rectè hanc festiuitatē celebrabunt. Hic enim quod nobis deest, inueniremus: hic est, vnde vitam nostram emendaremus. Atque hac ratione manifestum esse arbitror, quomodo ex festis Apostolorū vtilitati nostræ cōsulere possemus, modò volūtas adesset. Et hāc ergo ipsam Dei nobis præstet gratia, Amen.

IN DIE NATIVITATIS MARIAE. EVANGELIUM Matthæi 1.

LIber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abrahā. Abrahā genuit Isaac. Isaac autē genuit Iacob. Iacob autē genuit Iudā & fratres eius. Iudas autē genuit Phares & Zarā de Thamar. Phares autē genuit Esrom. Esrom autē genuit Arā. Aram autē genuit Aminadab. Aminadab aūt genuit Naason. Naason autem genuit Salmon. Salmon autē genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid Regem. Dauid autem Rex genuit Salomonem, ex ea quę fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autē genuit Abiam. Abia autem genuit Asa. Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioathan. Ioathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem

genuit

genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam. Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achin. Achin autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

EODEM FESTO DIE

Epistola Prouerb. 8.

DOminus possedit me initio, in viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erãt abyssi, & ego iam concepta eram. Necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole constiterant. Ante omnes colles ego parturiebar: Adhuc terram nõ fecerat, & flumina, et cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos, aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyssos. Quãdo æthera firmabat sursum, & liberabat fontes aquarum. Quando circundabat mari terminum suum, & legẽ ponebat aquis, ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Et delecta-

delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, & ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum. Nunc ergo filij audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinã & estote sapientes, & nolite abijcere eam. Beatus homo qui vigilat ad fores meos quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

SERMO PRIMVS.

NOmen ac originem huius festiuitatis neminẽ ígno rare arbitror, etenim natiuitati Mariæ hæc dies sacra est. Sed qua ratione eadem, rectè pieq; celebretur, fortè non ita omnibus manifestum est. Id ipsum ergo paucis mihi indicandũ est. Ac principiò cũ Ecclesiæ cõsuetudo sit, sanctorũ natales, emigrationis ab hoc seculo die cuiusque celebrare, illud hic cogitandum est, quomodo non sine causa factum sit, vt hanc ingressus in hũc mundum virginis diem totum lætitiæ solenni consecremus. Neque enim alioqui, nasci hominẽ, nouum aliquid
Eccl.1. est. Generatio præterit & generatio redit, terra autẽ consistit in æternũ. Nasci & mori proprium est omniũ creaturarum sub cœlo viuentium. Sed hęc peculiare aliquid natiuitas habet, cuius causa meritò totus mũdus exultat. Id quale sit quæris: Ecce Dauid regi electo promiserat Deus semen, cuius regnum perpetuò constaret. Dixit enim ipse de Deo: Iurauit Dominus Dauid veritatem, &
Psal.131. non frustrabitur eũ. De fructu vẽtris tui ponam super sedem tuam. Et alio in loco: Fidelis erit domus tua, & regnũ tuũ, vsq; in æternũ ante faciẽ meã, & thronus tuus
2.Re.7. erit firmus iugiter. Vnde & Dauid ait: Misericordias domini in æternũ cantabo. Quoniam dixisti: Dispositi testamentũ electis meis, iurauí Dauid seruo meo, vsq; in æ-
Psal.88. num præparabo semen tuũ, & ædificabo semen tuum, & ædificabo in generatione & generationem sedẽ tuam. In hac promissione non modò Dauid, sed omniũ spes credentium acquieuit: nempe ex Dauid processurum esse aliquem, qui regeret atque liberaret Israël populũ Dei. Et hæc ipsa promissio pulchrè succedebat aliquo tempo

re. Sic

re. Sic enim hodiernum Euangelium docet: Dauid Rex genuit Salomonem. Salomó autem genuit Roboam. Roboam genuit Abiam. Abia autem genuit Asa: & sic consequenter vsque ad Iechoniam, aut potiùs Sedechiam. Per multas enim generationes regni successio in Dauid hæredibus permansit. Sic Sedechia in Babylonē abducto, & Ierusalem regiaque sede destructis, finem habere promissionem hanc æternitatis regni Dauid, videri potuit. Et quanquam nonnulli sanguinis Dauid è Babylone domum reuerterentur, regali tamen diademate carebant. Postea etiam Machabæi rerum potiebantur, quousque tandem ad Herodem, & alienigenas ad Romanos regnum delaberetur. Finem ergo habere Dauid regnum & hæreditatem videri potuisse. Reliquiæ enim eius sanguinis ad eam paupertatem redigebantur, vt victum manu quærere cogerentur. Id quod in Ioseph sponso Marię, fabre lignario videre est. Finem igitur semen regium habebat, sed verbum Dei finem non habebat, imò verò hoc maximè vigebat atq; triumphabat. Verbum Dei impleri oportuit, inquam, atque semen Dauidicum suscitari, pristinamque imò verò maiorem quam vnquam habuisset gloriam recuperare debuit. Atque horum quidē omniū hæc dies initiū est, in qua hæc virgo nostra de Dauid stirpe nata est. Per hanc enim rursus exuscitatum est semen Dauid, & in huius filio ad amissam regalem dignitatem, imo ad multo amplioré prouectum est. Quod enim amiserat regnū tēporale erat, quod recuperauit spirituale atque æternum, illud super omnes homines. Hoc modo sanguis Dauid regius, qui aliquandiu latuerat, virginis partu exurrexit. Verùm id nemo illo quidem tempore opinari aut sperare potuit, alioqui enim omnes turmatim aduolassent, tantamque natiuitatem celebrassent festiui. Nos ergo vt hæc sē ita habere non ignoramus, ita alacriùs hanc diem frequentiori deuotione celebramus, canentes: Natiuitas tua DEI genitrix virgo gaudium annunciauit vniuerso Mundo, ex te enim ortus sol iustitiæ CHRISTVS DEVS noster, qui soluens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem donauit nobis vitam sempiternam. Hæc ipsa, hac solenni festiuitate de Maria eiusque filio Iesu

Christo

Christo modulamur. Quæ tamen Isaias Propheta iam antè dudum apertè satis prædixerat: nimirum defectionem regni Dauid, & pullulationem in virgine atque filio virginis. Initio enim prophetiæ suæ calamitatem Ierusalem atque Regum per multa capita docet, tandē verò hanc consolationem subnectit: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini, non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundū auditum aurium arguet: Sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorū interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. Vitulus & Leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit manum suā mittet. Non nocebūt & non occident in vniuersō mōte sancto meo, quia repleta est terra scientia domini, sicut aquæ maris operientis. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Et in die illa, adijciet dominus secundò manū suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyrijs, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aetyopia, & ab Elam, & à Sennaar, & ab Emath, & ab insulis maris. Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Et auferetur zelus Ephraim, & hostes Iuda peribunt. Ephraim non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit cōtra Ephraim. Et volabūt in humeros Philistim per mare, simul prædabuntur filios orientis. Idumæa & Moab præceptū viamus eorū, & filij Ammon obedientes erunt. Et desolabit Dñs linguam maris Aegypti, & leuabit super manū suam super flumen in fortitudine spiritus sui, & percutiet eum in septem riuis, vt transeant per eum calcea-

Isa. 11

calceati. Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyrijs, sicut fuit Israëli in die illa quãdo ascendit de terra Aegypti. Vult ergo Isaias his verbis hoc dicere. Non ita deficiet Dauid progenies, vt planè intereat. Arbor quidẽ è radice Iesse nata cũ ramis succidetur, radix tamẽ ipsa pullulãs florebit. Tenerrima enim virga ex ea egredietur, quę desolatam stirpem renouabit. Et ipsa quidem exigua iudicabitur, suaueolentem tamen florẽ proferet, cuius odore vel vniuersum genus recreari possit humanũ, talem per omnia super quẽ requieſcet Spiritus Sanctus, cum omni sua plenitudine, quo regnum suum nouum ac spirituale, verè ęternum mansurum auspicetur. Ecce, hæc Isaias prædixit, atque ita successu impleta sunt. Prius illud regnum, prima scilicet huius radicis arbor, regnum inquam temporaneum, quod in Dauide filio Iesse siue Isai exorsum erat, postea in multos diuisum erat, propter peccata Zedechia corruit: Sed vbi diuinæ voluntati placuit iustum illud germen exuscitare, radicem illam veterem Iesse, hanc pullulare virgulam effecit. Atque hinc est quod Ecclesia ipsi accinit: Stirpe Maria regia procreata, regem generans Iesum. Isaias verò non modo natiuitatem eius, verumetiam reliqua eius propria pulchrè descripsit. Primò quod virgam eam, deinde, non de ramis, sed è stirpe egressam esse dicit. Virga enim è terra quidem nascitur, sed sine omni immundicia, omne germen super crescens, recta assurgens, perpetuò adolescens, semper maior seipsa efficitur: parua quidem collatione cæterarum arborum, nec multum agri occupat, paucis, sed latè expansis frondibus ornata, sine nodis flexibilis, sed fortis fructumque ex se sine sui damno profert. Talis per omnia Maria fuit, de peccatoribus sine peccato venit: reliquos omnes supercreuit, erecta omnino sursum ad cœlos adoleuit: magnificat, inquit, anima mea dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Ita indies de gratia in gratiam, de virtute in virtutem aucta progressa est: humilis in oculis suis, nulla temporanea appetijt, nullos incredulitatis aut diffidentiæ nodos habuit, obediẽs atque in fide constans: pauca, sed planè diuina loquuta est, filiumq; Dei, sine virginitatis macula cõcepit atq; peperit. Luc. 1.

Vide ergo an non Isaias eâ propriè depinxit? Et qua meliore forma eam rectiùs magisq; propriè depingere potuisset, etiam si coràm vidisset? Et huc quoque pertinet, quod non primo aut veteri ramo, sed ipsa ex radice ortâ scribit. Vult enim hoc ipso eam vti Dauid filiam radici quàm ramis similiorem fuisse, hoc est, veras genuinæ virtutis formas Dauidis atque Iesse, non dedecus succedentium Regnum expressisse, innuere. Omnes enim fere Reges in hac Dauid linea impiè vixerunt, ita, præter vnum aut alterum, neminem Dauid virtute inueniamus similem. Hæc verò ipsam originis naturâ expressit, vnde non ramis, sed ipsa radice ortam dicimus. Et huc pertinet, quod ipsi Ecclesia accinit: Tu (Maria) pios patrum mores ostêtas in te, sed excellis eosdẽ. Patris tui Salomonis in te lucẽ Sophia. Et Ezechiæ apud Deũ cor rectum, sed nunquam in te corrumpendum. Patris Iosiæ adimpleuit te religiositas, summi etiam patriarchæ te fides totâ possedit patris tui. Atque in his quatuor, sapientia, hoc est, Dei cognitione, iustitia cordis, deuotione mẽtis, & vera fide, radicis huius consistit natura. Et hęc omnia in virgine nostra consideramus, & quidem cum aliquo etiam perfectionis augmento, quod in quatuor his
5.Reg.11. patribus non fuit. Salomon enim sapiens fuit, tandem verò furijs agitatur stultus mutatus est. Hæc autem non sic. Sic Ezechiæ quidẽ cor apud Deum rectum fuit, sed
4.Reg.2. non sine flexurâ. Thesauros enim Babyloniæ Legatis ostentans suos, in superbiam mentis incidit. Hæc verò non ita. Cor enim rectum habuit, & custodiuit. Ita &
4.Reg.20 Iosiæ magna fuit in instaurandis ijs, quæ ad cultum Dei, diligentia: verùm nec ipse sine peccato erat. Hic verò nihil præter meram pietatem consideras. Sic denique A-
Gen.15. braham Deo sterili Sarai filium promittenti credidit: verùm hæc præstantiorẽ fidẽ exhibuit, dum Angelo nun-
Luc.1. cianti, futuram se virginem sine virili semine matrem, credidit. Veram ergo hanc virginem sanctæ radicis habuisse naturam vides. Vnde rectè Propheta noster de ipsa radice exiuisse eam perscripsit. Quę cum ita sunt, non est difficilè videre, cur hanc diem natalem eius virginis festam peragimus. Vtique pro infallibili Dei veritate tua promissionis suæ post tot annos non oblitus,

vers-

verbum suum adimpleuit, lætamur. Lætamur & pro omnipotente virtute ipsius qua collapsam Dauid domum tam potenter ac miraculosè erigere potuit. Lætamur & pro bonitate ipsius, qua nullius hominis quantumlibet enormi peccato à suo proposito deflecti vult. Lætamur denique atque admiramur, quod hanc virginem mox natam, ad radicis naturam, ordinauit. Atque hinc vota gemitusque nostri sunt. Precamur enim, vt in nobis etiam veritatem, potentiam, bonitatem, gratiam amoremq; suum ostendat. Hæc huius festiuitatis causa est, quæ qua ratione celebranda sit, Ecclesia vno verbo docet, cum ait: Natiuitatem virginis celebremus, Christum eius filiũ dominum nostrum adoremus. Vides ergo quã nihil Ecclesia Christi honoribus hac festiuitate detrahere conetur. Id quod falsò quidam ipsi impingũt. Manifestam enim diuersitatem inter hanc virginẽ matrem, eiusq; filium ponit, tantumq; illius quidem memoriam peragit, hunc verò etiam adorat. Hanc ergo differentiam hic atque alijs omnibus festiuitatibus obseruemus: natiuitatẽ virginis celebremus, Christũ adoremus. Diuersissima vtiq; sunt celebrare atq; honorare. Nã etiã alias celebrare possumus. Deus aũt solus adorandus est. Propter hũc em̃ pater Deꝰ virgã Iesse florere fecit. Ipse flos est, quẽ virga Iesse protulit. Ipse benedictus fructus vẽtris Marię. Vnde & ipsi Ecclesia corde atq; ore meras atq; solidas laudes decãtat. Ecce qua ratione Ecclesia Diuorũ memorias celebrat, eorũq; suffragia petat, propriẽ tñ à Christo pẽdet. Hũc respiciti, adorat vti vnicũ Dñm. Sic sequere, nec offendas. Gratia Dei nobiscũ. Amen.

SERMO SECVNDVS.

In festo natiuitatis Mariæ, quo die R. P. Ioan. Ferus huius postillæ autor, animam quam acceperat, Deo (magna fundi nostri calamitate) tradit. Anno 1554.

CVm veterum Ecclesiæ procerum scripta reuoluo, non possum, nisi peculiari quadam eos deuotione affectos fuisse, quandocunque de Ecclesiæ solennitatibus scriberẽt dicerẽtue, vel cõsiderare vel iudicare: nempe non se solos erga Deũ rectè affectos esse sciebãt, verumetiam pietatis deuotionisq; autoris ardorẽ in ad-

iutoribus considerabant. Verùm (dolor) nunc planè videas contrarium. Vt enim magnam illi ex plebis pietate alacritatem conceperunt: ita ingens tædium, pertinax vulgi impietas nunc prædicatoribus ingerit. Nuper cum assumptionem huius virginis matris celebraremus, dicebam: nunquam plures querelarum obiurgationumque causas Ecclesiastis obtrudi, quam festis diebus imò necessarium video, semper atque de integro in contentionum palestram descendere, noua nouis insidijs arma opponere, nunc contra hæreticos, nunc aduersus personatos Christianos, nunc contra temerarios, nunc contra hypocritas, nunc contra negligentes, nunc deniq; cótra superstitiosos. Hos enim nunc omnes permixtos videas, & sanè plures malos paucioribus bonis. Et quæ Ecclesiastę voluptas erit in tanta auditorũ varietate? Alij festos dies plane respiciunt, alij manere quidem illos, sed non vti decet obseruare volunt, cum plus Iudaismi inducũt, quàm quod Christianum est seruant. Alijs etiam plus externa pompa, quàm interna pietas sunt. Alijs etiam non tam pium exercitium quàm reprehensibile otium sunt. Atque ita in festiuitatibus videas, quæ multum tædij pariant. Sed non ideo omnino silendum est. Quur peruersorum abusus pijs fraudi erit? An fortè ideò vineæ coli non debeant, quod multi vino inebrientur, multaq; mala moliantur? An ideo bonus ager desertus relinqui debet, quod nonnunquam in bono fructu suboriatur zizania? Hoc nemo prudens approbauerit. Quur igitur in Ecclesia omnia pessum ibunt, quia quibusdam pertinacibus quædam displicent, quibusdam abutantur? Nemo Christianus hoc dixerit. Agè igitur minus causæ est, vt hanc festiuitatem reiicias. Suis enim patres commodis illa vti potuerunt, multa piè meditati sunt in ea, deuotionem pietatemque hauserunt ex ea: quod si in nobis non itidem fructifera est, non festiuitas, sed nostra negligentia in culpa est. Neque enim alia, in quibus amplius multo situm est, nostris vsibus vtile impendere possumus. Quot enim sunt, quibus nec Sacramenta, nec Euangelium, nec ipse etiam CHRISTVS quicquam prodest: dum nullam inde nec pietatem nec spem concipiunt? Et quid miramur talibus hanc quoque festiuitatem

parum

parum adferre commodi: satis est multorum eam olim deseruisse commodis, atque pijs mentibus etiamnum commodare. Atque horum tantùm causa fusiùs aliquanto hac de re libet disserere. Et quidem nemo miretur, nos huius virginis in Ecclesia toties, & cum quadam etiam piarum mentium iucunditate, cum laude, cum gratiarum actione, cumq; honorificētia memoriam celebrare. Dauid enim Dei opera cum laude atque admiratione meditari in omnibus etiam creaturis, in quibus nec vita nec intellectus est, mandat: & quid in hac creatura, in qua Deus ipse maxima omnium magnalia sua irrefragabiliter operatus est? Et quidem verè Christianus quisque Christum summam spem fiduciamque summumque bonum semper ducit, et qua ratione hic matrem Christi, nisi omni dignam honorificentia, ducet? Qui me diligit (prouerbium est) etiam canem meum diliget. Si quis Christi amator est, sanè quæ Christi sunt diliget. Qui Christum amat, non potest eius matrem odisse. Et in veteri testamento Iuda domus honorifica erat omnibus, eò quod ex ea Christus nasciturus erat. Iuda, inquit Iacob, te laudabunt fratres tui: & qua reuerentia dignam iudicabimus eam, quæ suæ ex naturæ substantia hunc nobis Christum hominem genuit? Quod si cui ager est vberior bonorum fructuum, vtique eum maiori in pretio, & cariorem habet: & nobis Maria præter alias mulierculas gratior non erit? Nempe qui hanc nobis solam cœlestem illum panem protulisse nouimus, qui mundo vitam præstat: & veram vitam, quæ fructuum suorũ dulcedine omnem lætificat. Agè ergo minùs diffidam, fore, vt si quis piè sentiat Christianus, his rationibus motus hanc festiuitatem nihil arbitretur superfluum esse, etiam si sæpiùs in Ecclesia Mariæ celebremus memorias. Et hæc quidem in genere, hac de celebritate dicta sint: nũc verò ad alia quædam eiusdem generis accingar. Ac principiò quidem, vt rudiores aliquãto rectiùs huius festi causam intelligãt, quid vtiliùs faciam, nisi vt rẽ ipsam exẽplo siue similitudine proponã, nescio. Si cui arbor est ingenua, vnde pretiosos fructus sperat: vtiq; exultat, cum eam iã assurgere, roburq; sumere, gẽmas protrudere videt, fructus expectatos sibi pollicetur: si verò per accidẽs

Gen. 49.

inexpectatum læsa non augetur, si rami eius arescunt, iam totius arboris interitum timet, deque spe atque exspectatione omni labitur, nimirum si diuturnior fuerit calamitas, quod si postea longo temporis interuallo rursus virgulam prodeuntem, floremque germinantem viderit è radice arboris, certum omnem spem ipsius renouari, & quo antè desperauerit magis, eo amplius exultare, & pro subnascentis virgulę amœnitate omnis spei recuperationem sibi promittere. Vt enim certum est perituram esse arborem cuius rami arescunt, ita spes est vires resumere virescentem. Quod si oculos attollere libet, similia hic videbimus hodie. Quid enim hoc Euangelium præter arborem, ex qua CHRISTVS nasciturus erat, indicat? Et quis hanc arborem nouissimè aridam festam propè perijsse ignorat Scripturarum lector? Hæc præcipua hodierni gaudij causa est. Hodie enim nobilis atque veneranda Dauid Abrahamiq; stirps, ex qua quidem exoriri CHRISTVS saluator debuit, quæ propè interierat, in Mariæ natiuitate refloruit, floremque nobis exhibuit, ex qua postea fructus salutifer ortus est. Hæc credentibus nobis huius festiuitatis causa est & gaudij. Et hîc facilè videre est, quàm multa hinc considerանda veniant. Nemo autem miretur quod Dauid Abrahamiq; stirpem, arbori: Mariam, flori: CHRISTVM fructui comparauerim. Ipse enim Paulus huius rei mihi occasio est, dicens: Et si radix sancta, & rami. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus, noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo: fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene. Propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. Manifestum est Paulum his verbis Abraham stirpem arbori comparare: indicans Iudęos veluti natiuos ramos, propter incredulitatem ipsorum excisos esse: nos vero ex gentibus, quasi degeneres oleastros, ipsorum loco, in bonam arborem insitas esse per gratiam, ita vt non minus ipsi nunc pinguedinis & promissionis, quam radix ipsa tenet, capaces simus atque parti-

Rom. 11.

participes, quàm si ex ipso Abraham iusta propagine orti essemus. Hac ratione eo in loco Paulus ista collatione vtitur, sed ad institutum nostrũ nihil: tantum enim quod Paulus Abrahæ stirpem arbori comparet, indicare voluit. Sed & aliâs non infrequens Scripturis loquẽdi mos est, vt hominem arborem dicat. Sic Dauid virum iustum collatione arboris, fructum suum in tempore proferentis, describit. Ieremias hominem in Deum confidentem arbori confert, quæ iuxta aquas plantata, ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstas, cuius folium viride, & in tempore siccitatis non sit solicitum, nec aliquando desinit facere fructum. Qui autem confidit in homine & ponit carnem brachiũ suum, & à Domino recedit cor eius, erit quasi mirica in deserto, & non videbit cùm venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis & inhabitabili. Et Euangelio frequens id genus dicendi est, de bona malàue arbore. Tum etiam Philosophi hominem arbori comparant cum immersam eum arborem dicunt. Quemadmodum enim in arbore radix inferior pars est, & ex ea humor sursum surgit, ita conuerso modo in hominis capite veluti radix est, ex qua humores in reliqua membra omnia defluunt deorsum. Atque hæc omnia ideo dico, ne quis miretur Paulum Abrahæ genus arbori comparasse. Hanc verò si quis verè intueri, eiusque radicem, truncum, ramos, flores, fructusque cognoscere velit, hoc Euangelium respiciat, in quo omnia pro voluptate piorum veluti spectaculum quoddam ostensa sunt. Vidit quidem & Nabuchodonosor arborem magnam & fortem nimis, & proceritas eius pertingens cœlos, cuius aspectus vsque ad terminos vniuersæ terræ, & folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea. Subter eam habitabant animalia & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro. Sed hanc vbi insomnis Nabuchodonosor videret arborem, vox de cœlo veniens, dicit: Succidite arborem & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius. Et quę illic iucũditas esse potuit, vbi tã subitus finis sequutus est? Illa quidem mũdi pompam, in qua rex consedebat, significabat. Et hu

Psal. 1. Iere. 17. Matth. 17. 21. Luc. 13. immersam R. gem. [illegible]

ius sanè gloria magna videtur, sed corã iudicio non subsistit. At longè alia res hic est. Hæc sancta arbor, bona radice, mirabilis in ramis, iucunda flore, gratiosa fructu. Hanc DEVS plantauit, sua benedictione rigauit: vnde tot hyemes rigidæ, tot æstates siccæ, tempestates horridæ, venti impetuosi, tot denique degeneres verminosique rami hunc nasciturum ex ea arborem impedire non potuerunt. Hic liber (inquit Matthæus) generationis IESV CHRISTI, filij Dauid, filij Abraham. Abrahã genuit Isaac. Ecce radicem, Isaac genuit Iacob. Ecce truncum. Iacob genuit Iudam & fratres eius, & sic consequenter. Et hi rami arboris sunt. Postremò verò: Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, florem descripsit, de quo natus est Iesus qui vocatur Christus. Et hic fructus ille est. Quæ Matthæus breuissimè quidem innuit, nobis tamen reliqua indagandi occasionem præbuit. Etenim citò dixeris de Abraham genitus est Dauid, de Dauid Maria, de hac Christus. Sed longũ tempus requisitum fuit, priusquam eò se extenderet hæc arbor. Ter mille enim annos, historiographi ab Abraham ad Christum numerant. Interea tot calamitatibus quassata est hæc arbor, vt meritò grates referamus Deo, tam diu stetisse, dum hũc florem, & de flore Christum genuinum fructum protulerit. Pius hanc arborem consideret à radice vsque ad florem, omnia perscrutetur, & mera Dei magnalia inueniet. Principiò enim Deus loquens Abrahæ dicebat: Egredere de terra tua, & de domo tua, & de cognatione tua: & veni in terram quam ego monstrauero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi. Et: benedicentibus tibi benedicam, & maledicentibus tibi maledicam. Et: in te benedicentur omnes gentes terræ. Hæc radix hinc Matthæus exordium sumit. Lucas verò aliquãto remotiora perueſtigat, ab Adam exorsus, nec id sine ratione, id quod modò prætereo. Nunc enim in Matthæi narratione immorabimur. Hic Abraham ponit Radicem aridam, de qua nemo tantam speraſſet arborem. Qui sic? Iam ambo processerant in diebus suis, nec apti amplius gignendis proli bus, Septuaginta quinque annorum erat Abraham, Sara bis decẽ minùs habebat annos, cùm primùm ipsis Deus loquebatur, seminisque promissionem dabat.

Gen. 12.

dabat. Sed adhuc viginti & quinque annos expectare cogebantur, priusquam sterilitate ablata filios gignerent, ita vt ipsa demum hæsitare inciperet Sara. Vt vt autem arida esset radix, viresçit tamen. Et hoc vnde? Ex benedictione & promissione Dei. Hæc, inquam, benedictio, humor & pinguedo erat, qua ita augebatur arbor, vt ante etiam quam omnino quartam generationem transcenderet 600000. homines essent. Ita augebatur crescens, sed pleraque ex parte carie erant putridi. Vnde excidebatur, & in deserto moriebatur: quosdam ignis absumpsit, alios terra, serpentes, gladius abscidit, nihilominus tamen genuinus truncus perrexit, auctus. Ab Abraham per Isaac ducta genealogia ad Dauid vsque intaminata propago mansit. In Dauid promissio renouabatur. Atque hic spes erat auctioris meremenți, quemadmodum & in Salomone pulchrè inceperat, sed mox in eodem nodos torturasque inflectere incipit, idque virus vires postea magis magisque sumebat in Roboam, Abia, Achab, Manasse, Amon, Ioathan, Iechonia, Sedechia, ita, vt Deum cõniuere tæduerit, coque modo per Nabuchodonosor hanc arborem mutilari fecerit, vt nemo, nisi omnino actum esse de ea cogitaret. Id quod Ieremiaas & alij suis lamentationibus ostendunt. Sed natiui adhuc radici insederat humor, vnde cùm minimè speraretur, repullulauit. Post transmigrationem Babylonis, inquit Euangelista, Iechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel, Atque hæc spes magna fuit, cum genuinum germen permansit, quocunque tandem modo rami cæteri haberent. Quanquam autem & ipsum germen admodum dubile & languidum factum fuerat, cum quotidiè magis magisque deficeret, nullam potentiam, nullámue autoritatem haberet, cùm rerum summa ac Machabæos, qui ex tribu leui erant, deuoluta esset. Sed & ab his ablata ad Herodem alienigenam deueniebat. Atque hæc ea rerum facies erat, vt nulla ferè spes arboris residua esset. multi Herodis temporibus desperãtes de Dauid atque Abrahæ generatione, ab Iudaismo ad Gentilismum deficiebant. Pij verò qui pauci erant numero, aliquam adhuc fouebant, spem propterea quod Gen. 49.

Iacob per spiritum sanctum dixisset: Non auferetur sceptrum de Iuda, neque dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est: Et ipse erit expectatio gentium. Quò igitur magis sceptrum à Iuda & Dauid auferri magis videbant: eò propinquiorem esse Messiam sperabant. Id quod rei probauit euentus. Omnibus nihil præter extirpationem arboris cogitãtibus, ecce flos egreditur. Maria nascitur, hoc in tempore hæc virgo mater, cunctorum consolationi proponitur. Atque hic primùm fuit pijs dicere: Quę est istã, quę progreditur quasi aurora consurgens, ex aromatibus myrrhæ & thuris? Ecce, fratres, hæc causa huius festiuitatis est. Lætamur etiamnũ hodie grates persoluimus, quod Deus hanc arborem Abrahæ ac Dauid progeniem tam diu seruarit, in tot aduersitatibus & peccatis custodierit, quousque tandem flos hic ex ea pullulauit, qui fructum vitæ Christũ Iesum protulit. Vnde non immeritò dicimus. Natiuitas tua Dei genetrix virgo, gaudium annunciauit vniuerso mundo, ex te enim ortus est sol iustitiæ, Christus Deus noster, qui solués maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam. Hoc modo pij hanc sibi hodie proponant arborem, diligenterque omnia consideret, in flore delectetur, fructum apprehendat: & rectè hanc festam diem peregerit. Gratia Dei nobiscum. Amen.

IN FESTO DIVI MATTHAEI APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ. Euangelium Matthæi. 9.

ET cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæũ nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eũ, & factũ est discũbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes discũbebant cũ Iesu & discipulis eius: Et videntes pharisæi, dicebant discipulis eius: Quare cum

cum publicanis & peccatoribus mãducat magister vester? Et Iesus audiens, ait: Nõ est opus valentibus medico, sed malè habentibus. Euntes autem discite quid est: misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

EODEM FESTO EPI-

stola. Ephes. 4.

VNicuiq; nostrum data est gratia, secundũ mensuram donationis Christi. Propter quod dicit. Ascendens in altum captiuã duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. Quod aũt ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm ad inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est, qui & ascendit, super omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdã quidem Apostolos, quosdã autem Prophetas, alios verò Euãgelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei, & agnitionis filij Dei, in virũ perfectum, in mẽsuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli, fluctuantes, & circumferamur omni vẽto doctrinæ, in nequitia hominum, in austutia ad circumuentionem erroris.

SERMO VNICVS,

ac breuis.

DVo in hoc Euangelio audimus, quorum alterum quidem Matthæi, cuius hodie festiuitatem celebrem peragimus, vocationem apostolatus, alterum Pharisæorum murmurationem innuit. Vtrunque tamen ad nostram eruditionem, atq; consolationem facit. Quod ad primum, magna nobis consolatio est, quod

Matthæus

Matthæus licet plenum & onustum peccatis, Christus contumelioſe tamen non repulit, ſed ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum ſuſcepit, nec ſolùm eius domum ingreſſus, panem fregit, verumetiam ipſum dominum domus duodecim Apoſtolorum in numerum aſſciuit & ordinauit. Et quid hac gratia peccatori maius contingere poſſet? Et qua ratione ſuam Deus gratiam euidentiùs oſtendiſſet? Ergo igitur communicatis affectibus, hanc ipſam gratiam in Matthæo non modò magnificemus, verumetiam DEO propterea gratias referamus. Et hoc ipſum enim nos qui Chriſto nomina dedimus, maximè deceret. Hic enim apertè licet videre, quia vbi abundauit delictum, illic ſuperabundauerit & gratia, vt ſicut peccatum regnauit in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Hanc enim vocantis gratiam hæc nobis feſta dies meditanda proponit, qui licet necdum finem impoſuiſſet vſuris atque publicanis, Matthæum tamen hunc è medio iniquitatis eduxit. Quemadmodum & poſtea ſæuientem Saulum, qui totus in perditionem Eccleſiæ inſaniebat, conuertit. Iam verò Euangelium hoc ſediſſe in telonio Matthæum refert. Et quomodo ſedere potuit, cũ lege cautum erat, ne quis ex tribu Iſraël vectigal ſolueret? Huic Tertullianus reſpondet, Matthæum gentibus oriundum fuiſſe, cumq; ipſis conuerſatum, quouſq; vocaretur teſtificans. Iam verò hinc controuerſia quædam oritur: nempe in duodecim numero Apoſtolorum Chriſtum habuiſſe gentes: & tamen initio maximè hoc laborauit, ne quo modo labefactaret legem, ſed poſtea diſcipulis mandauit, in viam gentium ne abirent, nec in ciuitates Samaritanorum intrarent, ſed tantùm ad oues quæ perierant domus Iſraël. Contrà etiam nullum quidem manifeſtum extat teſtimonium, Iudæos ab exteris tributa poſtulaſſe: ſed multo magis contrarium, nempe ne quę læderent. Alienigenam non contriſtabis, inquit ſcriptura, nec affliges eum, fuiſtis enim & vos ipſi peregrini in terra Aegypti. Idem legimus in Leuitico atque Deuteronomio. Idem etiam Zacharias ait: Viduam, inquit, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari.

Roma. 5.

Acto. 9.

Matth. 10

Exodi. 22.

Leuit. 19.

Deut. 26.

Zach. 7.

Et

Et quid de Matthæo sentiendum est, Iudæus an Ethnicus fuit? Age igitur sic se res habet: Nullum in Iudæa vectigal exigebatur ante Babylonicam captiuitatem. Verùm postea vbi è captiuitate domum reuersi desertam viderent terram, multaq; ad instaurationem & structuram requirerentur, maximè ad viarum munitiones, exigi atque dari cœpit. Idque ad Christum durauit, qui & ipse pro se atque Petro tributum dari iussit, non quia debebat, sed ne quem scandalizaret. Hoc initium vectigalis in Israël fuit. Et huic rei Matthæus hic noster præfectus erat. Verùm ea omnium eius generis hominum, apud omnes reputatio erat Iudæos, vt indignos quibus cum conuersarentur iudicarent. Id quod vbique Euangelia testantur. Christus verò qui neminem spernit, nec personas accipit, multam huic beneficentiam exhibuit, ex publicano, Euangelistam fecit, eaque gratia dotauit, vt postea Euangelij regni Dei in Iudæa prædicator, in toto Mundo esset scriptor. Quo sanè Christus, hoc maximè docuit, quia non sit personarum acceptor, sed quod abiectum est in Mundo, eligat. Et hoc primùm ex hac vocatione Matthæi discendum est. Iam verò & ipsius vocati exemplum respiciendum est, qualem se post vocationem gesserit, hoc enim quid accepta fide præstandum sit docet. Illud verò in vita Matthæi vel præcipuum fuit, quod perpetuus ac strenuus Christi testis in morte vsq; esse perseuerauit, nec id in Iudæa tantum, verumetiam in gentibus. Est enim eorum in numero hic, qui non modò illo tempore viuentibus prædicando, sed & nunc credentibus scribendo regnum Dei annunciauerunt. Vnde & ipse cum alijs quatuor illis animalibus connumeratur quotidie clamantibus: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venit. Et hęc quidem alij etiam Apostoli clamauerunt, sed tantùm in die, hoc est, vitæ suæ tempore. Hic verò cum alijs quibusdam etiam in nocte, hoc est, post mortem clamat. Quid enim aliud in Euangelio suo, nisi de incarnatione Christi, de diuina ipsius maiestate, atq; natura, de magnis atq; ingentibus miraculis, per ipsum in carne factis, clamat? Sit ergo hoc ad nostram doctrinam dictum. Nam & nos vocati sumus, Deus gra-

Matth. 17

Apoca. 5.

gratiam suam in nobis magnificauit: Hoc agamus, vt firmi in ea qua vocati sumus vocatione perstemus, nec indignos nos ea gratia, propria culpa reddamus, verũ semper cum Matthæo ipsi acclamamus: Sanctus, sanctus, sanctus omnipotens qui erat, qui est, & qui venit. Hoc præstare, hanc esset festiuitatem piè celebrare, eoque modo Pharisæorum murmura & aliorum quibus hæ festiuitates minus placent, risus non modò nihil obessent, sed & prodessent plurimum. Gratia Dei nobiscum.

IN DIE SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI, EVANgelium. Matthæi. 18.

IN illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicẽtes: Quis putas maior est in regno cœlorum? Et aduocãs Iesus paruulum, statuit eum in medio eorũ & dixit: Amen dico vobis, nisi cõuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunq; ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum. Et qui susceperit vnũ paruulum talem in nomine meo, me suscepit. Qui autẽ scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credũt, expedit ei, vt suspẽdatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo ab scãdalis. Necesse est enim vt veniant scandala. Veruntamen væ homini per quem scandalum venit. Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum: quàm duas manus, vel duos pedes habentẽ, mitti in ignẽ æternum. Et si oculus tuus scãdalizat te, erue eum,

& pro-

& proijce abs te, Bonum tibi est, vnum oculum habentem in vitã intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.

EODEM FESTO EPIstola. Apocal. 12.

ET factũ est præliũ magnũ in cœlo. Michaël & angeli eius præliabantur cũ dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, & nõ valuerunt, neq; locus inuẽtus est eorũ amplius in cœlo. Et proiectus est draco ille magnus, serpẽs antiquus, qui vocabatur Diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt. Et audiui vocem magnã in cœlo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnũ Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illum ante conspectum Dei nostri die ac nocte: & ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui: & non dilexerunt animas suas ad mortem. Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis.

SERMO VNICVS.

PRæsens festiuitas non modò per se pia, verumetiam plena consolationis est, eoq; maiori deuotione celebranda. Vtiq; pias mentes decet in multis ac magnis DEI beneficijs, illa etiam vel semel toto anno meditari, quæ per Angelos suos nobis defert, atque propte-

propterea ipsum laudare. Imo verò quotidiè id facere non iniquum arbitror, qui quotidiè eiusmodi beneficia accipimus. Sed vtinã (vt nunc hominũ mores sunt) semel id tãtùm, ea qua decet pietate quotannis efficeremus, cuius tanta vbiq; occasio, maximè ex hoc Euãgelio subministratur. Si enim vel postremam in eo vocem considerauerimus, mox eum Psalmista exclamabimus.

Psal. 120. Ecce non dormitabit neq; dormiet, qui custodit Israël. Nusquam enim certiora indicia inuenies, Deũ sine intermissione pro nobis vigilare, curamq; nostri habere,

Matth. 18. quam eo ipso quod hic dicit: Angelos paruulorum semper in cœlis faciem patris videre. Tum Dauid testatur,

Psal. 90. quod Deus Angelis suis mandauerit custodire pios in omnibus vijs suis, vt portẽt eos in manibus suis, ne fortè offendant ad lapidem pedem suum. Tum Paulus hoc mandatum nõ vnum aliquem eorum, sed omnes in genere respicere docet.

Hebr. 1. Omnes ministratorij spũs sunt, missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Iam verò singulos homines, singulos angelos habere ex Christi verbis colligi potest. Videte, inquit, ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Ac si diceret: Credentis vel paupertatem vel humilitatem conditionis ne respicias, sed hoc magis, quod tanti apud Deum æstimatur, vt proprio ipsum Angelo custodiat, imò ipse Deus eius curam habeat: sitq; hoc indubitatum tibi, non te ipsum hominem, sed eius Angelum, imò ipsum Deum contemnere, si hominem ignominia affeceris: Angeli eorum, inquit, semper vident faciem patris mei qui in cœlis est, vbiq; Deum præsentem habent. Quę sanè verba manifestissimè indicant non dormitare neque dormire, qui suã nobis promisit tutelam. Ipse enim curã nostri gerit. Quod quantum sit, Dauid alibi ostendit cum ait: Quid est homo, inquit, quod memor es eius, aut filius hominis quia

Psal. 8. visitasti eum? Minuisti eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersos, insuper & pecora campi. Et cui alteri creaturæ tanta Deus, vt homini, exhibuit?

Imò

Imò verò quam non creaturam hominis vsibus Deus formauit atque ordinauit, in cœlo & in terra? Et hæc licet sciamus, ipsi tamen non adhæremus, ab ipso deflectimus. Et quid prætere a facere nobis debuit? Cum nihil essemus, ipse creauit nos: simulque nobiscum, ante nos, quæ necessaria nobis sunt, fecit: postea verò propria voluntate deperditos, & desperatos redemit nos & reparauit. Insuper ea securitate munuit, vt, si voluerimus, liceat esse tutis, & quidem sine difficultate. Contra hominum enim impiorum incursus, Secularis Magistratus gladij auxilium dedit: Contra peccati insultus, Spiritualem potestatem contulit: Contra inuisibiles hostes, nempe diabolos, inuisibilem Angelorum tutelá proposuit. Vnde rectè ad Deum pijs licebit exclamare: Ad te domine leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Auxilium meum à domino qui fecit cœlum & terram. Tũ & confitenter in tribulatione positum fratrẽ consolabitur: Nõ dormitabit neq; dormiet qui custodit Israël. Dominus custodiat te, dominus protectio tua, super manum dexteram tuã. Per diẽ sol non vret te, neq; luna per noctẽ. Dominus custodiat te, ab omni malo custodiat animam tuã dominus: dñs custodiat introitum tuũ & exitum tuũ & hoc nunc & vsque in seculum. Ecce hanc consolationem hodierna festiuitas confert. Hæc nostra erit meditatio, vt Deo pro magna sua dilectione atqui cura gratias agamus ipsum pro gratia sua prædicemus: Angelos eius denique pro indefesso ac fido ministerio veneremur. Nũc ergo quisque suum angelum appellet, ipsumque colat, nec aliquem diem, qua ipsum non precetur, aut gratias agat, Iacob patriacham sequatur, qui tota nocte cum angelo luctabatur. Quæ sanè colluctatio nil aliud præter fletum, & orationem erat: Osee teste. Non dimittam nisi benedixeris mihi. Ante omnia autem, ne hæc Dei auxilia amittamus, caueamus. Qui enim pijs bonos angelos deputat, idem impijs malos præponere potest, sicut scriptũ est: Misit in eos iram indignationis suæ indignationem, & iram, & tribulationem, immissionem per angelos malos. Sic etiam de Saul dicitur: Spiritus domini recessit à Saul, & exagitabat eum Spiritus nequam à domino. Caueamus ergo ne sanctos à nobis

Gen. 32.

Psal. 77.

1. Re. 16.

expellamus autem, quando cõtrario modo aduersus ipsos viuimus. Manent autem cum quæ ipsi diligunt, amamus. Similitudo enim affectuũ causa dilectionis est. Sũt ergo in sua natura angeli puri atque casti: humiles obedientesque erga Deum: benigni in homines. Et tu puritatem castitatemque vitæ apprehẽde, humilitatem atq; obedientiam sectare, maxime proximi benignitatem amoremque indue, non modò vt ei beneficia prestes, verùm etiam vt eum à scandalo & ira cõserues, sic bonis Angelis tecum esse voluptas erit. Hæc sunt, quæ hodiernum exigit Euangelium, in quo Christus paruulorum exemplo ad puritatem vitæque innocentiam, tum humilitatem simplicitatemque vocat: deinde etiam ad dilectionem incitat, tandem verò minis à scandalo deterret. Hæc hodie & cogitãda & faciẽda sunt. Ideò enim hoc Euangelium de Angelis legitur, quod si cõtrarium fecerimus, non iam angelici sed dæmoniaci sumus mali. Id quod ipse angelorum Deus à nobis auertat, Amen.

IN DIE APOSTLORVM SIMONIS ET IVDAE Euangelium. Ioan. 15.

HÆc mãdo vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odio, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mũdo fuissetis, mundus qũod suum erat diligeret. Quia verò de mundo nõ estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus Memẽ tote sermonis mei, quẽ ego dixi vobis: Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem & locutus fuissem eius, peccatum nõ haberẽt. Nũc au-

autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & patrem meũ odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderũt, & oderunt & me & patrem meũ. Sed vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis. Psal. 108.

EODEM FESTO DIE

Epistola. Roman. 8.

Scimus quoniam diligentibus Deũ, omnia cooperantur in bonũ, ijs qui secundũ propositũ vocati sunt sancti. Nã quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos aũt prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit hos & iustificauit. Quos aũt iustificauit, illos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Qui etiã proprio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiã cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui & est ad dextrã Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, Psal. 43.

cipatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

SERMO VNICVS.

quando hæc festiuitas in.22. Dominicam Trinitatis incidit.

NOn incongruè Simonis & Iudæ Apostolorũ festiuitas Dominicali Euangelio atq; Epistolæ conuenit. Vtrunque enim Euangelium præter & iuxta fidem proximi quoq; dilectionem, non sine singulari seueritate à nobis exigunt. Tum quod Paulus in Epistola docet verbis, manifestè in amborum Simonis & Iudæ
Ioan.15. consideramus exemplis. Hoc mando vobis, vt diligatis inuicem, Christus ait. Seueriſsimè dictum: Neque enim facilè id genus voces multas inuenias: Mãdo, præcipio, imò nusquam, nisi vbi de proximi dilectione loquitur. Hanc non simpliciter proposuisse sed mãdasse vult. Mãdatum, inquit, nouũ do vobis, vt diligatis inuicem. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Et hic: Hoc mando vobis. Atq; hic mihi, consilium an præceptum sit vide: an in tuo arbitrio stet facere: an necessitate astringaris. Vtique proximi dilectio necessario fidei additur, si modo Christiani dici, coramq; Christo perstare voluerimus. Hoc mando vobis, inquit, Christus. Atque hæc sanè pijs dicta sufficerent. Sed adhuc seueriùs in Dominicali Euangelio isthæc proposita dilectio est. Illic enim proximi dilectio non modò præcipitur, verumetiam sub grauissima Dei irę pœna, æternaq; damnatione cuiq; nostrum imponitur, quodque hoc suum mandatum seueriſsima intentione exacturus sit Deus, indicatur. Est enim totum illud nihil aliud, quàm si diceret. Videte & considerate, discipuli mei, qui erga vos ipse fuerim, qualem me fore promiserim. Peccatores fuistis, recepi vos in gratiam: multa debitorum onera vobis incumbebant, remisi omnia: potuissem ego pro iustitiæ seueritate in vos animaduertere, misericordiam præstiti: idem facio quotidiè, nec quicquam non

facturum me spopondi quandocunq; gratiam petitum ad me ieueritis. Sed idem inuicem faciatis, operam date: sin verò, & ipse contraham manum meam, oculos mentemq; à vobis auertam: non vos meos cognoscam, sed velati seueriſsimus Iudex inexorabilisq; ero: Licet benignus antè fuerim, talisque porrò esse erga vos magis elegerim. Atque hæc Euangelij Dominicalis intentio est. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Et hęc sanè satis strictè dicuntur, & demonstrant, quare alibi Christus dicat: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem: Ecce quomodo pulchrè hæc duo Euágelia, cõsentiant, quæ ideo aliquanto plus roboris in nobis haberẽt, quod non vno aliquo Christus in loco, sed vbique tanta grauitate de dilectione loquitur, vt quàm maximè in suis requirat, sine qua ne credentes quidem suos agnoscat. Sint ergo hæc de vtroq; Euangelio dicta. Iam etiá Epistola Dominicalis cum ipsa festiuitate cõferenda est. Sic Paulus ait: Confido in vobis, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Sicut est mihi iustũ hoc sentire pro omnibus vobis: eõ quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Euangelij socios gaudij mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiã vos omnes in visceribus Iesu Christi. Et hoc oro, vt charitas vestra magis magisque abundet in omni scientia & in omni sensu: vt probetis potiora, vt sitis sinceri & sine offensa in diem Christi repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum in laudem & gloriam Dei: Ecce quæ Pauli erga alios dilectio, cura, condolentia fuerit. Testis est mihi D E V S, inquit, quomodo cupiam vos omnes in visceribus meis. Eiusmodi si quam mentem occupat dilectio, atque regnat: facit vt nihil tam cogitemus, quàm qua ratione proximus iuuari queat, quomodo acceptæ gratiæ dona illi communicemus. Hanc non vnus Paulus, sed cæteri quoque Apostoli omnes habuerunt genuinam dilectionem. Exiuerunt, atque Euangelium vbique prædicauerunt ea grauitate eaque seueritate, vt citiùs famem, sitim, contumelias, persecutionesque, imò ipsam etiam mortem fuiſſent passi, quàm

Matth. 18.

Phil. 1.

neglexissent quæ alijs prodesse ad salutem potuissent.
Acto.4. Quotquot enim erant, omnium tamen, Luca teste, cor vnum & mens vna erat. Nempe illud ipsum est, quo se veros Dei filios, discipulos, atque imitatores Christi ostenderunt. Tales enim filios Deus requirit, tales & ipse CHRISTVS discipulos exigit. Atque ex his, arbitror, facilè erit quomodo non solùm ambo Euangelia, verumetiam Epistola atque hæc festiuitas pulchrè sibi cõsentiant, & quod nõ simplex, sed quadruplex credẽtibus ad dilectionem incitamentum hodie detur, colligere. Euangelium enim Dominicale dilectionem respicit, festiuale eandem præcipit. In Epistola suam quoque Paulus ostendit, & hanc ipsam, in ambobus Apostolis cõsideramus. Tot ergo dilectionis incitamẽta ne fratres ventis committamus, sed in Charitate ambulemus magis vt simus filij patris nostri qui in cœlis est. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE OMNIVM SANCTORVM DEI EVANGELIVM.

Matthæi. 5.

VIdens Iesus turbas ascendit in montẽ: & cum sedisset, accesserunt ad eũ discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebũt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mũdo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabũtur. Beati qui persequutionem patiũtur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum

cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malũ aduersum vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniã merces vestra copiosa est in cœlis.

EODEM FESTO DIE

Epistola. Apocal. 7.

ET vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum DEI viui: & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ & mari dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus suis. Et audiui numerum signatorum, centũ quadraginta quatuor milia signati ex omni tribu filiorum Israël. Ex tribu Iuda, duodecim milia signati. Ex tribu Ruben, duodecim milia signati. Ex tribu Gad, duodecim milia signati. Ex tribu Aser, duodecim milia signati. Ex tribu Neptalim, duodecim milia signati. Ex tribu Manasse, duodecim milia signati. Ex tribu Simeon, duodecim milia signati. Ex tribu Leui, duodecim milia signati. Ex tribu Isachar, duodecim milia signati. Ex tribu Zabulon, duodecim milia signati. Ex tribu Ioseph, duodecim milia signati. Ex tribu Beniamin, duodecim milia signati. Post hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stãtes ante thronum, & in cõspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni &

seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas & adorauerũt Deum, dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorũ, Amen.

SERMO PRIMVS.

Sic honorabitur siue hoc honore dignus est, quemcunque Rex voluerit honorare. Esther. 6.

CONuenientius huic sermoni exordiũ nescio, quàm verborum quibus olim D. Augustinus vsus est, recitationem. Hodie dilectissimi, inquit, omnium sanctorum, sub vna solennitatis lætitia celebramus festiuitatem, quorum societate cœlum exultat, quorum patrociniis terra lætatur, quorum triumphis Ecclesia sancta coronatur, quorum confessio quanto in passione fortior tanto est charior in honore, quia dum creuit pugna creuit & certantium gloria, & Martyrij triumphis multiplici passionum genere adornatur, per quæ grauiora tormenta gratiora fuere & præmia. Beati estis, inquit CHRISTVS, cum maledixerint vobis homines & Matth. 5. persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Dei enim ineffabilis & immensa bonitas etiã hoc prouidit, vt laborum quidem tẽpus & agonis nõ extenderet, nec longum faceret aut æternum, sed breue, & vt ita dicã, momentaneũ. Vt in hac breui & exigua vita agones essent & labores, in illa verò quæ æterna est corona & præmia meritorum: vt labores quidẽ citò finirentur: meritorum verò præmia sine fide durarent: vt post huius mundi tenebras visuri essent candidissimã lucẽ, & accepturi maiorem passionũ cunctarũ, acerbientibus beatitudinẽ, testante hoc Apostolo, qui ait: Nõ sunt cõdigne passiones Roma. 8. huius tẽporis ad superuenturam gloriã, quæ reuelabitur 1. Cor. 2. in nobis. Et iterum non oculus vidit, nec auris audiuit, Isaiæ. 64. nec in cor hominis ascendit, quæ præparabit Deus diligenti-

gentibus se. Quàm læto igitur sinu de prælio reuertentes ciuitas cœlestis excipit, de hoste prostrato trophea ferentibus occurrit. O magnitudinẽ honoris atq; gaudij, quando Christus ipse oues suas in æternum ouile suum annumerauerit, vnicuique mercedem promissam dederit, pro momentaneis, æterna: pro terrenis, cœlestia: vbi ad paternæ eos claritatis faciem adduxerit, in cœlestia bona collocans, regnum cœlorum aperuit, æternitatemque amatoribus suis & immortalitatem largitus fuerit, atque eos quos sanguinis sui viuificatione reparauerit denuo in paradisum reduxerit. Idque fide & veritate suæ pollicitationis. Hęc hęreant firmiter sensibus nostris, hæc intelligantur plena fide, hæc toto corde diligantur, hæc indefinentium operum magnanimitate acquirantur. Via salutis strata est, multa milia nos præcesserunt tantùm ne tardantes nobisipsis impedimento simus. Curramus iter vitæ, reuertamur ad ciuitatem cœlestem, in qua scripti sumus & ciues decreti, non sumus hospites, sed ciues sanctorum & domestici Dei, etiam illius hæredes, cohęredes autẽ Christi. Considere mus inclytam vrbis huius, huius fœlicitatem, in quantum considerare possibile est. Vt enim verè est, comprehendere nullus sermo sufficit. Et quid scriptura dicit? Ciuitas illa non egebit lumine solis, sed domus omnipotens illuminabit eam. Et lucerna eius est agnus. Et portæ eius non claudentur per diem. Nox enim non erit illic, nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abomination faciens & mendacium: dolor tristitia & gemitus aufugent. Et quid hac vita beatius, vbi nec egestas, nec morbus timetur. Nemo lædituir, iracitur nemo, nemo inuidet. Non est senectus, non miseria, cupiditas nulla exardescit, nullum sibi desiderium, nulla honoris pulsatio, aut potestatis ambitio. Nullus Diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul: mors vbi nulla nec corporis nec animæ. Verùm super hæc omnia est cõsociari angelorum & archangelorum cœtibus, thronis etiam & dominationibus, principatibus, & potestatibus. Ad hæc omniũ fœliciſsimum est Deũ videre, cuius decus, pulchritudo, virtus, gloria, magnificentia, atq; maiestas omnem sermonem aufugit. His verbis

Eph. 2.

Isa. 35.

D. Augustin⁹ in hac olim solēnitate ad populū vsus est. Et sanè cui rei hęc solennitas seruiat ex his facilè erit intelligere, quando tantā nobis spem cōsolationemq; adferant: nēpe quod Deus non iam temporanea atq; spiritualia, verūetiam æterna daturus sit. In lege quidē terrena promisit, in Euangelio spiritualia, hæc verò solēnitas æterna pollicetur. Hæc verā fœlicitatē conferunt sola, verùm iustis tātùm repositā. Hæc sunt quasi funiculus triplicatus, quo Deus nos trahit, & sanè his qui non trahitur, spē nullam de se pollicetur. Et publicani quidē atque ephori nec Deum nec fœlicitatē curabant, attamen vbi Christus spiritualia promittebat, accurrebāt. De Iudæis nihil dico, qui animales, tātùm carnalibus acquiescebāt. An verò pios nō traheret, his trib⁹ simul propositis omnibus: quemadmodū hodie nō in vno aliquo sed in multis fratribus milibus completa videmus? Hac nos parte laboramus maximè, quod hanc festiuitatem non respicimus. Alioqui satis impelleret atq; incitaret. Copiosiùs igitur aliquanto de hac solenni celebritate mihi dicendū est. Neq; enim toties admonere, tantaq; grauitate impelle possumus, vt non vel maxima pars desides torpescant. Sed ne longiùs vos suspendam, vnicā tantùm historiam libet proponere, imò verò cogitandā vobis permittere. Et ea quidem eiusmodi erit, quæ ad docendum ea quæ hodie meditanda sint, quæ sanctorū Dei vita fuerit, quæ modò beatitudo ipsorū quæq; futura sit in æternum, quid in illis Mundus, quid Deus operatus sit atque fecit, sufficiat. Est autem ipsa Mardochæi historia, quæ meo quidem iudicio, non iniquè huic conuenit festo, hæc inquam, ad incedendū in sanctorum vestigijs nos incitabit facietq; nos minus dubitare, imò quicquid ad hanc festiuitatē attinet, ostēdet. Accipe ergo quid illa historia referat. Refert liber Esther, Assuero Monarcha Persiæ, duos fuisse viros in regno ipsius lōgè diuersissimos, alterum Aman potentem quidē illum in aula, sed impium: alterum Mardochæum Iudæum, non quidem mundo celebrem, sed Dei timentem, fidumque regi. Illum quidem opulētia, honoribus, fortunis, maxime verò Regis fauore eò adactū fuisse arrogantiæ, vt sui ipsius oblitus, sibi immeritos honores appeteret, omnium ge-

nicu-

niculationem atque adorationem exigeret. Verùm contra Mardochæum, qui id solus facere nollet, ira deseuijsse, mortis in illum pœna, nec solùm in illum, verumetiã in omnes reliquos Iudaicæ gentis animaduertere statuisse, atque eò rem deduxisse, vt edicto quodam, omniũ Iudæorum interitioni indicta esset dies. Ad hæc patibulum in suis ædibus erexisse, scilicet necis Mardochæi instrumentum, huiusque potestatem à Rege, postera luce sibi promisisse, nec quicquam ad totam hanc rem perficiendam præter tempus, quo Regem audire liceret postulauisse. At Regem noctem illam duxisse insomnem (Deo ita prouidente) iussisseque historias atque annales priorum temporum adferri, ventumque fuisse ad illum locum, vbi scriptum erat, quomodò nũciasset Mardochæus insidias eunuchorum Regem iugulare cupientium. Hæc tum audienti, & quid pro hac fide præmij cõsecutus fuisset Mardocheus, quæreti regi, responsum esse: nihil. Tum accersito Aman, necemq; Mardochæi illa ipsa hora paranti dixisse: Quid debeat fieri viro quẽ Rex honorare vellet. Illum verò, nihil minus quã Mardochæo tantos honores parari cogitantem, seque ipsum solum ijs dignum somniantem, respondisse: Hominem quẽ Rex honorare cupiat, indui debere vestibus regijs, imponiq; super equum qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum, huius equum tenere primum de principibus ac tyrannis regijs, perq; plateas præire, clamare ac dicere: Sic honorabitur quem cunq; Rex voluerit honorare. Paulo post autẽ Aman ipsum indignationem regis promeritam incidisse, inque non his vsibus suæ domus patibulũ paratum, fuisse suspensum: cõtrà Mardocheum summis honoribus exaltum horrẽde comminationis edictum reuocauisse, aliudque illi contrarium quo decretum erat, hostes persequutoresq; Iudæorũ vna die iugulari, erigi procurauisse: atq; ita factum fuisse piorum omniũ exultatione & tripudio, impiorum verò extrema perditione. Hãc historiã hic libet intueri. Et quidẽ secularis quędam historia, nihil ad hãc festiuitatẽ faciẽs. Sed si penitius introspicere voluerimꝰ, eadẽ Dei opera iudiciaq; in ea annotata comperiemus, quę hodie in electis prædicamꝰ atq; extollimꝰ omnibus.

Nil

Nil refert Assuerum tanquam hominem Ethnicum huc non respexisse. Imò verò verisimile est ipsum & cum in Iudæos, & cum in Aman decerneret, nec Deum nec Dei cogitauisse iudicia: nihilominus tamen hæc mera sunt Dei iudicia. Et huius plus quàm Assueri iudicia cõsideranda sunt. Nam & malorum sæpè consilia atque opera ad sua magnalia conuertit. Si quæris exemplũ? Deus per Christi mortem humanum genus liberare statuerat. Iudæorum tamen ad hanc rem vtitur malitia. Et hi quidem parum admodum humanam redemptionem cogitabant, tantùm vt suam in Christo inuidiam explerent. Et longè aliter Euangelistæ indicãt. Sic de Pilato: Voluit Deus filium suum per vniuersum mundum designari regem. Ad hanc rem Pilati Crucis titulum scribentis manum Deus vsus est. Id quod Pilatus minimè cogitabat, tantumque Christum seditiosum euulgare, quo à nomine iniqui facinoris culparetur, volebat. Ita hic quoq; ostendere voluit impiorum interitum, piorum verò salutẽ. Et hanc rem idoneis, Aman & Assuero vsus est. Propterea non hi, nec etiam Mardocheus tantùm, sed in primis Deus intuendus est. Huius in hac historia, iudicia operaque consideranda sunt. Amã quidem pios perdere studuit, Mardochæus dãnationis sententiam sustinebat. Vtrobiq; Deus operabatur, tandem etiam suo iusto decernit iudicio, quo pij liberati, impij trucidati sunt. An non etiam hodie eiusmodi iudicia Dei inueniri putas? Quod Aman contra Iudæos, hoc etiamnum Satan cum mundo machinatur verè credentibus. Quod Mardochæus cum suis sustinuit, idem nũc etiam pij à mundo perferre coguntur, vtrobique Deus permissio est, quæ impiorum in pios sæuientium malitiam ad tempus sustinet, sed non in æternum silet: piorum verò ad modicum tribulationes aspicit, non tamen in finem misericordiam suam abscondit. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: sed nouit suos de tentationibus eripere, nouit & perdere impios. Hæc præsens festiuitas ostendit. Et hac ratione Assueri regnum, nil nisi præsens vita est, quæ semper bonos mixtos malis habet. Amã malorum speculum est, qui nec ipse Deum reuerebatur, nec pios ferre voluit. Mardochæus piorum exẽplum est, qui

Psal. 124.

Dei

Dei timens, omnia tamen aduersa expectare habuit. Vt igitur Aman Mardochæum, sic mundus impius iustos non sustinet. Id quod omnes testãtur historiæ. Superioribus annis multis Ecclesiastica historia exemplis ostendi, qua peruicatia hic Aman ab ipso exordio mundi contra fratres nostros in Ecclesia desæuierit, quidque hi passi sint. Christus ea prædixerat: Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Et: Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Neque enim Aman secus facit quãdiu hoc ipsi à Deo permissum fuerit. Hoc festum intueamur, & videbimus Deum non minùs mirabilem in mutatione fratrum nostrorum, quàm in Mardochæi variatione. Quibus ipsi persequuti sunt, interierũt: ipsi verò qui persecutionẽ passi sunt, ad summos honores euecti sunt. Et hunc Satanam atque ipsum Mundum suos labores conferre prẽter voluntatem, oportuit, quemadmodum & Aman mortem quidem Mardochæi machinabatur, sed præire eum, coramque omnibus honorem deferre, eiusmodi planè, quem ipse nunquam consequutus fuisset: in equum regium collocare eum, regiam vestem induere, diadema capiti eius imponere, anteire atque acclamare: Hoc honore dignum esse quẽcunque rex honorare voluerit. Hæc Aman in Mardochæo obtinuit. Et quid præterea Mundus lucratus est in fratribus nostris, nisi quod ad summos honores perduxit. Tyrannos omnes recesse: quid obfuerunt? Nihil. Quin hoc magis effecerunt sæuientes, quo nunc totus Mundus ipsorum prædicet fidem constantiamque. Quod si Tyranni non sæuijsset, dimidia Martyrum pars, ne quidẽ conuersa fuisset. Visi sunt oculis insipientium mori, & exitus ipsorum æstimabatur insania. Quod si nondum hoc videt Aman, suo tamen experietur tempore, quod Salomõ dixit impleri: Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & abstulerunt labores eorum. Et nos quidem isthæc experientia didicimus: Nihil contemptibilius in terris fuit sanctis, nihil nunc ijsdem præstantius. Nomen eorũ in vniuerso Mundo claret. Saulus initio ipsos persequebatur, postea ipsis cõiunctus defendebat atque laudabat. Sancti per fidem vicerũt regna, operati sunt iustitiã, adempti repromissiones, obtura-

Ioã. 15. 16.

Sap. 3.

Sap. 58. 7. 5.

Heb. 11.

turauerunt ora leonũ, & vim ignis extinxerunt, conualuerunt in infirmitate, effugerunt aciem gladij, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. An non & hic tibi Amá quidam fuisse videtur, qui quem prius perdere voluit, huic postea equum ducit & clamat: Hoc honore dignus est, quẽcunq; Rex honorare voluerit? Ecce hæc præsens festiuitas indicat, quæ meritò nos conformant aduersus omnia Mundi aduersa, omnemque tyrannidem impiorum, quando hodie tot nobis proponuntur milia fratrum nostrorũ, quibus ista non modò nõ obfuerunt, verumetiam vehementer profuerunt. Primò in iudiciorum Dei admirationẽ nos inducere debent, in quibus, Deũ omnia quæcunq; aduersum nos moliũtur impij, in nostram vtilitatem posse conuertere videmus. Tũ iucunditate quadam nos erga fratres perfundere, in quibus iã dudum Deus magnalia sua operatus est. Sed & in omnem pietatẽ incitare nos, quod tanto sanctos honore dignari Deũ ipsorũ exemplo discimus. Regijs eos vestibus ornat, imponit in equũ regium suũ, regio diademate decorat, tũ hostes ipsorũ præire, ipsorũq; laudes personare facit. Et quæ vestis illa regia? Quod liberatu non solũ à peccato, sed & à peccati formidine, quá à nobis ipsis non habẽtes, iubemur emere. Regius equus est, ab omni malo securitas, vnde cõfidentiùs agere possunt. Aureum diadema, plena animæ corporisque beatitudo est, qua ipsos circundat vndequaq; ne quid deficiat. Et hoc digni sunt honore. Id quod ipse etiam mũdus nolit velit cõfiteri cogitur. Atq; ab initio quidẽ hũc honorẽ impedire studuit, sed nõ potuit, imò promouere coactus fuit. Atque hæc nobis ad pietatem incitatio erunt. Non enim omnibus, sed ijs tantùm quos rex honorare vult, contingunt. Iam verò hos honorare vult, à quibus ipse priùs honoratus est, ipsi seruiunt. Mardochæus sis oportet, non persona sed imitatione, si tamen honoris huius particeps esse volueris. Vita imitanda est sanctorum, si honorẽ consequi voluerimus sanctorum. Regnum cœlorum in nostra potestate cõsistit: vim patitur, & violẽti rapiũt illud. Aliud nõ quẽrit pretiũ quã teipsum. Tantũ valet quantũ tu es. Te da, & habebis illud. Nemo turbetur de pretio. Christus semetipsum tradidit, vt acquireret te in regnum

Apoc. 3.

Matt. 11.

Dei

Dei patris, ita & tu teipsum da, vt sis regnum eius, ac nō regnet peccatum in mortali tuo corpore, sed spiritus in acquisitionem vitæ. Vt igitur cum Augustino exorsus sum, ita cum eodem concludam. Ad hanc inquit, operū salutariū dilectissimi palmā libenter ac prōpte certmuus omnes in agone iustitiæ, Deo & Christo spectāte curramus. Et qui seculo & mūdo maiores esse cœpimus, à cursu nostro nulla seculi cupiditate tardemur. Si expeditos, si celeres in hoc operis agone, si currētes dies vltimus inuenerit, nusquā dñs meritis nostris ad præmiū deerit remunerator. Quod coronā purpureā in persecutione pro passione donauit, ipse in pace viuētib. pro iustitię meritis dabit candidam. Nā & Abrahā, nec Isaac, nec Iacob occisi sunt, & tamen fidei & iustitię meritis honorati inter patriarchas primi esse meruerunt. Memores esse debemus voluntatē nō nostrā, sed Dei facere debere. Atq; huic hodie prodesse nō nihil possent. Gratia Dei nobiscū, Amē.

SERMO SECVNDVS.

QVo conuenientiore modo hunc sermonē exordiar, quā si ea quæ heri ex Regū libris audiuimus, rursus in memoriam reuocauero, nescio. Quanquā perinde est, ac si nigrū albo cōpares, Illic. n. quid Adā soboles cogitet, loquatur, moliatur, efficiat: Hic verò quid Dei filij sint atq; cogitēt, videmus. Illi pro terreno regno sudant, hi pro æterna patria certant. Atq; hæc perinde atque nigrum ab albo dissident: Nihilominus ad rem faciunt, nēpe vt cōparatione duorum: rectiùs quid Dei, quid mundi huius spiritus sit atque faciat, cognoscamus. Adde quod et responsionem faciliorem facit contra eos, qui eiusmodi festos dies, hāc maximē celebritatem, ridēt, superfluumque, omniū sanctorū memoriam tanta honorificentia peragere, iudicant. Non enim spiritui sancto vanum quid, aut inutile visum est, sed & scripturis ostenditur, quomodo Deus antiquitus sua iustitia atque ira in impiorum animaduersione vsus sit, qui nihil aliud sunt, quàm vasa iræ, præparata, in interitum, & in vindictam iræ Dei. Tum verò nec hoc vanum erit, qua ratione Deus misericordiam suam gratiamq; in vasis misericordiæ atque gratiæ ostenderit, cogitandum proponere. Illud quidē vt timere, hoc vt sperare doceamur. Illud timorē,

hoc

hoc Dei dilectionem atq; amorem suadet. Iam vero omnino præstat, omnia nos ex animo atque vltro facere, quàm ad id faciendum impelli. Si ergo impij Roboam eiusque populi malitiam, imò impietatem & incredulitatem, tum sequentem pœnam S. scriptura tam apertè describit, ad deterrendos monèdosq; posteros: sanè, quod in Ecclesia fidem, dilectionem, patientiam Dei electorũ commemoramus atque prædicamus, nemo mirari debet. Nempe nobis cæterisque Christianis omnibus exẽplo atque incitamento est, quicquid in sanctis cognoscimus pulchrũ. Has duas ob causas hodierna festiuitas, hesternaque Roboam historia pulchrè conueniunt: nempe vt spiritum Dei eiusq; effectus ex oppositis rectius cognoscamus, nostramq; hanc festiuã solennitatem melius defendamus. Et certè non parui momenti, cui fundamento Ecclesiæ festiuitates innitãtur, & quid in pijs spiritus sanctus efficiat, cognoscere. Facilè enim in abusum abeunt Ecclesiæ festiuitates, quantumlibet rectè institutæ, quarum causæ ignorantur: tum citò ad prauam impiamq; vitam dilabimur, vbi non & iuxta Euangelij sermonẽ, exemplum eorum, in quibus Spiritus sanctus ab initio operatus est, proponitur. Quod qui credere nolit, seculi respiciat huius mores. An nõ Ecclesię festiuitates apud plurimos, in pernicioſum abusum abierunt? Non hic de plurima parte illorum, qui his festiuitatibus in otium, imò peccandi occasionem abutuntur loquor: sed de his mihi sermo est, qui seueriſsimè ijs intendunt: Hìc quanta superstitio, hypocriſis: quàm nihil veræ pietatis, cultusque Dei genuini est? Vnde id verò: niſi quod nulla cur institutæ sint cogitatio? Ea verò & aliarũ rerum conditio est: An non totus Christianus orbis etiam illi, qui inconsultis, imò immeditatis prędicationibus suis nõ minima huius mali causa sunt, de vitæ impietate, nempe iuuentutis conqueruntur? Vnde id verò: niſi quod sublatis è medio sanctorum exemplis: contrà: Ethnicarum, Turcicarum, bellicarum, inhonestarum, impiarumq; rerum imagines ipsorum præfigimus oculis? Et quid hinc sperandũ tandem est, quam posteris nostris relicturi sumus Ecclesiam, qui Dei cultu superstitioſi, moribus Mahumetici sumus? Agè ergo eò charior hæc nobis festiuitas erit, eò

diligen-

diligentiùs atq; alacriùs circumspiciemus ad eorum exempla, qui in vita sua non modò in via Domini ambulauerunt, verumetiam modò patriam consequuti sunt. Et horum hodie non vnus aliquis, sed multa milia ante oculos nostros ponuntur. Audiui numerum signatorũ, inquit Ioannes, centũ quadraginta quatuor milia ex omni tribu filiorum Israël. Et iterũ: Vidi turbam magnam, quã dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: Quod si & nobis eiusmodi essent oculi atque aures, quibus iucundum hoc spectaculum videre atque audire possemus, impossibile esset, quin & intimis affectibus exultaremus & ad omnẽ pietatem redderemur promptiores. Quandoquidem ergo tantùm nostra refert, non possum non de hac festiuitate aliquãto tractare susiùs. Verùm Roboam impium, seditiosamq; eius cohortem hac vice missum faciam. Tamen ne vos æquo diutiore mora detineam, néue etiam ad ea quæ superioribus annis à me dicta sunt recidam: placuit ex Paulo aliquid quod & hodie in Ecclesia personuit, proponere. Est autẽ prima laudum Antiphona, quã si hodie rectè meditati fuerimus, sanè nó sine fructu hæc nobis solẽnitas peribit. Agè ergo Paulus sic ait: Rom. 8.
Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ, his qui secundum propositum vocati sunt. Ecce Paulũ non leuẽ scriptorẽ, grauissimè testificantẽ. Quod si & ea, quæ in Paulo his apposita sunt cogitare volueri-
mus, periucũdã huius festæ diei cõferent memoriã. Et li
cet hęc tãtùm verba initiò legãtur, occasio tamẽ per hęc
præcedẽtia & quę sequũtur cogitãdi offertur. Da sapiẽti
occasionẽ, inquit Salomon, & addetur ei Sapiẽtia. Iam Proue. 9.
verò hæc modò recitata Pauli verba tã sunt cõsolationis plena, vt eius farinę plura, & præcedere & sequi dubitare possit nemo. Neq; enim tantæ consolationis alia in toto Paulo facilè inuenies, maximè quæ, vt hæc, ita commodè huic solennitati conueniant. Proinde rectè totam illã verborũ seriem, vnde hæc desumpta sunt, recitauero. Audiuistis ergo dixisse Paulũ: Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, vocati sunt. Et hæc sanè intelligentibus sufficerent, satisque magna diuturnæ meditationis causa essent. Tã magni fi-

cè enim Paulus de piorũ fœlicitate loquitur, vt ad Chri
ſtianiſmum poſſet pellicere eum qui nunquã ea religio-
ne delectatus eſſet: deinde tanta prudentia ſenſus vtro-
biq; format, vt nemo ſibi quicquã his verbis poſsit tri-
buere aut polliceri, niſi ingenuè ſit Chriſtianus. Princi-
pio enim non ſimpliciter de Credentibus, ſed de dili-
gentibus. Id quod minimè illi incogitãti excidit: nempe
verè credentes, in quibus per dilectionem fides opera-
tur, intelligi voluit: aliãs paſsim de fide atque eam habẽ-
tibus nudè loquens, de ea fide intelligi fortè à quibuſ-
dã poteſt quam ſe habere multi perſuadent. Hic verò a-
liquãto expreſsiùs & perſpicuè, vt de viua fide loqui ne
ceſſariò intelligatur. Primò ait: Scimus quia diligẽtibus
Deum omnia cooperantur in bonum: Deinde & aliam
cautelam addit: His, inquit, qui ſecundum propoſitum
vocati ſunt ſancti. Id quod ipſum quoque immeditatus
non dixit: Sunt enim qui ad tempus credant, fidemque
ſuam dilectionis operibus oſtendant, ſed nulla his ineſt
conſtantia: vocati quidem ſunt, ſed non ſecundum pro-
poſitum, verùm ſecundum præſentem iuſtitiam. Propte
rea nec hi ſunt, quibus omnia cooperantur in bonum.
Ecce tam prudenter hic Paulus loquitur: ac ſi diceret:
Ingentia vobis de beatorum fœlicitate dicam, non au-
tem de Credentibus ſimpliciter loquor, ſed de diligen-
tibus: nec rurſus de his, qui ad tempus credunt, ſed
qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Et quid de
his, Paule, dicis? Omnia ijs cooperantur in bonum. Pri-
mùm oẽs creaturę: ex his enim Deũ agnoſcunt: ſecun-
dò, quicquid à Dei manu ſuſcipiunt bonorum: ex his
enim ad gratiarum actionẽ incitantur. Tertiò beneficia
Dei in proximis viſa: ex his enim ſimilia à Deo ſperat.
Quartò impiorũ peccata: ex his enim cautior fit. Quod
ſi & pœnam horum conſiderat: hinc timet. Si & ipſe
Dei animaduerſionem per aduerſa ſuſtinet: ſe ipſum a-
gnoſcere, Deũq; precari diſcit. Si inimicis vel hoſtibus
moleſtatur: ardentiùs orat: Imò verò ſi & in pecata la-
pſus fuerit, Dauid exemplo ſit ad pietatem feruẽtior, ad
humilitatẽ propenſior. Breuiter, omnia cooperantur illi
ad bonum. Et hoc, inquit Apoſtolus, ſcimus. Vnde id ve
rò? Ex Scripturis, ex promiſsione Dei, ex patrum hi-
ſtorijs,

storijs,experiẽtia,& hoc ipso festo.Scimus quia diligẽtibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et quid tali Christiano beatius, cui omnia cooperantur in bonum. Quod si ita est,vt verè est,haud dubiè contraria impiorum ratio est. Atque ita quidem omnino est. Sani sunt & leues,diuites,superbi,in eminentia constituti,elati:si prosperè omnia succedunt, Dei obliuiscuntur:si aduersis impetuntur,contra Deum murmurãt:si aliorum fortunas vident,inuident: Si mala considerant, exemplum impietatis sumunt:si labi contigerit,desperant.Ecce quã ta hæc meditatione digna sunt? Neque tamen hic Paulus quiescit, plura enim eiusmodi addit: Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagines filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.Quos autem prędestinauit,hos & vocauit: & quos vocauit,hos iustificauit: Quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Ecce hæc consequenter in Paulo superioribus addita sunt, omnia verò huic omnium sanctorum festiuitati conueniunt.Principio, quis eos sanctificauerit audis,& quibus medijs, quidq; hic considerandum nobis sit, omnem Paulus iustitiam,sanctitatem,glorificationem, non nobis, sed Deo ascribit. Deus illos præsciuit & prædestinauit,inquit Paulus. Et Christus ad discipulos loquẽs ait: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et Dauid: Non nobis, domine non nobis,sed nomini tuo da gloriam.Et:Cum essemus inimici Dei, reconcilitati sumus per mortem filij eius.Et non ex operibus Iustitiæ, quæ fecimus nos, secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Huc & illud pertinet,quod Ioãnes scribit, sanctos omnes Deo & agno honorem,salutemq; tribuisse. Deinde & media Paulus enumerat, per quæ Deus suos ad se attrahit,à peccato ad iustitiã,à iustitia in gloriã.Quorum multa recensẽt.Primò prẽsciuit,deinde prędestinauit. Et hoc aliquãto amplius est:Nam & malos quidem præsciuit:sed hos,puta sanctos etiam prædestinauit cõformes fieri imagines filij sui, hic atq; in futuro. Vnde omnes persequutionẽ passos sequitur.Et quid prẽterea? Quos autem prædestinauit,hos & vocauit, quos aũt vocauit,hos & iustificauit, quos autem iustificauit,hos & glorificauit. Ecce media,per quę sancti,ad gloriam per-

Rom.8.

Ioan.15.

Psal.113.

Rom.5.

Tit.3.

Apoc.7.

rexerunt. Et per hæc ipsa nobis quoque eò perueniendum est. Atque hic optima, omnia considerādi causa datur, qua ratione Deus in suis efficiat. Verè enim hic locum habet: Mirabilis Deus in Sanctis suis, mirabilis in prædestinatione, mirabilis in vocatione. An nón admiratione dignum est, quod de prædestinatione loquitur:
Ephe.1. Elegit nos in Christo ante constitutionem Mundi. Ad-
Matt.11. huc magis mirandum est, quod Christus ait: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abscondisti, hæc à Sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et
Malach.1. in Malachia: Nónne frater erat Esau Iacob, dicit dominus? Et dilexi Iacob, Esau autem odio habui. Hæc sanè Paulus admirari satis nō potuit, cum exclamat: O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quàm in comprehensi-
Rom.8. bilia sunt iudicia, inuestigabiles viæ eius? Vtique fateri oportuit, neminem huius causam indicare posse. Eadem & vocationis ratio est. An non admirandum quid est, quod Paulus ait. Non multi potentes, non multi nobi-
1.Cor.1. les, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus. An non ple-
Matt.8. num miraculo est, Christum in Euangelio eum vocare, qui moram trahebat, alium vltro se offerentem ablegat? An non admiratione dignū est, Neronem persequi Christianos, Senecam verò Pauli familiaritate vti: Diocletianū tot Martyres facere, ipsius vxorem ad fidem vocari? Ita consequenter de Decio & alijs. An non miraculi locum habet, Deū Iudæos pulsare, Gētes ad se vocare? Vide quanta hic in Sanctorū vocatione consideranda sint. Eadem & in iustificatione ratio est. An non admirandū quid est Deū ex peccatore iustū: ex filio Adā, Dei filium facit? Et hoc in omnibus Sanctis effecit. Eratis aliquādo tenebræ, inquit Paulus, nunc autē lux in domino. Et alibi. Sed hæc fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Verùm quomodo electos suos Deus in futu-
1.Cor.2. ro sit glorificaturus, nulla lingua enarrare sufficit. Nō oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēdit, quæ præparauit Deus diligētibus se. Et Ioan. Nunc filij
1.Ioan.3. Dei sumus, iuquit, & nondū apparuit quid erimus. Scimus quoniā cū apparuerit, similes ei erimus, quoniam vi-
Coloss. debimus eum sicuti est. Vita nostra abscondita est cum Christo

Christo in Deo, cum autem Christus apparuerit vita nostra tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria. Ecce quanta hic considerandа occurrunt, si quis excutere velit, quomodo singulos Deus, & ad quid vocauerit, quomodo iustificauerit. Sed ais: Nunquid hæc de sanctis cogitare sufficit? Minimè. Neq; enim nostri obliuisci decet. Quid ergo ad hæc dicemus? Qua ratione Dei in electis operibus vtemur? Quid inde discendum est? Paulus hoc docebit. Hoc nimirū, quod Deus pro nobis est. Certa omnino iudicia Dei sunt, quod diligit nos, quod propitiatur nobis, quod pro nobis solicitus est, nobisque bene velit: qui enim aliquādo fuit, idem & hodie est: quod promisit, non negat: quod alijs præstitit, nobis exhibere paratus est. Deus pro nobis est, Charissimi, Idque hac fiduitate docetur in tā multis milibus, quos omnes præsciuit, prædestinauit, vocauit, atque iustificauit. Idem in nobis experimur. Nulla ergo tanta est potentia, quæ nobis in Christo manentibus incommodare potest. Quid ergo aduersus Deū, hic cum suo Principe Mundus audebit? Si Deus pro nobis quis cōtra nos? Et illa quā præsens festiuitas, docet spes est, & hanc quidē Paulus quā maximè inculcare cupit. Difficilis enim creditu est. Duo sunt, quæ nos pusillanimes reddunt: Peccatum, deinde aduersitas. Quando enim peccatores esse nos, quod peccauerimus & quod peccemus recolligimus: difficillimè, Deum tam vilem creaturam quicquam æstimare multoque minus diligere, credimus. Tum aduersitatibus ingeminatis nouisque præteritis sequentibus rursus an Deo curæ simus, an nos tueri velit, dubitamus. Semper enim si nos diligeret, tanta mala in nos non missurum esse cogitamus. Hic contra Paulus validissimè pugnat: vult ne quid nos vel peccatum, vel aduersitas deijciat. Sed magis semper fiduciam habeamus Deum pro nobis esse. Certus sum, inquit, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu domino nostro. Hæc quicunq; ingenuè Christianus de Deo credas, si te peccatum terret, cogita quia Deus est, qui peccatores iustifi- Rom. 8.

cat. Quæris, hoc vnde sciam? Quod filium suũ misit vnigenitum, nec illi pepercit. Et quod eius rei euidentius testimonium erit? Si enim proprium filium dedit, vtiq; vanam & inanem hanc largitionem esse non sinet. Si, inquam, filium dedit nobis, vtique per eum & iustitiam & salutem & omnia dedit. Quod si adhuc maiora huius rei testimonia quæris: audi quam graphicè Paulus hunc mediatorem depingat: Mortuus est, & resurrexit, & interpellat pro nobis. Ad quid ista enumeratio? Ideo, vt eo meliùs firmiùsq; credamus, quod Deus nobiscum, siue pro nobis, nos iustificet. In morte enim Christus, oblationis admonemur: in resurrectione & ascensione, potentiæ: in interpellatione, sempiterni ipsius sacerdotij. Iam verò Christus nec frustra oblatus est, nec sine causa hanc potentiã accepit, nec inanis eius erit interpellatio. Quid ergo de DEI dilectione hæsitas? Quid tua indignitate deijceris. Habẽtes ergo Pontificẽ magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei cũ fiducia adeamus, ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Ecce tibi gratiæ propositæ facta. Et quę maior oblationi, officio, interpellationiq; Christi contumelia fieri potest: quam tantùm esse peccatum arbitrari, vt nec oblatione, nec officio nec interuentu Christi possit expiari? Nulla ergo pusillanimitatis causa est, si quis, vt decet, Christi oblationem, officium, dilectionemq; considerate perpenderit. Huc ergo Pauli ad Hebræos verba respiciunt. Si enim angustiati fuerimus, Spiritus sanctus internè testimonium dat: si tribulationibus molestati internè, (si modò cor nostrum mundum fuerit) si denique persecutionem sustinemus, promissionem habemus, quia regnum cœlorum obtinebimus. Qui confitebitur me coram hoibus, confitebor & ego eum corã patre meo. Si esurimus, cœlestem panem habemus paratum. Si nudi sumus, vestem habemus, in qua coram Deo persistere possum⁹. Si in periculis positi, dicere possumus, si ambulauerimus in vmbra mortis, nõ timebimus mala, quoniam tu Deus nobiscũ es. Et hoc est quod Paulus ait: superabundamus, propter eum, qui dilexit nos, in omnibus. An fortè hic nos aliqua aduersitas territabit,

Hebr. 4.

Matth. 8.

ritabit, quasi à Deo non diligeremur? An mors nos separabit à Charitate Dei? Nullo modo. Scriptū quidem est: Quia propter te mortificamur tota die. Idq; nos experimur quotidie. Sed non ideo non diligimur à Deo, sed & in his omnibus superamus propter eū, qui dilexit nos. Hac intentione hæc festiuitas consideranda est, primò quid in sanctis operatus est Deus, deinde quid nos ab ipso sperare debeamus. Etenim non modo alios, sed nos ipsos respicere necesse est. Illi quidem præcesserūt nos, sed expectant nos, vt qui sine nobis perfectam gloriam non obtinent. Festinemus ergo, vt huius vitæ peracta fabula, in æternam lætitiam introeamus. Gratia Dei nobiscum, Amen. Psal. 43.

IN DIE OMNIVM ANIMARVM EVANGELIVM.

Ioan. 6.

OMnis quod dat mihi pater ad me veniet: & eum qui venit ad me, nō eijciā foras: quia descendi de cœlo, nō vt faciam voluntatē meam, sed volūtatem eius qui misit me. Hæc est enim voluntas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, nō perdā ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.

EODEM DIE EPISTOLA.

1. Machab. 12.

FOrtissimus Iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato, sub oculis videntes, quæ facta sunt pro peccatis eorū, qui prostrati sunt. Et facta collatione, duodecim milia drachmas argenti misit Ierosolymā, offerri pro peccatis mortuorum sacrificiū, bene & religiosè de resurre-

ctione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluũ et vanũ videretur orare pro mortuis. Et quia considerabat, quod hi quicũ pietate dormitionem acceperant, optimam repositã haberent gratiam. Sancta ergo & salubris cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

SERMO VNICVS.

Anno 1545. habitus Respondet autem priori de omnibus Sanctis habitus.

HEsternum sermonem cum Augustino exorsus sum, hodiernum verò cum Salomone auspicabor. Da,
Prou. 9. inquit ille, sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. Doce iustum & festinabit accipere vtique verum dictum hoc est. Nam & prouerbium vulgo fertur Doctis bonum esse prædicare. Neque verò multa hortatione eget sapiens, qui ex minima, quantumlibet voce profundæ meditationis, occasionem sumit. Stultus verò etiamsi multa audiat atque loquatur, nihil tamen proderit ei. Id verò multa demonstratione nõ eget, vt quod plus æquo omnibus manifestum est, & multorũ etiam è nostris exẽplis probatur, si enim saperemus omnes, non esset opus multis, quę nunc fiunt necessariò. Quia verò (dolor) nõ vti debuimus sapimus, quia stultorum semper maior est
Rom. 1. numerus, calcaribus opus est. Sic Paulus Romanis scribens ait: Sapientibus & insipientibus debitor sum. Idem Ecclesiæ vsus docet, quoties enim congregamur, populusque fidelis in sua deuotione persistit, semper Euangelium & epistola, aliæque Scripturæ proponũtur. Et hæc prudentibus sufficerent. Sed quia maior pars imprudentior est, externis quibusdam cæremonijs, festiuitatibusque opus est. Hac ratione heri omnium sanctorum festiuitas, hodie omnium animarũ memoria instituta est. At prudentibus neutro horum opus est. Lex iusta nõ est posita, inquit Paulus. Nec est necesse prudentibus facienda, omittendáue præscribas. Per se enim quod bonum est facit, quod malum refugit. Idem & hîc ego dico, prudenti nulla festiuitate priuata opus est. Et quur sic? Sibi enim cum

cum sit lex, quæ iusta sunt facit, gaudet cum gaudentibus, flet cum flentibus : cogitationibus suis nũc sursum cœlos penetrat, nunc deorsum ad inferna descendit: nec solùm pro gratia à Deo accepta exultare, verumetiá miserias quę nobis ex nobis sunt cogitare nouit. Et hoc Sapientis est. Sed horum pauci sunt. Quot verò sunt, qui nec acceptę à Deo gratiæ meminerunt, nec proprię indigentiæ recordantur. Ecce hi non modò omnium sanctorum festiuitate, verumetiam omnium animarum memoria egent, vt altero Dei gratiam, altero propriam egestatem agnoscere discant: Atq; vtinam vel sic sapere inciperẽt. Nemo pius propterea has duas diuersissimas meditationes ita continuas meretur. Si enim sapimus, multa nobis rectè cogitandi occasio data est: quod si nec sic intelligere quis voluerit, videat ne eorum ex numero sit, de quibus dicitur: Noluerunt intelligere vt bene agerent. Nescire enim peccatum non est, sed nil velle discere nemo excusauerit. Suæ quisque saluti intendat, satis magna enim occasio suppeditatur, quàm susceperimus, nostro bono arripiemus, sin verò, nemini alteri, cum perierimus, imputemus. Vtinam saperent homines. & intelligerent, inquit Moses, ac nouissima præuiderẽt. Pium sanè votum : sed sine effectu. Plurima enim pars imprudens perseuerauit. Atque vtinam prudentes imitaremur, nam & hoc abundè sufficeret. Egregium quid sanè est, sibijpsi posse consulere: veruntamen perpulchrũ est eum qui hoc nescit, optima, rectè consulentes sequi. Verùm si quis nec ipsi suis rebus consulere potest, nec aliorum sequi vult monita, hic sanè minimam de se spẽ præbet. Atq; hæc ideo dixerim, vt eo minùs refutemus, quæ nostris commodis seruiunt. Iam verò quòd omnũ sanctorum festiuitas nobis commodet, heri dictum est. Nunc porrò cui rei & quantum hæc dies seruiat videamus. Principiò ergo hanc diem non vita functus tãtùm, sed & nobis residuis commodare. Id quod vel ex eo liquet, quod nõ modò pro defunctis vtimur precibus, verumetiam Euangelia Epistolas aliaque scripta ad consolandos viuentes recitamus. Idque non sine causa, imò optimè ita constitutum est. Minus enim nostra esset prudentia, tantùm orare pro mortuis, & non etiam nos cõ-

Psal. 35.

solationibus munire aduersus mortem. Econtrà nec reprehensione careret, nostri solummodo curam velle gerere, charorum verò nostrorũ qui in Domino obdormierũt obliuiſci penitus. Propterea hæc duo cõiunxit Ecclesia, & ita sanè oportuit, licet non omnibus ex æquo placeat. Nam quod cõsolamur viuos, nemo arguit: quod autem pro defunctis preces fiunt, nonnullis displicet. Cui sanè non minimam occasionem præbuerunt tot circa defunctorum memorias abusus, quemadmodum & alia quædam per se quidem bona sunt, propter tamen abusus à multis hac ætate reijciuntur. Equidem speraſſem fore, vt Ecclesiæ proceres expergefacti, quam inimicus humani generis zezaniam in bonum semẽ insemi nasset, consideraſſent. Sed nemo huc vsq; manum admouit, nemo cogitauit, id quod & mihi (vt quod res est fatetur) prædicandi adfert tædium, nempe cum nemo sit qui quod malum est tollere velit. Neque tamen, vt alij, qui propterea cum zizania euellunt triticum, quod abusus quidam irrepserunt, totum negotium cõdemno. Indoctus habetur Medicus, qui inter ipsum morbum & accidens morbi nihil discernit, atq; eiusmodi omnino est. Sic haud dubiè crassus erit Theologus, qui inter rei substantiam atque abusum nullam nescit differentiam. Quod in Ecclesia pro mortuis preces fiunt, per se malũ non est, neque id quisquam probauerit vnquam. Principiò enim constat, ab initio in Ecclesia nõ modò Latina verumetiam Græca id vsu receptum fuisse. Et horum hominum consensus mihi sufficit, vbi expressam scripturam non inuenio. Et Ecclesiam quidem Paulus columnam & firmamentum veritatis vocat. Tum Christus perpetuam suis, Spiritus sancti presentiam promisit. Cum igitur Catholica Ecclesia hoc antiquitus perpetuo consensu obseruauit, dubitare potest nemo, ex spiritu sancto esse, maximè cùm scripturis non repugnet, imò validè ex ea conuinci possit. Quæris qui hoc? Ecce heri audiuimus, quomodo Ioannes totam scripturam, atque vniuersa præcepta in vnum quasi fasciculum comprehendat: Hoc est, inquit, Mandatum Dei, vt credamus in nomen vnigeniti filij eius Iesu Christi, & diligamus inuicem, sicut mandauit nobis. Quicquid ergo

1. Tim. 1.

neq

nec fidei in Christũ Iesum, nec dilectioni proximi contrarium est: nec Scripturæ Sacræ repugnat. Iam videamus quę sit fides nostra, quid possit dilectio. Sic ergo habet fides nostra: Esse Ecclesiam catholicã, sanctorum cõmunionem, remissionem peccatorũ, resurrectionem carnis, & vitam æternam. Sic Christiani credimus, hæc nostra est confessio. Huic autem fidei nullum detrimentum adfert, quod pro defunctis oramus, sed magis commodum. Hoc ipso enim testamur, inter eos qui Christi sanguine sanctificati sunt, veram constantem æternam esse communionem. Imo verò si non pro mortuis orauerimus, pertinere eos ad nostram communionem diffidimus. Præterea & corporum resurrectionẽ credimus, atq; confitemur. Ad quid enim illæ super sepulchris defunctorũ cęrimoniæ, imò his cessantibus, cessantibus & orationibus pro eis, multi nihil hois superesse post rogũ arbitrarẽtur. Postremo aliã etiã sempiternamq; vitam, cõfitemur, post hanc vitam. Et quur precaremur pro eis, si omnino interijssent? vides ergo ex his orationem pro defunctis non repugnare scripturæ, multoq; minus dilectioni. Principiò enim ipsam dilectionis naturam ex Paulo nouissimus, quod non modò patiens, verum etiam benigna sit, quod cessante fide atque spe, sola nunquàm excidit, quod morte robustior, nec morte nec vita destruetur. Deinde etiam Christianæ vitæ normã nouimus: Gaudete cum gaudentibus: flete cum flentibus. Et quare? Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Tertiò etiam hoc vnius corporis mẽbrorum communicatio confirmat. Veritatem sectantes, inquit Paulus, in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactũ & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum mensurã vniuscuiusq; membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Sitque hoc maximum. Sed nouimus quia de vnoquoque verbo otioso rationem reddituri simus in die nouissimo. Tum quod nihil immundũ intrabit in regnũ cœlorum. Et: Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eò. Iam verò experientia didicimus, quosdam prę occupari, quosdã etiam minus prępparatos esse ad mortẽ.

1. Cor. 13.
Roma. 12.
Gala. 6.
Ephe. 4.
Matth.
Matth. 12
Hos

Hos tamen ita derelinqueret, atq; diabolo tradere nō
pussumus. Agè ergo hic non erit contra charitatis natu-
ram, imò ipsi conforme erit, naturam membrorū ostē-
dere, gaudere cum gaudentibus, flere cū flentibus, alio-
rum portare onera: recuperare eleemosynis, precibus,
idq; genus alijs pietatis operibus, quod ab ipsis neglec-
tū est, Deumq; suæ admonere pollicitationis. Id quod
minimè illi displicere poterit. Scriptum quidē est: Sinite
mortuos sepelire mortuos suos, sed nihil ad nos. Cui e-
nim illa dicebantur, alterius intentionis erat atq; propo-
siti. Vocatus, morā trahebat, patremq; sepelire volebat.
Hic contrà Christus. Nos verò cum pro defunctis ora-
mus, non à Christo recedimus, sed ad Christum cōfugi-
mus, in hoc Martham sequentes, quæ quidem amicos atq;
cognatos habebat plurimos, fratris tamen sui obliuisci
non potuit, moxq; vbi Christum accessisset, de fratris
sui morte cōqueritur. An ergo eorū nos obliuisci æquū
est? qui fratres nostri defuncti sunt, vt nō eos Christi cō
mittamus pietati: imò cui rectius eos committemus quàm
illi, qui & resurrectio est & vita? Proinde, inquā, nihil ad
nos illa Christi verba: Sine mortuos sepelire mortuos.
Imò nec quicquam nobis rei erit cū mortuis. Illi enim
verè mortui sunt qui in incredulitate obierunt. Nostros
non mortuos iudicamus, sed viuere credimus. Præterea
& Iacobi locū contra eos valere iudicamus cū ait: Ora-
te pro inuicē, vt saluemini. Atq; ex his arbitror non erit
difficile videre, quomodo orare pro mortuis non sit per
se malum: sed contra bonum, pium, laudabile, Christia-
num, atq; Scripturis consonum. Est enim opus fidei, in
qua sanctorum cōmunionem, carnis resurrectionem, &
vitam æternam cōfitemur. Est opus dilectionis, qua de-
functos etiamnum membra nostra esse testamur. Et offi-
cium gratitudinis, qua erga benefactores nostros grati
sumus. Et quid decētius, quàm benefactoris honorificè
meminisse? Denique est & iustitiæ opus erga eos, quos
aliquando ad peccandū incitauimus, vt ipsorū propter
peccata solicitemur, precemur, pœnitentiamq; agamus.
Atq; hoc, quia per se bonū sit orare pro defunctis, osten-
sum esse arbitror. De ipsa rei substantia loquor, nil mihi
cum abusibus negotij est. Præterea multis nostris com-
modis

modis seruit, quod defunctorum in Ecclesia obseruatur memoria. Atq; hoc est, quod initiò dixi, tam nostri quã defunctorum causa hãc diem institutã esse. Imò si rectè rem attenderimus, necessarium omnino institutum est. Quæris cur ita? Nẽpe hoc ipso docetur, quomodo patres minimè risum arbitrati sunt, aut iocũ esse, quod Salomon dixit: Melius est ire ad domũ luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorũ admonetur hominũ, vt viuens homo cogitat, quid futurum sit. Hæc quia serio cogitauerunt patres, vbiq; mortis imaginem sibi præfixerunt, vehementerq; circa mortuos occupati, cũ ipsis perseuerauerunt, ipsorũ funera deduxerũt, sepelierunt, nec longè sed proximè humarunt, anniuersarias memorias instituerunt & obseruarunt, ideo ne, quomodò obliuiscerẽtur defunctorum. Iam verò hac tempẽstate omnino contrariũ facimus. Præterea ideo etiam memoria defunctorũ in Ecclesia necessaria est ad fidei nostræ confirmationẽ, qua sublata omnino, interire hominem corpore atq; anima arbitrarentur multi. Adde quod & scripturæ, quæ hic leguntur, manifestè indicãt, quomodo nõ defunctorũ causa tantùm, sed & viuorum iustituta hæc sint. Tria enim sunt quæ nos grauãt, mors, prædestinatio, iudicium. Aduersus hæc omnia defunctorum nos consolatur memoria. Mors te territat? Ecce Euangeliũ tibi: Ego sum resurrectio & vita. At prædestinatio cõturbat? Audi Christum dicentem: Omne quod dedit mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eijciam foras. Sed Iudicium te angit? Sicut pater suscitat mortuos & viuificat, ita & filius quos vult viuificat. Atq; his finem imponens hæc sufficere arbitror, vt nemo rectè defunctorum sugillare possit memorias. Quod si quis hac parte contentiosus esse voluerit, cum Paulo respondeo: Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia. Spero autem atque confido, vt his contenti pij, rem exactè sint consideraturi affectu Christiano. Gratia Dei nobiscum. Amen.

IN DIE S. MARTINI EVANGELIVM.

Lucæ. 12.

SInt lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectãtibus Dominum sũum quando reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis quod præcinget se & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret vigilaret vtiq;, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.

EODEM FESTO EPISTOLAE LOCO, LECTIO

Eccles. 40.

ECce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Nõ est inuentus similis illi, qui conseruauit legem excelsi, & fuit in testamento cum illo, & fecit illum crescere in plebem perfectam. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum cõfirmauit super caput eius. Agnouit eum in benedictionibus suis & dedit illi hæreditatem, & dimisit

misit illi partē in tribus duodecim, & conseruauit illi misericordiam suam, & inuenit gratiam in oculis eius. Statuit illi testamentum sempiternum, & dedit illi sacerdotium gentis & beatificauit illum in gloria, fungi sacerdotio & habere laudem in nomine suo. Offerre sacrificium Deo, incēsum & bonum odorem suauitatis.

SERMO VNICVS.

INter multa alia, quæ patrum nostrorum diligentiam, & conseruandæ posteritatis in vera fide studium indicant, meo quidem iudicio, non minimum est, quod iuxta Euangelij sermonem, admonitiones q́ pias, etiam cuiq́ Ecclesiæ singulare, quod priuati patroni, exemplum ordinauerunt ac proposuerunt, eosq́ eorum ex numero, qui se Christi imitatores doctrina, vita, morteq́ ostenderunt ingenuos. Et hos patronos dixerunt, non vt homines à Christo ad sanctos retraherent, in sanctis idolatriam instituerent, Christoq́ æquarent (id quod nunc Ecclesiæ mendaciter atq; iniquè affricatur) sed vt imprudentiores doctrinam pariter & exemplum habentes rectiùs, quæ regia sit via, cognoscerent, huic se confidentiùs committerent, vbi tot tantæq́; manifesta præcedentiū viderent vestigia: tū certius sibi eorū quos audacter sequerentur, beneuolentiam promitterent: deniq; etiam maiore spe ipsorum qui iam appulissent suffragijs portum optatum expectarent: Et hoc quidem credentibus magnopere commodauit, quanquam & Satan minimè quieuit, suumq́; semē inseruit, quemadmodum & in omnibus alijs semper fecit, facitq́ue etiamnum, vt etiam communis Prouerbij locum habeat: Illic fatanam sacellum proximè extruere, vbi Dei templum sit. Atque hoc inde est, quod pastores & patres Ecclesiæ tam diu (proh dolor) dormitauerunt, qui ne nunc quidem, quanquam in extremo res versetur periculo, expergisci volunt. Nullam, inquam, tot malorum causam video aliam, quantum ad homines, quàm pastorum negligētiam. Iudiciū Dei semper excipio, quod haud dubiè maximè in hac re valet, iuxta Propheticā cōminationē: Ec-

ce

Zach. 11. ce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet. Nunquid autem hæc plurimos annos experta Ecclesia didicit? Verũ non nunc meum propositum est, quomodo iam, sed qua ratione olim in Ecclesia vixerunt homines. Et quidem Patres nostri idem quod Euangelium habuerunt, legerunt, cãtarunt, scripserunt, prędicauerunt, audiuerũt. Nihilominus tamen id quoq; cogitauerunt, quod superiore Dominica Paulus dixerat: Imitatores mei estote fratres, &
Phil. 3. obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formã nostrã. Ac hac ratione quoq; Ecclesia vel vnum tantùm in exemplum sumpsit, alia alium atq; alium. Ideoq; hos varios atq; diuersos proposuerũt, vt cui pusillanimitatis daretur occasio. Si enim omnibus Ecclesijs vnus tãtùm prępositus fuisset patronus, cogitare homines imprudẽtes possent, exiguum admodum esse electorum numerũ, ac dicere: si ita est, quis potest saluus fieri, sicque relabi? Verùm cum tot sunt exempla quot Ecclesiæ, oĩbus spes datur, etiamnũ manũ Dei nõ esse abbreuiatã. Atq; hæc de festiuitatibus dicta sint, nunc porrò etiã de D. Martino nõnihil audiamus. Patres nostri D. Martinum in patronum suum elegerunt, qui tamen vir virtutis suæ specimen in Francia edidit. Et licuisset alia plura exẽpla habere, sed excellens quoddam & egregium habere voluerunt, quod non vnius ciuitatis, aut Ecclesiæ, sed totius ditionis ageretur negotiũ, nec fefellit eos electio. Etiãsi enim duplo plures essemus, omnibus his vnus tamẽ negotium facesseret. Atq; vtinam per omnem vitam nostram tandem aliquando eum, qui Martino primus fuit, gradum apprehendere possemus. Perquirantur oẽs omnium historiæ, non tamen iam inde ab Apostolorum tẽporibus, vnum aliquem facilè inuenient, qui autoritate, nomine, gloria atq; honore. Martino nostro comparandus sit. Verissimum enim est, quod hodie Ecclesia de eo testata est, tot nationes partem aliquã sibi, pietatis studio, in Martino vindicare. Pannonia exultat genitrix tãti filij. Italia exultat alitrix tanti pueri. Et in his Gallia, quarum quæq; eum pręsulẽ flagitat habere. Turoni cor-

pus

pus tenent. Nos quoq; in eo cum Gallia nostram partem tenemus, nobis enim veste pauperi diuisit, Christū ostēdit. Sed & Aegyptum & Grēciam nomē illius percrebuit. Et quid aliorum de eo iudicia multis enumero, ipsa facta qualis fuerit testantur. Quomodo? Nulla ecce ætas tam prona in vitia, quàm iuuentus. Sed & iuuenis Martinus pius esse potuit. Deinde, nullum hominū genus militibus, aut crudelius, aut magis impiū. Et in his Martinus iustus fuit. Præterea in omnibus Ecclesiæ hostibus, Iuliano crudelior nemo, & sub hoc tamen Martinus fidei confessionem constāter tenuit. Quartò: nulla hæresis Arriana violentior, diuturniorq; fuit, quę & reges, & Imperatores, & Episcopos, & Liberium Papam fascinauit, multum sanguinem fudit, horrendasque in orbe mutationes induxit: Martinus tamen in ea Catholicus perstitit. An nō hæc tibi videntur egregia esse exempla? Quam paucos hac tempestate eiuscemodi inuenias. Eò igitur diligētiùs considerādus est Martinus, modo Catholicismus nobis cordi fuerit. Quia ergo in eius omnino mentionem incidi, quod reliquum est sermonis, in ipso complebo. Neque inutilem me insumere operam puto: eiusmodi enim eius exemplum est, vt quā plurimis illud infigi cupiam. Omnino enim me affectum video, quemadmodum Comicus ille, qui aliquanto fortuitò viro bono conspecto: quam pauca, inquit, id genus exempla video, quàm me noua perfundi intelligo lætitia, eiusmodi superesse exempla: atq; si vniuersi tales essent, reuiuiscerem. Ita hic quoque de Diuo Martino loquor. Vtique admodum pauca eius generis exempla supersunt. Meritò recreat horum aspectus, meritò viuere delectaret, si omnes tales essent. Sed adhuc peculiare quid de Martino audiamus, de quo hodie inter cętera hæc cecinimus. O virum ineffabilē, qui nec mori timuit, nec viuere recusauit. O beatū virum Antistitem nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec viuere recusauit. Hanc vnicā Antiphonā cōsiderandam vobis propono, quę & ipsum nobis Martinū satis perspicuè describit, & quā nihil eius spiritus in terris sit, ostendit. Quatuor aūt hic innuuntur, egregia illa atq; præstātia, sedi n terris rara, oēs tamē Christianos de-

centia. Primum, nullo labore victum esse, hoc est nullū laborem refugisse, nullius laboris piguisse aut pertæsum fuisse: Id verò eiusmodi est, vt sit & per se præstans, & consequatur à paucis. Neque enim vehementer labores appetimus, quacunq; alia ratione nominis immortalitatem venantes. Et cui genti ea grauitate labor præcipitur, atq; nobis, qui Christo nomen dedimus. An non Paulus

Heb.12. sæpe ad laborem hortatur? Manus remissas, inquit, & so-

Gal.6. luta genua erigite, & rectos facite pedibus vestris. Et: Bonum facientes nō deficiamus, dum tempus habemus operemur bonum. An non totam hanc vitam cursui in

1.Cor. 6. studio comparat, vbi de brabeo certatur? An non Petrus

2.Pet.1. ait: Magis satagite, fratres, certā vocationem vestrā, & electionē faciatis per bona opera? Hæc enim facientes, ait, nō peccabitis aliquādo. Atq; hęc omnibus in genere dicta sunt. Existimo autem hoc esse ad laborē incitare. Sed pastores & proceres Ecclesiæ adhuc seueriùs, vt suum officium faciant, cōpelluntur. An non eiusmodi illis nomina Christus indidit, quæ laborē requirunt. Nusquam enim dominos eos, sed vbiq; Apostolos, Pastores, Lega-

Marc.10. tos, vocat. An non eius verba sunt ad Apostolos? Quicunq; voluerit inter vos fieri maior, erit vester minister: & quicūq; voluerit in vobis primus esse, erit omniū ser-

Ioan.5. uus. Et: Ego posui vos vt eatis, & fructū afferatis, & fru-

Ioan.4. ctus vester maneat. Et: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albę sunt iā ad messem. Et qui metit mercedē accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. Ego misi vos

2.Tim. 2. (non ad otium) sed metere? An non Paulus dicit. Labora sicut bonus miles Christi? Sollicitè cura probabilem teipsum exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè

2.Tim.4. tractantem verbum veritatis. Et prædica verbum, insta oportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Vtique & hoc est Episcopos atque animarum curatores, ad laborē adhortari. Sed quæ vtrobiq; luctatio? Quam paucos verò vtrobique tum etiam in præpositis inuenias, qui non vincantur labore, qui non fugiant, aut certè operando non fatigētur? Vulgus quicquid acerbum videtur, refugit: sine labore cœlū appetit, quasi Christus abundè omnia satis feciſſet. Tū etiā

Eccle-

Ecclesiastici nostri aliud perscrutati sunt compendium, quando maximâ laboris partem inde voluût, ipsi sibi retinentes & nomen commodũ: Sed & alij quidem laborant, sed sæpe isto vincũtur, & tædet. Quare ita? Nemo cognoscit, nemo cogitat, quid sit quod Christus dicat: Dignus est operarius cibo suo. Et quod Paulus: Laborantem agricolã oportet primum de fructibus accipere. Atq; hæc Ecclesiæ cõditio. Quid aût de Martino legimus: Qui labore nõ est victus, multo minus verò laborẽ fugit. An nõ Martini exemplũ sequi nos maximũ Ecclesiæ adferret emolumentũ? Labore cõstat Ecclesia, quæ per pastorũ negligentiam propè corruit. Quod si adhuc tandẽ aut ipsi laborarẽt, aut fideles operarios instituerẽt hisq; adstarẽt, fortè instaurãda foret. Atq; hìc nobisipsis aggrediendũ esset, ꝙ in Martino prædicamus. Huic honori æterno ducitur apud Christianos oês, quod labore vinci se nõ permisit, imò ad finẽ vsq; in labore perstitit, pro se in omnium virtutum exercitio, in carnis castigatione, in pietate erga pauperes, in dandis eleemosynis: pro Ecclesia verò, docendo, consolando, exhortando, corripiendo. Quæ sanè hodie etiam immortalitatem no minis in mundo mereri possent, ne dicam sempiternam apud Deum remunerationẽ. Et quid est, quod nostra, etiam si prælati, & opulenti rerum fuimus, nomina tam citò pereunt? Nempe nullum vel mediocre facinus operati sumus viuentes, nec Ecclesiæ, nec nobis quicquam præstitimus, ideo memoria nostra perit cum sonitu. Misericordes obliuiscentur eius. Agite ergo fratres, non alienæ virtutes spectatores simus tantùm: si enim vnquam aliquando operandi, operariosque instituendi, siue pro se quenq;, siue in commune, siue pro Ecclesia, tempus fuit, nunc certè maximè est. Videmus quid Satan moliatur, quàm negligentia cladem Ecclesiæ importauerit: quoque maior nostra est negligentia, eò per tinacior Satanę diligentia: contrà, quò nostra porrò fuerit maior alacritas, eò minus ille efficiet. Hæc meditare ac cogita, quotiescunque Martini memoria inciderit, qui labore victus non est. Beatus ille seruus, quem cùm venerit, ita inuenerit. Et hoc primum. Quid nunc porrò? Nec morte vincendum. Hoc illo maius

Matth. 10. 2. Tim. 2.

est,maiorque requiritur fortitudo.Molestus quidem labor est,sed mortis periculum timorque acerbior. Inuenias qui in labore persistat immobilis,dum tamen labor est,verùm accedēte periculo,hic labitur.Sic Petro accidit.Non perinde laborē atq; crucis periculum formidauit:impigrè Christum sequebatur, at in mortis periculo, negare ac detestare incipit. Sic multis post eum vsu venit in tentatione,qui strenuè quidē laborauerunt, sed mortem & Crucem vincere nō potuerūt. Martinus verò non modò labore,verumetiam morte victus non est. Atq; hic quidem non faciles illi incubuisse labores videmus, quos sæpe cum capitis periculo sustinuit. Periculū ex parētibus,quod se Ecclesiæ tradidisset:periculū ex Iuliano, quod militiam eius declinaret: ex incredulis, quod idola eorū destrueret:ex Arrianis, quorū hæresin respueret: ex Diabolo, cui tot animas surriperet :ex proprijs discipulis, qui gratiam donaque Dei inuiderent. Quibus rebus verus Pauli imitator fuit,bonum se pastorem ostendit, cui satis non est laborare ac pascere vbi securum est, verumetiam lupo irruente fugiendum
Ioan.10. esse non ducit. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.Sic Paulus fecit cum ait:Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus ve-
2.Cor.12. stris.Et:Ministri Christi sunt & ego.Sed hic demonstra-
2.Cor.11. tione opus est. Ego quidem me ministrū Christi dicere non vereor, sed & talem esse me demonstrare possum. Alij verbis iactitent, ego ipso factor testo. In quo quis audet(in insipientia dico)audeo & ego.Hebræi sunt,& ego.Israëlitę sunt,& ego.Ministri Christi sunt,&ego,vt minùs sapiēs dico,plus ego.In laboribus plurimis,in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum,in mortibus frequēter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virginis cæsus sum, semel lapidatus sum, ternaufragiū feci,nocte &die in profundū maris fui:in itineribus sæpe,periculis fluminū, periculis latronū, periculis ex genere,periculis ex gētibus,periculis,in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari,periculis in falsis fratribus,In labore & ærumna, in vigilijs multis,in fame & siti,in ieiunijs multis.In frigore & nuditate,prę ter illa quę extrinsecus sunt instātia mea,quotidiana soli citudo-

citudo omnium Ecclesiarũ. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Deus & pater Dñi nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula scit, quod non mentior, Damasci præpositus gentis Arethæ Regis custodiebat ciuitatem Damascenorũ, vt me comprehenderet: & per feneſtrã in sporta dimissus sum per murũ, & sic effugi manus eius. An nõ eiusdẽ animi fuisse Paulus & Martinus tibi videtur? His pastoribus stetit Ecclesia. Deũ immortalem quàm lõgè inuicem distamus. Nemo nunc laborare amplius vult, ne dicam pati. Si enim laborẽ fugimus, cætera pertimescere quid mirum? Et quales tandem pastores sumus, quomodo coram supremo pastore consistere poterimus? Quid respondebimus, vbi de ouibus reddenda est ratio? Hæc si quis rectè considerauerit, proculdubio timebit. Diligentiùs ergo veterum intuenda exempla sunt, modò Christiani, maximè Ecclesiæ ministri esse voluerimus. Obfirmatis animis opus est, non modò aduersus duros labores, verumetiam contra mortis horrorẽ. Et quid de Martino legitur? Nec mori timuit. Hoc ipsum illum respicit, vt intelligamus eũ nõ modò alijs fidum fuisse pastorem, verùm sibi etiam ingenuum extitisse Christianum. Quid enim est alijs bonum esse, sibi verò iniquum? si tamen possibile est alijs esse fidelem, qui sibijpsi iniquus. Neque enim frustra dictum est: Qui sibi malus, cui bonus? Veruntamen inuenias, qui magna fide laborent, doceant, curent quidem, sed impiè viuant, & veluti æs resonans, sibi sunt inutiles, quomodo & Christus de quibusdam loquens, ait: Quod dicunt vobis, facite: secundum opera autem illorum nolite facere. An fortè hos promptos ad mortem arbitraris? Qui potest non timere mortem, qui in peccatis viuit: O mors, quàm amara est memoria tua. Hic verò mortem quod timeat non habet, qui in Christum credit, bonam conscientiam fouet. Si ergo Martinus mortem non timuit, hoc ipso demonstratũ est, quod fide vitaq; ingenuus minister Christi fuerit. Et hoc tertium. Quartò: Nec viuere recusauit. Id quod perfectum consensum voluntatis eius cum Dei beneplacito ostendit. Iudicium est magni

Matth. 23

cuiusdam amoris erga fratres atq; ouiculas. In terris nihil præter aduersa, labores, pericula idq; genus aha habuerat, iamq; metà acceſſerat, vt nõ modo requie, verũ etiam mercede frueretur proximè. Paratus tñ eſt, rurſus inchoare, Deo ſi id fuiſſet viſum: nõ recuſo laborẽ. Hoc demũ piè precari eſt: Fiat volũtas tua. Atq; hic ille Paulinus animus eſt. Cupio diſſolui, inquit ille & eſſe cum
Phil.1. Chriſto. Et Chriſtus mihi viuere eſt & mori lucrũ. An igitur hęc Antiphona pijs mẽtibus abũdè ſatis quod me ditentur, indicare nõ vldetur? O feſtã diem Chriſtianis oĩbus dignã, qua his cogitationib⁹ occupamur. Et quid eſt, quod nunquã ferè quàm hoc ipſo tẽpore magis inſanimus crapũlis? Sed hæc noſtra in diuos diuorumq; vitas intẽtio eſt. An aũt hoc non eſt ridere & diuos & vniuerſam Eccleſiã? Eò igitur diligẽtiùs in Martini exemplum reſpiciamus, ſi modò vt ſuos nos apud Deum cognoſcat, volumus. Gratia Dei nobiſcum, Amen.

nõ

IN DIE PRÆSENTATIONIS MARIAE, IN TEMplum Euangelium. Matth.1.

LIber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abrahã. Abrahã genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autẽ genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares aũt genuit Eſrom. Eſrom autẽ genuit Aram. Aram autẽ genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſon. Naaſon autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Raehab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid regẽ. Dauid autem rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autẽ genuit

nuit Asa. Asa aũt genuit Iosaphat. Iosaphat aũt genuit Ioram. Ioram aũt genuit Oziam. Ozias aũt genuit Ioatham. Ioathã aũt genuit Achaz. Achaz aũt genuit Ezechiam. Ezechias autẽ genuit Manassen. Manasses autẽ genuit Amon. Amon aũt genuit Iosiam. Iosias aũt genuit Iechoniam & fratres eius in exilio Babylonico. Porrò post exilium Babylonicũ, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel aũt genuit Zorobabel. Zorobabel aũt genuit Abiud. Abiud autẽ genuit Eliachim. Eliachim aũt genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achin. Achin autem genuit Eliud. Eliud autẽ genuit Eleazar. Eleazar autẽ genuit Matthan. Matthan autẽ genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph, maritum Marię. Ex qua natus fuit Iesus qui dicitur Christus.

EODEM FESTO EPIstolæ loco lectio. Eccle. 24.

EGo quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis: in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui cõcupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Memoria etenim mea, siue spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum, memoria mea in generationes seculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitiẽt. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt: & qui elucidant me, vitã æternã habebunt.

SERMO VNICVS.

MAgna charissimi, hodie adest celebritas, præsentationis, inquam, Mariæ aduenit festiuitas. Quæ quidem in postremis Ecclesiæ festiuitatibus cœpit celebrari, vnde à quibusdam non magni momenti habetur, quibusdam etiam animo non celebratur, nobis tamen ideo minimè erit abiectior, quando ingenuorum liberorum est, plus quid pius pater doceat, quã quid alij pij non faciant respicere. Id quod facientes, aliquando cum suprema Iudicij dies venerit, non quid alij prætermiserũt, sed quid nos fecerimus interrogabimur,
Rom.14. Vnusquisque enim de suo facto rationem reddet. Certissimum est aũt hãc quantũlibet multis aspernatam festiuitatem, pijs mentibus vehementer cõmodare. Nam
Roma. 8. & Paulus testatur, oia diligẽtibus Deũ cooperari in bonum. Tum (quod experientia docet) multi sæpè ex paruis ansis magnas res meditari incipiunt atq; facere. Titulos Psalmorum inspice, & videbis Dauid leuissimis sæpè occasionibus motum maximos composuisse Psalmos. Ita & hæc celebritas (quemadmodũ de alijs etiã festiuitatibus dixi) pijs multa commodare posset. De quibus hic supersedeo. Illud tantùm indicans, quod si nihil hæc festiuitas prodesset præterquã quod indicaret, quã decens, vtilè, bonum, salutare, atq; necessarium sit, optimis, atque diuinis ministerijs à prima ætate assuesci, à nullo credente reijci aut aspernari possit. Quis enim in hac rerum perturbatione non videt, quàm sit omnino necessarium pueros à primis annis statim ad meliora educare. Sed hæc negligere nos manifestum est, imò palam videmus plurimam parentum partem liberos suos Mundo atq; peccato assuefacere: liberos nunquam per se nimium (heu) ad eam rem promptos, nulloq; doctore egentes. Interea miseri nihil cõsiderant, quam liberis suis calamitatem inferant ipsi, sese condemnent, & toti Mundo ridendos exponant. An non horrendũ Mundo homicidium, an non corã Deo scelestissimum facinus esset, si quis liberis suis panem subtraheret, venena citius perituris porrigeret? Quid autem aliud facis, cum eos ab omni virtute abstrahis, ab auditione verbi diuini retrahis, insuper peccandi occasionem suppeditas? An

hoc

hoc nó est salutarem subtrahere cibum, & toxicum propinare? Quod si homicidiũ quoquo modo perpetratũ, tanta pœnę seueritate arguitur, & à Deo vindicatur: quî velis in iudicio perstare vide, qui non corpus, sed animam multo præstantiorem occidis: maximè, eorum qui à Deo peculiari ratione tibi tuæque fidei ante omnes commissi sunt. Longè secus atque rectiùs hodierna nos docet festiuitas. Ioachim enim atque Anna tempestiuiùs, in ipsa adolescentia filiolam suam in Dei templum præsentarunt. Tum ipsa tenera admodũ virguncula spontè & expedita templum domino ministratura accurrit. Vnde etiam hanc primam gratiam quotidiè Deus augebat, ita planè, vt breui tempore viuũ Dei templum facta, ipsum Dei vnigenitum requiescentem corporaliter in se contegeret. Ecce quantum sit liberos statim ab incunabulis ministerio Dei consecrare. Quod si hoc exemplũ secuti fuerimus, in nulla gratia deficeremus. Et quidem totus Mundus de iuuentutis nostræ conqueritur leuitate, per se sanè maxima. Quod si aut rectè voluerimus singula considerare, nosmet in culpa esse intelligeremus. Quam enim pietatem filij filiæque tui addiscent, qui nullius pietatis vestigium ipse exhibes? Quomodo Dei timentes erunt, quos à diuinis ad mundana abstrahis? Quomodo pudicitiam amabunt, qui impudicitiam meram in te conspiciunt? Eum te filijs tuis exhibe, quem Tobias atque Iacob, quorum ille filium suum à pueritia ad Dei timorem erudijt, hic quotidiè pro filijs suis sacrificas dixit: Tantùm ne peccet filij mei. Hos sequere, nec deerit Deus sanctis conatibus. Ecce huic rei præsens seruit festiuitas. Quod si nihil aliud hinc commodi concipere potest, vel hoc solum, qua ratione filios filiasque tuas Deo præsentes, discet: sic nec fustra hæc tibi dies præterierit. Quod si & maius quid volueris, teipsum etiam offeras, Deo sistas. Id si puer neglexisti, hodie incipe, adhuc tẽpus est, tãtùm ne nunc quoq; negligas. Neque enim Deus sacrificium contemnit aut aspernatur vespertinum. Denique si quid piè mediteris desideras: quid virguncula hæc in templo egerit commemora. Euangelium hodierna dominica die lectum respice. Si enim plebs ob miracula quædam, tantam erga Christum

pietatem desideriumque conceperunt, vt in desertum vsque sequentes inuiti ab ipso auellerentur: quæ arbitranda est Mariæ deuotio, quæ omnia Dei magnalia tam exactè recensere atque cantare nouerat? Contrà, si Deus ingrato atque defecturo populo, tantum quia ad tempus sequebatur Christum, tanta beneficia exhibuit, quam putamus Mariæ gratiam exhibuit, quæ semel se Deo deuouens, nunquã ab eo declinauit? Ecce tibi ea, quibus præsens festiuitas seruit. Quæ, si secutus fueris, vtique omnia ad dei honorem, ad virginis laudem, tuamque vtilitatem conuertentur. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE SANCTÆ CATHARINAE EVANGELIVM Matthæi 25.

TVnc simile erit regnum cœlorum decẽ virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserũt oleum secum. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cũ lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Respondérunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est

sa est ianua. Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.

EODEM FESTO EPISTOLAE LOCO LECTIO

Ecclesiast. 51.

CONfitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum saluatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adiutor. Et liberasti me secundũ multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, & multis tribulationibus quæ circundederunt me, à pressura flammæ quæ circũdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus. De altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, à Rege iniquo, & à lingua iniusta. Laudabit vsque ad mortem anima mea Dominum, & vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circundederunt me vndique & non erat qui adiuuaret. Respiciẽs eram ad adiutorium hominum, & non erat. Memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, & cooperationis tuæ quæ à seculo sunt, quoniam eruis sustinentes te Domine, & liberas eos de manu gentium.

SER.

SERMO VNICVS

In Euangelium deinde in festiuitatem.

IN hoc Euangelio Christus duplicem docendi viam tenet, cum nunc similitudine, nunc expressis verbis quid velit, edocet. Summa autem totius Euangelij his verbis consistit: Vigilate, quia nescitis diem neque horam, in qua filius hominis veniet, Atque hæc prudenti sufficerēt. CHRISTVS verò in ea re etiam decem virginum similitudine vtitur, in qua perspicuè videre licet, quantum vel commodi vel incommodi adferat, ijs in rebus quæ vel Deum vel animæ salutem respiciunt, vigilia aut somnolentia. Quinque ex illis vigilarūt, quinque dormierunt. Verùm non de corporis somno hoc intelligendū est, quo nemo carere potest: tum nec de mortis somno interpretari potest, quia & hic communis est omnibus. Doctus & indoctus simul pereūt. Tum ipsum etiam Euangeliū omnes dormiuisse testatur. Alius somnus quidam, alia vigilantia est, quæ has virgines discernit. Quicunque ergo in animæ negotio atque rebus diuinis solicitus, diligens atq; prōptus est, hic vigilat: qui verò sine cura, solicitudine, timore, rerumq; futurarū prouidentia desidet, sanè hic in vtramuis aurē dormit. Hoc inter virgines, id est, Christianos discernit. Alij prudentes sunt, futuraq; præuident, in hęc se armant promptasque reddunt, vt non modò hic in hominū cōspectu, verumetiā corā Deo possint cōsistere. Et hi prudentes illæ virgines sunt, quos nunquā improuisa mors subruit, lampades earū lucent perpetuò, his aperta est ianua. Alij verò superbiunt, minimeq; futura cogitant, lāpades quidē sed sine oleo ferentes, formis rerū credunt, quales interius sint nihil curant: hos semper insperata mors præuenit, semper impeditos inuenit, ideoque ianuas non aperiendas frustra pulsant. Hæc Christus hac vult parabola innuere, eaque apertis verbis docet. Vigilate, inquit, quia nescitis qua hora dominus venturus est. Quia ergo Christus ipse iuxta expressum sermonem, etiam exempla atq; figuras apposuit, (simplicium bono) nemini nouum aut rarum videatur, quod in Ecclesia præter doctrinam Christi etiam exempla eorum, qui summo studio Euangelij do-

Iij doctrinam sequuti sunt proponantur. Id quod non his tandem temporibus inuentũ est, sed semper in piorum cœtu obseruatum est. Nihil ea seueritate Iudeis aut toties inculcatum fuit, qua Abrahæ, Isaac, atque Iacob fidei vitæque exempla. Deinde aliorum etiam exempla proposita sunt: Iudith Tobiæ &c. Paulus simul omnes in medium proponit, nubem (vt ipse inquit) testium. Idem etiam patres nostri fecerunt. Vt grauissimè Dei voluntatem verbumque docuerunt, ita studiosè eorum qui verbum voluntatemque Dei vita moribusque expresserunt, exempla proposuerunt. Hac intentione hodie D. Catharina proponitur, ingenua Dei puellula, sancta virgo, fœlix martyr: in qua vna omnes videre possemus omnia, non modò quæ in Euangelio Christus docet, verumetiam quæ aliàs ad Christianum hominem pertinent. Idque paucis ostendam vt omnes videant, quàm merito huius virginis in Ecclesia memoriam celebremus. At à minimis, nempe nomine exordiar, hinc ad vitam, à vita, ad passionem progrediar. Qui sanè ipsi gradus sunt, cuilibet Christiano scandendi. Nisi enim ab inferioribus inceperis, nunquam ad summa peruenies: qui proprium nomen non cogitauerit, ad vitæ pietatem nunquam perueniet, multò vero minùs mortis aget triumphum. Videamus ergo quis ordo nominis vitæ atque mortis in hac virgine fuerit. Principiò ergo pulcherrimum Christianumque nomen obtinuit, quod ipsum etiam vita moribus in seipsa expressit, id quod maximè laude dignum est. Exigua alioqui laus est nominis præstantia, sine vitæ consonantia. Catharina à Græco est καθαρὸς Latinè purus, castus, immaculatus. Et eiusmodi omnes Christianos dici atque esse conuenit, non, quemadmodum Nouatiani, olim seipsos dicebant Catharos, puros, seque præferebant cæteris, quod ad pœnitentiam non admitterent eos, qui semel in capitis periculo negassent Christum, vt nunc Cathabaptistæ se ab alijs discernunt, sibi de puritate blandientes, omnes alios damnantes. Non autem eo modò Christiani Cathari erimus, vt nosmet puros mundósue æstimemus, sed vt verè puri coram Deo simus, atq; hominibus. Cuiusmodi hæc Catharina fuit: Pura enim pudica, immacu-

maculata, sine felle, simplex, innocensque virgo fuit: ita vt hac parte non absurdè Nathanaëli comparare possim, de quo Christus ait: Ecce verus Israëlita, in quo dolus non est. Ita hìc, Ecce vera Catharina. Quid autem pulchrius in homine, & bono nomine, & huic conueniens vita? verùm quid illo nũc rarius? Nulla vnquam indendorum nominũ maior ambitio: nulla cõtrà vnquàm respondendi nominis significationi, maior execrabiliorque incuria. Id quod non modò in baptismo acceptis nominibus videre est, verùmetiã in appellationibus atque agnominibus, fortunæ atq; officij. Hìc inquam, rarò videas, quod in Nathanaël atq; Catharina: De paucis enim dici potest: Ecce verus Israëlita: Ecce, vera Catharina. Verus Christianus, bonus pastor, pius sacerdos, Monachus, iudex, maritus, Ioannes, hoc, est qui accepta gratia, rectè vtatur: Petrus, qui in fide firmus persistat. Et quid est, quod de raris & præstantibus nominum titulis gloriamur, cũ omnes cõtrarium rideant? Hic verò & nomen & rem simul vides. Nomen quidem Catharina, pura, pudica: nec secus res ostendit. Videte ergo, quantum etiam in hoc minimo deficiamus. Quid verò iam in hac virgine contemplandum restat? Vita. Cùm vitam dico, non externam rerum formam, sed omnia quæ externè, internè, ad vitæ Christianę pietatem pertinent, quorum initium à fide, finis verò per media deductus, Charitas est. Id quod Christus in virginibus, virginumque lampadibus ostẽdere voluit. Virgines sumus omnes, Christo nimirum desponsati: lampas, fides: oleum, Charitas est. Quæ sanè omnia ad vitæ pietatem pertineut, atque in hac virgine inueniuntur. Christo enim sese tradiderat, fidem non corde tantùm tegebat, sed & ore vitaque exprimebat. Et quantùm hìc quoque deficimus. Superbè quidem lampades nostras portamus, magna de Christi desponsatione iactitamus, varijs modis de fide insolescimus, sed multorum lampades vacuę sunt, mortua fides, quæ Deo nec placent nec placere possunt. Vnde illæ tantùm intromittuntur, quæ lampadibus atque oleo paratæ sunt. Vt enim minimè Deo opera nostra sine fide placent, ita etiam fides sine operibus gratia ipsi esse non potest, Vtrumque Scriptura docet: omnes etiã

Ioan. 1.

pij

pij vtrunq; coniunctũ habere studuerunt. Nec Credens quisquam fuit, siue vetus siue nouum Testamentum respicias, qui sine lampade aut oleo, hoc est, sine fide aut charitate saluari præsumpserit: nemo inquã, hæc vel sperare ausus fuit. Multa quidem Pharisæi de operibus suis iactitabant, sed oleum sine lampadibus erant. Vnde etiã à Christo aspernantur. Nos contrarium tuemur, de lampade vacua, hoc est, fide nuda salutem nobis promittimus: licet in omnibus historijs, vitis, atque monumentis omnium piorum videamus, quàm omni pietati studuerunt semper, ita, vt mirum cuiquam videri possit, vn de isthæc persuasio inter nos nata sit, sola fide atque adeò otiosa salutem promittere, vtique huic virgini nosmet compararemus, cuius nomen respondet vitæ, vitaque Euangelio consona est, & hoc tandem vtrunque valet Deoque placet. Optimum Christiani, nominis approbatio, consensus vitæ est. Optimum vitæ piæ documentum est, si cum Euangelio consonet, quod verbum vitæ est. Restat nunc vt quomodo non modò ingenua Dei filiola atque virgo, verùmetiam Martyr Christi hæc Catharina fuerit vera consideremus. Et huius quidẽ generis testes plurimos CHRISTVS habuit. Stephanus omnium primus est, vnde etiam solus protho-martyr dictus est, qui de Christo coram Senatu Iudaico testimonium reddidit. Alij idem coram Gentibus præsti Ioan. 15.
terũt, quemadmodum prædixerat Christus ipse: Et vos, inquit, testimoniũ perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis. Et de Paulo: Vas est mihi electionis, vt portet Act. 9.
nomen meũ coram gẽtibus & regibus. Catharina nostra Christo testimonium dedit coram Mapentio, ea seueritate, vt rectè de ea dicere possim. Persij habuerunt constantiã eius. Et Medi audaciam. Id quod propriè quidem de Iudith dictum est, quę Holofernẽ trucidauerat, cui re- Iudith. 13
pugnare nemo audebat. Vnde Persij atque Medi huius fœminę, tanti, Infectricis Tyrãni, fortitudinẽ horruerũt. Nos verò Catharina habemus, quod meritò omnes Gẽtes exhorrẽt, credẽtes verò prędicamus atq; extollimus. Et quid ipsum? Christianã constantia atq; fortitudo. De Christiana, inquam, hìc loquor constantia atque fortitudine. Neque enim omnis audacia laudem meretur. In Da

uid

uid quidem Christiana constantia perspicua est, quum
1.Reg.17. ait: Quis est incircuncisus iste, qui ausus est maledicere
Act.21. exercitui Dei viuentis? In Paulo eadem videtur, qui ait: Ego non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum, Propter nomen Domini Iesu. At mundus quoque sæpè eiusmodi sibi fingit fortitudinẽ, quæ tum mera pertinacia potiùs dicenda est. Sic Iudæi fortes sibi videbantur, qui propriè desperati erant, aut quemadmodũ Scriptura loquitur, duritia, imò excæcatio Dei. In Catharina vtramque videmus: bonam Christianamque audaciam atque constantiam. Vtrunque enim coniungi necesse est. Audacia per se non sufficit, constantia illam comitetur oportet. Nam ipse etiam Petrus audaculus initio erat, sed Christiana audacia non erat. Propterea citò peribat. Verùm quæ Christiana est & ingenua constantia, in finem vsque perseuerat. Agitè ergo propositum in Catharina exemplum sequamur, sic enim præsentem festiuitatem rectè vt pios decet peragemus, ad Dei laudem, nostrùm verò omnium æternam vtilitatem.

Gratia Dei nobiscum, Amen.

Finis postillæ de Sanctis, secundæ partis R. D. Ioannis Feri: interprete D. Ioanne à via Anno 1558.